£60-

Φ 60

DE
FEBRIBUS
ET MORBIS ACVTIS,

Febrem annexam habentibus.

AUCTORE

MICHAELE ANGELO
ANDRIOLLO VERONENSI

In Collegio Veneto Medicorum Cooptato

Collega Accademiæ Cæsareo-Leopoldinæ, Naturæ Curiosorum Germanorum;

ATENEO VENETO VENEZIA

DICATUM

ILLVSTRISSIMO DOMINO

CHRISTIANO LAITNER,
A LAITNAV,

Domino in Poitsch, & *in* Rotmesdorf.

VENETIIS, MDCCXI.

APVD HIERONYMVM ALBRICIVM.

Superiorum Permissu, ac Privilegio.



EPISTOLA DEDICATORIA
ILLUSTRISSIMO DOMINO
CHRISTIANO
LAITNER, a LAITNAV,
Domino in Poitſch, & in Rotmesdorf.

Domino, & Patrono ſemper Colendiſſimo, &c.

ATENEO VENETO
VENEZIA

NImis ingratus eſſem; atque muneri meo non ſatisfacerem, ſi libellum meum de Febribus iuxtà Platonicam noſtram philoſophiam, & iuxtà Hippocratis phyſicam conſcriptum, *Illuſtriſſimo Nomini* veſtro, benignoque nempè clientatoris patrocinio non traderem; Qui concivem Villacenſem agnoſcens Theophraſtum Paracelſum, Lucina naſcentes, ambos in aureis Draui fluminis undis lavit. Ambo pariter Ariſtotelicis Galeni Doctrinis Metaphyſicis adverſi; verę & ſcientificæ Doctrinæ experimentalis amatoris, Illuſtriſſimas Veritates, & Matematicas notitias, orbi allucinato tradere, fermè ab incunabulis certatim contendiſtis. Hanc quoque experimentis conſirmatam a Paracelſo Veritatem de Febribus, quòd unica ſit tantumodò febris eſſentia, & natura, quæ a varietate ſymptomatum, varia ratione denominatur, ipſe in familiaribus colloquijs cum Illuſtriſſima Dominatione Veſtra habitis, oretenùs hauſi. Ideòque ingratus eſſem, niſi libri primitiuum auctorem benignum patronum hunc cognoſcere vellem. Qui aſſiduis involutus ſtudijs, a patria recedens, Vienæ Auſtriæ Aquilarum nido accedens, ibi aſſiduis teſtimonijs aquilini viſus, & excelſi ingenij pignora tradens; abſtruſiſſimas theſes in publicum oblatas defendere auditus eſt. Redux

deindè in Patriam, veluti in aureo Jovis nido, in patris ſinu ſuſceptus, nihil ſplendoris, nihil honoris, nihilque dignitatis deficere repertus eſt. A ſummo namque Pontifice Clemente, inter equites auratos Sacræ Romanæ Eccleſiæ conſcriptam familiam Aulæ Lateranenſis ſuæ comitem, & comitia conſtituit; Crucemque auream ad collum pendentem deferre; atque pallium cruce auro ſerico ornare poſſe, præceſſorumque meritorum præmia facere decrevit. Sed his ſummis honoribus familiæ, ſummas quoque divitias Fortuna copulare, atque maritare contendit. Nam præter immenſa undique bona, tam mobilia, quam ſtabilia; populum integrum ultrà ducentorum artificum aſsiduis incudibus antra Poitſchana, ad immenſas opes parandas vobis reſonare deſtinavit, Vulcanea Fortuna. Fœliciſsimo igitur, atque meritiſsimo, viribus ingenij, Fortuna, omni laude, & honore condecorato, & coronato viro, hos labores meos ideò ſacros facio, ut tenue augmentum Bibliotecæ eius in his regionibus nulli ſecundæ facere poſsem; immenſumque animi mei Obſequium, & Affectum ſimul declararem. Sed quod magis eſt, ne ingratus ſilentio involvam ſumma beneficia, quæ in me (ab omnibus huius patriæ Proceribus per inuidentiam) derelicto, & inviſo, ſolo ampliſsimo ſpontaneę magninimitatis munere conferre dignatus es. Concidiſsetque animus, neque ſiſtema voluminoſum integræ philoſophiæ experimentalis Platonicæ, & Medicinæ Hippocraticæ in lucem progredi potuiſſet, niſi a Giganteo ſpiritu tanti ſummi viri animatus, greſſus, & progreſsus habuiſſem. Ita ut ſi quæ futura ſint de hoc opere *benemerita* apud eruditos poſteros, hæc munificentiæ, & tantæ Benignitatis patrocinio tribuenda ſint. Annuat interim Deus, ut penſum meum ad plurimos annos feliciter abſolvere poſsim; ſcilicet Fortunati Medici curam meis monitis, in regimine victus, & morborum ſanatione corporis Illuſtriſsimę Dominationis veſtræ, nimio onere pinguedinis compreſsi obtinere poſsim. Undique enim obſervationum oculis circumſpiciens, atque in ſinu Fortunæ, & Felicitatis vivere aſpiciens; Nihil aliud a ſummo bonorum diſpenſatore Deo optandum vobis, auſpicandum, & exorandum video; quam cum optima ſanitate ut longęva vita perfrui Altiſſimi munere, dono, & gratia concedatur.

Clagenfurthi, Idibus Martij. Anni 1711.

Deditiſſimus Obſequentiſſimus Seruus

Michael Angelus Andriollus
Protophyſicus Carinthiæ.

PRÆFATIO

Benigno Lectori necessaria.

HIppocrates Pitago-Platonicam doctrinam, quod anima mundi sit causa vitæ, & mortis; sanitatis, & morborum, clarè, sed alio titulo, & nomine, explicavit in libro de flatibus; Sed pessimè postmodum interpretatus liber à Galeno, & à Galenicis, pro aereis flatibus, in immenso atramentorum, & librorum pelago, & scopulis veræ notitiæ divini senis, naufragium passæ sunt.

Nunc igitur tempus est, ut hanc doctrinam libri de flatibus explicantes, ostendamus, quod vitæ, & mortis, sanitatis, & morborum; sed præcipuè febrium omnium unicus motor, seu causa efficiens, est spiritus æthereus noster calorificus, qui nobiscum nascens; est vitæ causa, à nobis *recedens*, est causa mortis.

Protestamur igitur, nos propositionibus in hoc libro ab Hippocrate exharatis, pro explicatione, & paraphrasi, velle sacrum facere universos quinque libros nostros de febribus, & ostendere, quod unicus spiritus æthereus, (malè interpretatus pro aere elementari) sit unica causa efficiens morborum; & quod febris unica est, ratione hujus spiritus, qui vel infectus ab extrà titulo pestis, vel ab intrò, ob malam servatam vivendi rationem ad nos venit.

Propositiones igitur, seu principia ex oraculo Hippocratico, in lib. de flatibus decerpta, sunt ista; Statim ab initio se velle investigare dicit:

1. *Quæ sit causa morborum, & quod nam sit principium; & quasi fons, ex quo corporis mala omnia scaturiant.* Postea subdit:

2. *Morborum omnium unus, & idem est modus, locus verò est, qui eorum differentiam facit. Videntur tamen quòd inter se morbi differant; cum tamen sit unica morborum omnium species, & causa.*

3. *Spiritus enim qui in corporibus est, & flatus appellatur, maximus est in omnibus, quæ corpori accidunt author, & dominus.*

4. *Atque omne quod inter cælum, & terram est, spiritu repletum est* (videant Galenici an aer elementaris, cuius atmospera paucorum milliarium commensurata est à Neotericis, possit tam altè penetrare, vel an intelligat Hippocratis de spiritu æthereo) *ita ut solis, lunæ, & astrorum omnium cursus, per hunc spiritum procedant, & (Aer ab hoc spiritu movetur.)*

5. *Ignis spiritus nutrimentum præbet, quo si ignis privetur extinguitur.*

6. *Mare spiritu exors non est; non enim vivere nascentia animalia possent, nisi spiritu participarent, & ex aquæ spiritum attraherent.*

7. *Terræ vehiculum est* (fortè vaticinatus, *terram vehi circulariter ab hoc spiritu circà suum centrum,*) ut nos sustinemus in lib. de cœlo, & mundo.

8. Mortalibus verò, vitæ, & morborum unicus est author (potest ne clariori sermone explicare, quod non intelligit de aere elementari, qua non est causa vitæ; sed de spiritu æthereo, qui est causa vitæ, sanitatis, & egritudinum author, quia constituit spiritum nostrum vitalem.)

9. Subjungit: *Tantaque necessitas spiritus corpori est; ut si omnibus aliis abstineat homo; neque cibum sumat, neque potum, possit tamen pluribus diebus vivere.*

10. *Sed si spiritus vias in corpus intercipiantur, intrà pauca horæ minuta interit. Nec non ab aliis operibus quiescere potest homo; sed ab opere spiritus respirandi, & expirandi, nulla omnibus animalibus quies contingere potest.*

Hanc necessitatem respirationis, in nostra antrographia ostendimus cap. de pulmonibus. Ubi animadvertere licet, quod Galenici putant merum aerem attractum, esse causam tot bonorum, quæ respiratione animalibus contingunt; sed decipiuntur; quia restauratio, acuebati quædam nutritio spiritus ætherei nostri interni, seu ignieuli vitalis, non provenit ab aere solo; sed à spiritu æthereo, congeneo fratri, igniculi *vitalis nostri*, qui nimis tenuis indiguit *veluti* attemperari in atmosphera aeris, ut accommodari posset nostris organis respirationis,

Secùs expertum fuit ab Hispanis, quòd in America, dum altissimos montes Periacacæ transire voluerint, ob *summam* aeris tenuitatem, quam in vertice reperierunt, coacti *fuere* retrocedere ad meliorem auram, secùs respiratio ipsis intercipiebatur, & moriebantur. Hanc memorabilem hystoriam narrat Rob. Boile lib de vi elastica aeris.

Nec non singulo die observamus, quòd pisces ex aqua extracti, respiratione eorum per branchas intercepta, suffocati, difficultèr respirantes, & branchas moventes, interficiuntur, ab aere enim veluti nimis tenui elemento pro ipsis, non possunt branchiis suis aliisque *poralis à terrestribus* animalibus diversis, elycere ab aere spiritum æthereum conservatorem vitæ; Sicuti facilimè elyciunt, etiam in fundo maris (ubi certè non pervenit aeris atmosphera) quia spiritus æthereus, penetrat omnia corpora sine resistentia, usque ad inferos; & ad fundum maris, aquæ admixtus perveniens, accommodatur figurationibus organorum respirantium piscium.

11. Prosequitur Hippocratis, deindè dicere: *Monstrabo igitur quod est hoc* (quod flatus nomine appellat, id quod nos aptiori nomine, spiritum æthereum dicimus) *morbi omnes, corpori innascuntur, & generantur;*

12. *Et primò quidem à communissimo morbo febrium exordium summam, qui omnium morborum comes est, præcipuè tamen inflammationum; Sunt autem febrium duo genera, alterum commune, quod pestis appellatur; alterum propter malam servatam dietam, quod privatim contingit.*

13. Descendit postmodùm ad particulares morbos, ostendendo, quod à flatibus (scilicet à spiritu æthereo, seu igniculo nostro vitali) ut à causa efficiente, ac movente primaria, & immediata, proveniunt omnes morbi. In fine concludens, & dicens: *Hactenùs ergò morborum omnium causas flatus esse demonstravi.*

Videant ergo Galenici, an fieri possit, quòd merum elementum aeris, fit *causa efficiens universalis morborum*. Dum infatuati in doctrina Aristotelica, morborum causas *efficientes* universales *dicunt* esse varios humores, quasi Hippocratis protoparens medicorum, & protophysicus, delirans, has ineptias dixerit, & non fuerint verba tanto oraculo digna. *Sed* Deo gratiæ agendæ sunt, qui veram horum interpretationem, his illuminatis sæculis reservaverit.

Quià verò non solumodò abextrà aerem respirando, spiritum nostrum *æthereum* refocillamus, sed etiàm per cibos, & *potus*, (nam certum est, quòd hic spiritus æthereus *est* forma, vita, anima, & entelechia, seu potentia motrix universorum, & quòd in singulis corporibus reperitur) quare quadam ineffabili naturæ spargiria, in visceribus animalium nutrientorum celebratur hæc quinta essentia, seu separatur à crassis elementis spiritus æthereus, ut inserviat nutritioni, atque restaurationi spiritus ætherei nostri.

Hac divina dispositione, ut quæ constant ex corpore, & spiritu animalia corruptibilia, assiduò habeant refectionem, ac nutritionem, corporis quidem elementaris, à parte ciborum magis crassa, & elementari; spiritus verò ætherei, à parte ciborum tenuissima, nempè ætherea; quare Hippocratis hoc loco dixit: *Omnia quæ eduntur, vel bibuntur, spiritus in corpus inferunt, aliquandò plures, aliquandò pauciores.*

Ut ostenderet verò Hippocratis, quanta sit energia hujus spiritus ætherei, (quem flatus nominat) proponit exemplum *navis in medio maris, adeò velocitèr impulsa. Imò globum immensum solis, lunæ, & astrorum ab hoc æthereo spiritu, & non ab aere impelli docet.* Admiratur deindè mirabilem tympanitidis hydropis tensionem ventris, quæ omnia ab energia spiritus ætherei impulsoris provenire certum est, qui unicus motor universorum corporum corruptibilium est, & super hanc basim fundamentalem Platonicam, nos universam physicam concilio facto veterum, & Neotericorum constituximus.

Ignorato enim quid sit motus, quid sit forma, vita, anima, entelechia, totam physicam ignorari, ac subverti necesse est; est enim principale objectum physicum, corpus mobile.

Fuere quidem ante *nos Paracelsus*, Helmontius, & alii, qui titulo Archei, vel spiritus sensitivi, attigere aliquo modo has Hippocraticas veritates; sed adeò lenitèr, & veluti per transenam, atque obscure, ut neque undè oriatur hic Archeus, neque à quibus admirandas suas vires aquirat, bene explicaverint.

Conabimur itaque pro imbecilitate virium nostrarum dilucidare, hunc spiritum æthereum, Archeum, neotericorum, flatum Hipp., utpotè universalem causam efficientem febrium non solùm; sed universorum morborum, & præcipuè inflammationum &c.

Inter dona, quæ Omnipotens naturæ rector, & director elementaribus creaturis elargitus est, nil hoc æthereo spiritu calorifico igneo, solari præstantius; Est enim universorum anima, vita, forma, entelechia, seu potentia motrix, & natura Aristotelis, causa motus, & quietis.

Tum id quod dat esse rebus veraque substantia realis est, & non immaterialis nuda qualitas; quæ in corde potentia vitalis, in celebro animalis, in membris omnibus potentia naturalis, seu Vegetativa appellatur.

Quæ in universis animalibus, domicilii sui faber, & architectus, architectonica arte à summo conditore donatur, domicilii. Spiritus sui fabricam solus delineat, efformat, dirigit; omnia summa diligentia, sine vlla quiete perficiens, fovens, & vigilanti sine somno custodia, & protectione, ab omnibus adversantibus, & præternaturalibus tuetur.

Præsidens assiduus in arce cordis, vitæ, & facultatum omnium dispensator spiritus. Solus solis minister, & astrorum filius æthereus, scilicèt igneus, calorem universis creaturis sublunaribus, alter Prometeus ignem adducens; Ab eius vitali vi universa sublunaria vitam, & actiones omnes vitalis nanciscuntur.

Vegetabili energia, plantæ in omnem dimensionem per eum excrescunt, & Animalia rectrices facultates, quibus sentiant, & moveantur adipiscuntur.

Hoc ergo cœlesti æthereo spiritu, mortalia cœlestibus junguntur, suprèmoque artificio, animalia cœlorum rhytmo moventur, & aguntur per suam præsentiam; per absentiam enim eius, locus morti conceditur, marcescunt, atque dissoluuntur. Ejus moderatus motus & naturalis, est sanitatis parens & auctor, immoderantia versùs utrumque extremum, est ægritudinum mater. In membris enim suo vario motu, innumetabilium morborum causa efficiens primaria existit. In corde verò per suos varios motus, omnigenas febrium differentias constituit, ut jam jam ostendemus.

Archeus itaque est omnis alterationis opifex, estque impetum faciens Hippocratis, qui efficientèr, primariò, & solus nos calefacit. Et quia est axioma, quòd quidquid in sanis edit actiones sanas, id ipsum in morbis edit actiones vitiatas; Ideò spiritus ille, qui calefacit hominem in sanitate, idem est, qui in febribus æstuat.

Spina digito infixa (ait Helmontius) *actu, & potentia frigida est. & tamen in digito calorem ingentem, & præter naturam concitat; nulla alia sanè ratione; nisi quia spiritus vitalis est, qui accurrens cum sanguine excitat calorem, inflammationem, tumorem, dolorem, spina verò tantumodò causa occasionalis est.*

Idem omninò dicatur de febribus, in quibus à rebus sex non naturalibus, quæ occasionalitèr Archeo offeruntur, provenit materia peccans, quæ in febri à se non incalescit (sicuti spina, quæ si auferatur, citissimè sanitas subsequetur) sed est tantum causa occasionalis febribus caloris.

Sub enim thimiosi, accenditur Archeus, ut causam occasionalem, veluti *spinam molestantem* depellat, & quæ deindè adhibentur medicamenta, vel directè, vel indirectè ad thimiosum Archei sedandam dirigenda sunt.

Post namque peccatum protoparentum, pars hominis sensitiva (scilicet Archeus) *est primarius malorum omnium humanorum faber, & movens Enormon, à quo febres, & morbi omnes proveniunt, post impressam tamèn desuper ab astris ideam.*

Sic videmus in eo, quem canis rabidus momordit, multo post, etiam interfecto cane, persimilem rabiem excitari; quia in saliva, veluti in semine fuit ab astris impressa idea formatrix illius rabiei, similis illi, a quo processit. Hoc enim seminale venenum in cane sano non contingit, sicuti in amente, quod post morsum sensim dispositiones introducit, ut tandem, organum imaginativæ ferire possit &c. Idem dicatur de tarantula. Idem dicatur de veneno fellis coitum appetentis dementativo.

Certum est enim, quod nihil movetur à se simpliciter; sed quidquid movetur, ab alio moveri necesse est. Quandò igitur à vitali calorifico spiritu, impetum faciente calor febrilis concitatur, necesse est, ut moveatur ab alio, potentiam motricem habente, qui nullus alius esse potest, nisi spiritus æthereus habens; ideam, notas, signaturas, & characteres singulorum motuum, [vt alibi ostendimus.] Et hæc est vera interpretatio Ideatorum seminum morborum Paracelsi.

Febrium igitur faber, & causa efficiens proxima, & Immediata, est Archeus. Remota verò sed originaria causa efficiens, est influentia cœlestis. Vtraque tamen est astralis originis, & secluæ à sublunaribus elementaribus causis; & à liquidis aqueis, & terrestribus

ſtribus humoribus, & excrementis, quæ non ſunt cauſæ efficientes febrium, & morborum (ut putat vulgus) ſed ſunt meræ cauſæ materiales, occaſionales.

Solæ itaque ideæ ſpiritus ætherei, *ſunt* in corporibus ſublunaribus activæ, ac motivæ, ſuntque ſeminaintrinſeca, & formalia *principia*, quæ ſuſcepta, ſtatim ſe veſtiunt, & *in* ſcenam poſtmodum prodeunt, titulo impetum facientis, moventis, & operantis ſpiritus in *homine*.

Namque quòd *febres ab animi paſſionibus oriantur, lippis, & tonſoribus notum eſt; ſed quod priùs neceſſariò Archeus deſſupèr ab aſtrali ſpiritu moveri debeat, à quo ſuas patiatur alterationes, & perturbationes; quarum ſeminales ideas in ſe concipit: Hoc in ſcholis inauditum eſt*: ait Helmontius.

Durum verò eſt, hanc præſtantiſſimam doctrinam de origine ſpiritus ætherei, ſeu Archei, benè percipere; Quæ tamen eſt primum, & præcipuum fundamentum totius medicinæ (prout in univerſa mea praxi oſtendi) niſi medicus jam inſtructus ſit in parte illa aſtrologica, quæ de corporeis affectionibus, de temperamento, ſanitate, & morbis, tum de decubitu ægrorum tractat, (quam Deo dante ſtat in mea mente repoſtam, typis dare, poſt *univerſas* quinque partes medicinæ, *phyſiologiæ*, pathologicæ, ſimioticæ, terrapenticæ, & iginis) atque per certa experimenta certus fiat proprio marte facta, genitliacis figuris plurimis conſtructis quòd nulli dantur motus, in his ſublunaribus, qui ab aſtrorum ſpiritu non procedant.

Nulli enim motus in terris in manu ſtultæ Fortunæ geruntur; ſed quilibet minimus motus, ſive generationis, ſive alterationis, ſive localis &c. *jam* ſtat ideatus in mente æterna, immutabili Dei, aſtra verò corruptibilia, & materialia, veluti inſtrumenta, & canales, inſerviunt ad derivandos motus orbi, primi moventis, in cujus mente eſt decantata, neque à vulgo intellecta Idea Platonica.

Sigillum itaque ideatum, deſupèr ab aſtris venit, per quod rerum omnium motus in ſublunaribus fiunt; rerumque dos innata eſt à Deo ſingulis rebus elargita, pro mundi ornamento magnifico, & pro claro teſtimonio ſuæ infinitæ, ac immenſæ potentiæ motricis, non ocioſæ, nobis intellectualibus creaturis propoſito.

Quanti momenti ſit notitia philoſophiæ Platonicæ (reformatæ tamen) & potiſſimum animæ mundi, ſpiritus ætherei à quo venit omnis motus facilè ab iis colligi poterit, qui acuti odoratus naſo, motus generationis, & corruptionis Ariſtotelicos, putridos, & aereos eſſe fundatos in ſua forma, educta de potentia materiæ probè noverit.

Univerſa autem phyſica fundata eſt in motu, & qui non noverit veram ſcaturiginem, & fontem, à quo veniunt motus, formæ, vitæ, potentiæ motrices, impoſſibile erit, ut poſſit rerum phyſicarum, notitiam veram habere,

Sed toto cœlo errabit cum Ariſtotele, qui innumeras formas aſſignans, & mixtis omnibus, etiam intervientibus pro via, ac diſpoſitione ad formam tribuit illam, non diſtinguens formas veras trium hyerarchiarum, animalium, plantarum, mineralium, à formis non veris, neque ideatis, cæterorum mixtorum.

Ex. gr. chylum ex carne comeſta mutationem pati, & aquirere novam, & veram formam docet Ariſt. inde chylum in ſanguine mutari, ſanguinem in mille nos liquores &c. mutare ſemper formam.

Bone Deus hoc eſt confundere univerſam phyſicam, & veras formas, (quæ ſolumodo habentur per generationem veram) confundere, cum non veris formis alterationis; ut ex indè impoſſibile ſit reddere exactam motuum, & phænomenum rationem univerſorum mixtorum habentium animam, formam veram, & vitam, prout clarè, & facilimè per doctrinam Platonicam addi poteſt.

Et potiſſimum hoc conſpicuum fiet in febribus, quarum omnium unica cauſa efficiens eſt ſpiritus æthereus, unica verò cauſa materialis eſt maſſæ ſanguinis præternaturalis motus. Sed iuxtà Ariſtotelicos, ſunt innumerabiles cauſæ efficientes, tum cauſæ materiales confuſæ invicem, de quibus impoſſibilis eſſet exacta ſcientifica notitia; quam nos palpabilibus, & ſenſatis experimentis tradere intendimus, & quam noſter phyſicus Platonicus profiteri poterit, ſuper infallibile, & quadratum fundamentum conſtructum motus à nobis &c.

Quòd enim ſpiritus noſter calorificus ſit cauſa efficiens febris, facilè cognoſci poteſt; quia in fine paroxiſmi febribus ceſſare obſervamus, à ſuo calorifico motu; & tamen adhuc remanet in corpore, id quod fuit cauſa occaſionalis febris tertianæ vel quartanæ. Inde interpoſitis diebus iterum inſurgit ſpiritus ſenſitivus, ut *tentare poſſit per novam fermentationem, talem materiam* moleſtantem, veluti ſpinam expellere. Dum formarum faciles diſpenſatores Ariſtotelici, hunc motum tribuunt inſenſatæ, ſtupidæ materiæ humorum.

Summoperè etiam conducit hæc cognitio veræ cauſæ efficientis febrium, ut *pacationi Archei*, & non ſpinæ intentiones omnes directè, vel indirectè dirigamus. Pacata namque procella Archei & facta ſerenitate, facilè eſt ipſi, ut per conſuetas, naturales excrementorum vias, excrementitias febriles ſaburas omnes expurget.

Si autem per incuriam relinquamus in manu ſortis ſanationem, ſine conſideratione Archei (qui cruda exiſtente materia ſedatus per *chinam tollit febrem*) ſæpè *ſæpiùs* ægri per magnas factas, vel diuturnas febres, vires omnes amittunt, & facultatibus proſtratis, interire coguntur.

Ludit ergò fermè & movet varias ſcenas febrium Archeus, atque per hunc moventem, calorificum, ſenſitivum ſpiritum, facili ratione ſingula febrium phænomena explicantur, quæ ignoratis *principiis, & ortu ejuſdem ſpiritus*, ac natura; impoſſibile eſt ut recte explicari poſſint.

Univerſum igitur ædificium febrium à nobis conſtructum, innæret veluti in lapide angulari, & ſtabili fundamento in notitia hac ſpiritus ætherei, unici in toto orbe terrarum motoris; nam cauſæ materiales febrim, humores nempè, ſunt paſſivæ, & ſine motu inſenſatæ.

Quis autem adeo inſenſatus erit, qui poſt manum à frigida nive torpe factam, & refrigeratam; Sentit, quod dum calorem recuperat, magis incaleſcit, & longè potentius; quam ſi iuxta ignem caleſacta fuiſſet; deindè dicat, veram, & immediatam cauſam caloris efficientem (& non occaſionalem) fuiſſe frigidam, ſtupidam vivem; dum re vera fuit Archeus. Idem dicatur Ex. gr. de melancolia frigida, quæ à vulgaribus cauſa febrium quartanarum efficiens ore rotundo decoratur.

Humores itaque, & liquida quæcumque ab eodem ſpiritu æthereo motum, activitatem, & efficientiam ſuſcipere debent, cum ſint elementaria, quieſcentia, ſine motu, mortua, inſenſata, ſtolida, paſſiva.

Univerſorum motuum, actionum, phænomenum atque effectuum, qui in noſtro corpore obſervantur, vera cauſa efficiens, activa, primaria, & principalis ſpiritus noſter ſenſitivus calorificus eſt, cætera ſunt ſemper paſſiva.

Sine igitur prævia notitia hujus spiritus unici motoris, (quam tradidimus in nostris 8. physicorum libris, tum in instit. *Med.* reform.) impossibile est venire in cognitionem essentiæ, naturæ, & causarum febrium, *earum*que phænomena scientifico modo (à *posteriori* tamen, & per effectus per notitiam *experimentalem*) explicare.

Quare antecessores nostri coacti fuerunt, pro reddendis rationibus horum phænomenum, ad mille phantasticas, & metaphysicas rationes confugere, quæ sensatis experimentis anatomicis, vel physicis nostris omninò repugnant.

Nugæ igitur illæ veterum, quæ de mortuo dicebantur aqueo, inerti sanguine dare viventem spiritum, moventem, actuum, vitæ munia obeuntem; relinquantur veluti anales fabulæ Æsopi, vel Ovidianæ, narrandæ nostris puerulis, quibus facilè est credere ex saxis Deucalionis, & Pirræ suos progenitores Græcorum natos. Vel ex dentibus interfecti draconis à Cadmo, armatos homines consurrexisse.

Consimiles enim fabellas narrant, qui dicunt à *sanguine* (*sine spiritu, mortuo*) exurgere viventem, moventem spiritum. A cuius deindè varia serpente agitatione in venis, vel cessatione à motu, variæ febris, eorumque varia phænomena consurgunt.

Vel quod ab antris terræ veluti volitans draco venenatus veniant exhalationes, quæ per aerem dissem*i*natæ in peste, sunt causæ, ut homines alios homines inficientes, interficiantur invicem. Non ne nobis Cadmi fabula videbitur? certò scientes desuper venire omnem motum, & formas, etiam venenorum, & pestis, vestiri verò solumodò inferiùs, veste crassa elementario.

Num igitur tempus est, ut demonstratione facta, à posteriori, tum à partium enumeratione experimentali, comprobentur, & firmo talo stabiliantur, etiam in his libris de febribus, tria solida, & fundamentalia principia, totiusque medicinalis scientificæ notitiæ, partium continentium, contentarum, & impetum facientium. Sine metaphysicis, & aereis fundamentis, naturam essentiam, & causas febrium investigantes, cum Neotericis experimentatoribus, & anatomicis.

Hoc autem fiet, si clarè, & sine ambagibus ostenderimus, in singulis febribus, nullam aliam esse causam efficientem veram, & immediatam, nisi spiritum nostrum æthereum, seu Neotericorum Archeum, consideratum quod sit soboles ætherea.

Nullam verò esse aliam causam materialem febrium, nisi massam sanguinis consideratam quidem in duobus solis succis alimentalibus; sed qui corrupti, & alterati, in plurimos febriles succos mutantur, & corrupuntur.

Nullius verò inter partes continentes esse alias latebras & mineras febrium nisi officinas, in quibus à facultate Naturali Vegetativa celebrantur, ac depurantur succi nutritii, quæ quidem instrumenta, nomine universali glandulæ seu viscera abdominis appellantur; Quorum omnium usum penitùs à nobis immutatum fuisse, & alienum esse ab usu antiquorum, satis constare poterit legentibus nostros libros anatomicos Antrographiæ, tum libros instituț. medicinæ reformatę.

Nunc tempus erit igitur, ut scientificam aquirere medicinæ notitiam anhelantibus, desiderium expleatur. Nisi enim noctuarum more sponte cæcutire voluerint, lumina experimentorum fulgebunt, meridiana luce clariora. Falsitates namque principiorum Aristotelicorum, & Galenicorum, Anatomicis, tum spargyricis, & Mathematicis, in octo partibus matheseos (staticæ, hydrostaticæ, opticæ &c.) eruditis; jam satis dilucidatæ sunt per physosophiam experimentalem. Ita ut pudor sit in hoc sæculo illuminato, adhùc in somniis antiquorum dormitare velle.

Loquor igitur cum instructis in physosophia experimentali, & cum illis, qui colent principia nostræ anatomes reformatæ, tum principia in instit. med. refort. exarata. Pro illis enim, qui Judaica perfidia obstinatione convinti in jam damnatis sententiis perseverare volunt, vix salus speranda est, quare meliùs est pro istis, ut tempus frustrà non terant saltitando per capita, & abnuendo, ac irridendo occurrantèr, oblatas propositiones nostras; sed abstineant omninò à lectione nostrorum librorum, nisi priùs examinaverint exactè nostra principia.

Secùs si principia nostra Platonica experimentalia confundere, & miscere voluerint cum falsis detectis principiis Aristotelicis, eveniet ei, id quod per irrisionem olim dictum fuit à Torquato Tasso; de quodam malo Christiano.

Confondeva due leggi, à se mal note.

Sic enim dum in bivio, & in ancipiti via versantur isti clarè ostendunt, se fundamentalibus principiis indigere, in quibus artem suam fundare possint; sed hæreticorum more, modò ad unam partem, modò ad alteram nutare coguntur, vellint, nollint; à multitudine, & varietate principiorum, quæ jam sole clariùs innotescunt distracti, ex.gr. circulationis sanguinis; sanguificationis in corde, & non in hepate &c.

Quare invitantur isti ad philosophiam nostram experimentalem Platonicam legendum sedulò, & ad considerandà in ea, facta Neoterica certa, & confirmata experimenta; potissimùm in libris de gener. & corrupt. tum de anima.

Deindè nisi veritatis dulcedinem se gustare non posse dicant, tunc se à legendo abstineant, & in lectum se recipiunt, certum namq; indicium erit, quod mente laborent. & maligna Invidiæ sit febris, quæ gustum, & linguam pervertat, & corrumpat.

Sana verò mente constantes, veritatis siticulosos, ad Pithago-Platonicum fontem in denuò excavatum, & repurgatum invitamus. Ibi enim haurient veram scaturiginem Archei, & universalem adesse animam mundi, seu spiritum æthereum cognoscent, omnia sublunaria moventem agitantem, ac informantem.

Vitam quoque, & nutritionem, pari passu procedere; tam in ortu, quam in interitu. Ideòque objectum medicinæ, quod est sanitas, & vita, circà salus nutritivæ potentiæ vires, & ejus excrementa verversari, & circà impedimenta illius removenda.

Cordis autem, cerebri, hepatis, lienis, & denique viscerum omnium usum alienum esse, ab antiquorum notitia. Massamque sanguinis ex pluribus quidem liquoribus constare, verumtamèn duo tantùm liquores, nutritivæ potentiæ inservire, cruorem, & serum alb, cætera excrementitia esse.

Necessariam denique esse Vitæ, & sanitati non solum sanguinis circulationem; sed & aliorum humorum in aliis vasibus, & per alias vias circulationes &c.

Tunc enim apta, & concita ratione, juxta veritatis rectam interpretationem, divini senis Hippocratis oracula interpretari poterimus; atque abjurabimus falsas Metaphysicas, aereas interpretationes Galeni, & Galenicorum, qui physicam cognitionem speculationi potiùs, quam experimentis tradentes, sententias protoparentis medicorum Hippocratis in falsum, & alienum sensum detorsere; cum densissima artis caligine, & obscuritate, propter quam antecessores nostri magis oculati, & sapientiores,

res, in opinionem venere, medicinam esse cœcorum artem, (scilicet tentandi, ac palpandi viam) omninò incertam, sine Veritatis luminibus, quam ideò dicebant conjecturalem.

Nos verò præ lucentibus innumeris facibus celebrium experimentatorum nostri sæculi, non inficimur appellare hodiernam medicinam scientiam physicam, procedit enim nunc per principia certa, vera, & causas conclusionum, factarum à posteriori, tum enumeratione facti experimentorum, quæ pro demonstratione sufficiunt.

Quatuor enim qualitates, quæ etiam accidentia physica dicuntur, erant quatuor veluti columnæ, & quadrata fundamenta, in quibus ædificata fuit tota antecessorum nostrorum scientia medicinalis, aerea; quæ nubium ad instar ad aspectum solis Cartesianæ veritatis atomorum, disparere coacta fuere, dum cuncta quæ nomine qualitatum veniunt, necessariò ab atomis, seu molleculis provenire convincit, & esse substantias physicas, reales, materiales, & non metaphysica, abstracta, & separata omninò à materia, ut sunt accidentia metaphysica ex. gr. esse musicum, esse astrologum, &c. ideoque materialia, sensata existentia, cadunt sub sensibus.

Sic paritèr spiritus noster æthereus, tum ea *quæ* maximè spiritualia esse *videntur*, *suam* materialitatem possident ex. gr. venena, vel pestis ipsa, suo corpusculo in quo inhabitet gaudet. Spiritus igitur vitæ noster, sua materialitate non carens, agit, tum patitur, fugando, vel succumbendo venenis, seu causis morbificis. Provt claro satis experimento, in lue venerea contemplari possumus.

Duo enim fuere nostris sæculis experimenta celeberima, quæ sufficere possunt, pro quibuslibet pertinacibus removendis à doctrinis præcessorum nostrorum, & nos impulerunt, ad stabiliendum pro vero, & infallibili principio, quòd Archeus, seu spiritus vitæ sit verum principium, & causa efficiens universorum morborum, provt antecedentèr ex libro de flatibus Hippocratis observari potest adumbratum.

Observavimus enim, quod à veneno congeneo spirituoso Gallico semel contaminatus Archeus, varijs postmodùm exorbitationibus, sit causa universorum morborum intemperiei, malæ conformationis, solutæ unitatis, & omnium unico verbo, nullis exceptis.

Id quod etiam sanatio clarè ostendere potest; si enim exhibeatur alexipharmacum, quod tollat contagionem illam spirituosam, in spiritu nostro vitæ introductam, infallibitèr, singuli quique morbi tolli poterunt, & non alitèr, neque vllo alio quovis remedio alterante; vlcera, gumata, dolores, febres.

Alterum fuit recentissimum auxilium inventum chinæ febrifugæ; certa namque, & infallibili experientia compertum est, quod febres omnes tertianæ, quartanæ, & aliæ (exceptis venenatis pestillentibus, quia alexipharmacum non est) recto seu vsu tolluntur; quod non contingeret si causa immediata, & efficiens febrium esset modo melancolia, modo bilis, modo pituita, vel alii centeni varii inter se humores, & non unicus spiritus noster colorificus, qui unicus motor, & promotor, est fermentationis febrilis unica causa efficiens, quo cessante, & ad naturalem suum motum redacto (remotis ejus impedimentis) cessat omnis febris, scilicet omnis febrilis, calorifica fermentatio ab eo proveniens.

Hoc igitur modo philosophantes, poterimus ad sapientissimi senis Hippocratis doctrinas, & ad oracula ejus interpretanda accedere Librumque ejus de flatibus Platonica interpretatione sola dilucidari posse cognoscemus est non pessimo Galenicorum more, de flatibus interpretabimus, qui (bona venia) deorsùm, vt plurimùm tendunt, & deorsùm oriuntur, non verò de eis, quorum natura, & origo est desuper ab astris dessumpta.

Hæc deindè est causa, quòd in frontispicio nos præsidem Consilii nostri de febribus voluimus Hippocratem, qui nullum alium, mihi unicum vitæ, & mortis causam, febrium, & morborum omnium auctorem, vel sanatorem agnoscit hunc spiritum.

Qui veluti in varia membrorum scena, varia inductus veste humorali, varioque motu, & gestu, variam genero personam videtur, & tamen actus universos solus ludere reperietur.

Interim iuxtà diuini senis mentem, serum alb. nostrum, esse veram *pituitam Hippocraticam*, jam ostendimus, dum acidum incrostatum in præternaturalem succum mutatur. Atram verò bilem, seu melancoliam, à nobis iusta ratione appellari mulum melancolicum; quia non constituit realitèr aliam peculiarem humoris speciem, sed est quodam compositum, ex assato cruore, & ex sero alb. acido corrupto. Cujus quoque ortum, & naturam, à nobis recentèr detectam *fuisse* per observationes sparsim factas, *in libris* Hippocratis fatemur.

Lymphæ legitimum usum, nempè culinarum lotricis, & vehiculi alimentorum, eque ac excrementorum, à nullo alio, quam à nobis demonstratum fuisse scimus; massamque sanguineam ex tribus tantum liquoribus in statu naturali conflari; quorum tamen duo sunt alimentales, tertius verò, qui est lympha, pro vehiculo universali aqueo tantummodò inservire posse diximus.

Excrementitii enim liquores, qui præternaturales in venis, massæ sang. confundi possunt, atque varias alterationes, & febres causare valent, vltrà sexdecim jam enumerantur in nostris instit. med. ref.

Geneologiam quoque *fellis*, *seu bilis* genuinam *descripsimus*, eiusque vtilitates, & innocentissimum naturæ usum, in medium attullimus, nihilque esse aliud diximus, nisi fuliginem adusti cruoris, per cordis calorem. Quæ enim dicuntur degeneratione bilis vitellinæ, poraciæ, circà stomachum in primis viis, & alibi, sunt nugæ pueralis recitandæ, & à viris doctis irridendæ, qui sciunt *combustionem* cruoris, & *fuliginem eius*, in solo cordis foro celebrari posse.

Circulationes quoque varias liquorum variorum fieri, & non solius sanguinis, claro sermone ostendimus in dictis libris. Quare nisi lector in his probè instructus fuerit, nos somnia narrare chimerica, & immaginaria dicet; dum tamen ne verbulum unum reperietur, quod suo loco, ab oculari notitia, anatomica, vel ab experimentalibus physicis testimoniis comprobatum non sit, vel ab octo partibus Mathematicæ, scilicet statica, hydrostatica, &c. vel etiam à spargiricis notitiis, vel historicis, & aliis denique phœnomenum certis observationibus à Neotericis factis.

Nostris igitur principiis physicis potissimum, & anatomicis hærentis, eadem universæ nostræ praxi medicinali (de morbis capitis, pectoris, ventris. Universæ chyrurgiæ. His libris de febribus, & demum de morbis mulierum) *veluti* pro firmis fundamentis hæc substernimus.

Principiis enim Aristotelicis, & Galenicis *quatuor* primarum qualitatum, impossibile est demonstrare posse *quæsita* generationum, corruptionum, alterationum, & motuum.

Potiùs enim pro explicandis demonstrativè qualitatibus omnis generis, inserviet *doctrina* Democritea Cartesiana de atomis, & molleculis.

Pro explicanda natura varia compositorum, & componentium, diuersæ indolis, maxime inserviet doctrina Hermeticorum, de sale, sulphure, & mercurio, quam Neoterici illustraverunt, recentissimè verò Thom. Vvillis & alii &c.

Pro explicando vero modo, & instrumento alterationum, mirificè inserviet doctrina saporistarum, de *Acido* & Alkali, quam illustravit Tachenius *suo Hippocrate chimico*, tum sua luæ, & denique *Sylvius*.

Pro explicanda natura universali genitorum, & alteratorum, mirificè inserviet doctrina antiqui Taletis, quam tenuit noster Hippocratis (nempè ignis mollis, scilicet spiritus æthereus, ut forma, & aqua coagulabilis ut materia) & quam illustravit Paracelsus; sed magis Helmontius ejus discipulus, proposito Archeo, quem nos clarè dilucidavimus per spiritum, nostrum æthereum, igneum, calorificum, motorem unicum inter sublunaria.

Quare lector non expectet me Aristotelicum, Cartesianum, Hermeticum, saporistam, vel simpliciter Helmontianum, jurare velle in verba magistri. Nam Scepticus, sincero pectore veritatis amore conflagrans, si aliqua invenero quæ certis, & comprobatis experimentis repugnent abiicio, ita ut quandoque præceptorem ipsum Platonem relinquam, atque reformato Aristoteli; annam experimentis physicis potiùs Neotericorum aquiescens, physicamque experimentalem constituens pro judice.

Atque iuxta rei quæ offertur naturam, modò Cartesii, modò Hermetis, modo saporistarum principiis utimur; quæ tamen non repugnent nostris, imò eadem illustrent, & confirment. Accomodare enim intendimus rationem experimentis, & repudiamus rationes, sine experimentis, & quæ rationem confirmare non possint.

Sine igitur notitia clara nostrorum principiorum *experimentalium, in physicis libris jam* exaratorum, nemo poterit guttare veritatis in universa nostra praxi exaratas, & potissimùm in hoc libro de febribus, in quo firmiter constabit, *non* dari integram mutationem, per novam formam ideatam (quæ solis animatis, viventibus competit) totalemque transubstantiationem humorum; sed alterationem tantumodò, & mutationem diversorum accidentium, in eodem subjecto, *seu humore, qui* deinde variis nominibus insignitur.

Sunt enim tres tantum *liquores* præcipui massæ sang. ex quorum varia alteratione, plurimi alii humores febrium, & morborum variorum causæ materiales, consurgunt.

Alter ruber, nomine cruoris, qui calidas, sulphureus, ignibilis, destinatus est à natura partes rubras carnosas omnes nutrire, & augere, qui in corde, & in vasibus ejus elaboratur, cujus etiam singulo die pars tenuior, ac vetustior, in corde inflammata, vertitur in bilem, in cujus gratiam institutum est, magnum vicus hepar, vbi titulo fellis segregatur amarulentus liquor, à dulci nutritia massa sang. ut deinde pluribus usibus naturæ necessariis inserviret.

Alter est aquei formis, frigidus humidus liquor, naturæ tamen concrescibilis, qui ideò indiget diluente pedissequam lymphnam, secum semper habere (scilicet purissimam tenuissimam aquam elementarem) secus à calore vndique concreiceret.

Atque liquor iste in cerebro elaboratur, destinatus pro nutritione partium spermaticarum; præternaturali autem calore, concepto dum impeditus, stagnare cogitur, facilè acescit, & præternaturalis fit (ut omnibus iuiculis carnium, vel liquoribus dulcibus fructuum contingere solet) & dum incrassatur ab acido, adeò decantatam pituitam Hippocraticam constituit; & aquam morbosam.

Ne autem vltrà mensuram talis succus acidus excresceret, natura constituit ipsi varia incernicula; sed præcipuè lienem, pancreas, & depuratorias abdominis glandulas; quibus deinde miniitrant innumera vasa lymphatica.

Præcipuè tamen exoneratur mediante pancreate in fine intestini duodeni, ibique cum felleo succo (altero pugili Sylvij) initur decantata lucta, qua mediante perficitur in tertiam naturam transiens salinus chylus, qui à fæcibus alvinis, & vrinosis depuratus, ad cor transmittitur.

Manentibus itaque his duobus liquoribus nutritiis in sua naturali puritate, & in debita quantitate, & qualitate, felicia vitæ, & nutritionis cum incolumitate munia perficiuntur.

Sed si fortè Fortuna, à sex rebus præcatharticis, una ex duabus officinis (cordis, vel celebri) malè afficiatur, & excrementa ex. gr. cruoris redundent, impedita, ne secerni atque mediante hepate expurgari possint; tunc per venas circulando iterum regurgitant ad cor, & fieri solent febres tertianæ, quæ tandem à dulci sero alb. frigido concomitato à pedissequo lympha, seu aqua, ferocissimus, igneus febrilis liquor, Marti assimilatus, à duabus his mollibus fœminis circumventus mitigatur; tenuissimusque ac vehemens existens, citò, dilutus sibi vias aperit ad exitum.

Sed si tanta sit bilis, vel talis sit malignitas, ut non solùm cor, & ejus cruor afficiatur; sed etiam cerebrum, & ejus serum alb. inficiatur; tunc non invenitur amplius in corpore, supra illos nutritios, mites liquores, alius mitior liquor, qui totius massæ sang. incendium, & bilis conflagrationem violentam moderari possit; quare nutritio omnis pessundatur, necessariaque membrorum nutritio, seu restauratio dum perit, secum vitam perire necesse est.

Indè vera ratio deducitur, cur febres ab initio mites in progressu malignas fieri observamus; tracto scilicet in consensum cerebro, & malè affecto sero alb. nutritio, inde enim delyria ab eo summaque debilitas virium; summa emaciatio, & facies Hippocratica, nutritione, & viribus stomachi languentibus, visceribusque depuratoriis naturali facultati inservientibus labefactatis.

Inter cætera notabilia, hoc quidem erit, quòd vitæ, & sanitatis thesaurus, est quidem massa sang. sed quia ex duplici substantia constat, quarum una est nobilior, & copiosior altera; Natura quandoque prodiga cruorem (partem minus nobilem, & copiosiorem) profundit hemorrhagiis; Vel præternaturaliter eum accendit, & in bilem vertit. Ideòque homo, & leo notante Plinio facillimè in febres feruntur, ob copiam calidi, ignei cruoris, facile accendibilis.

Atque in extrema quoque senectute, homo plurimum de cruore generat; sed minimum de sero alb. secùs si ad libitum copia magna seri alb. in senibus generari posset; jam inveniissemus artem procrastinandi ad libitum vitam; sed natura dat ad mensuram nutritios humores, eoque accomodat potentiæ & viribus nutritivæ facultatis.

Sufficiatque medico ostendere desiderantibus vitam longævam, & senectutis prorogationem, quòmodò in sex rebus non naturalibus se gerere debeat, ut tum habeat de generatione, & restauratione seri alb. spermaticarum partium nutritii, & veri conservatoris humidi radicalis provt docui in libris de Conf. valet.

Tale igitur serum alb., ad mensuram aptam in

nobis

nobis genitum, contrariæ naturæ cruoris, frigidus aqueus humor, cum pedissequa lympha, destinatus, ut attemperet calorem terrestrem, igneum cruoris, est causa, ut massa sanguinea attemperata; præternaturaliter non excandescat, & ignitatur, sed cordis elychnium vitæ (ut in lampade Ecclesiarum) ardeat moderatè, per aquam oleo admixtam.

Factum indè est, quod homo, in febribus, & in morbis acutis, non habet aliud magis proportionatum auxilium, quam serum alb. cum pedissequa lympha, ad incendia bilis moderanda, vel extinguenda, attemperando, an frænando cruorem.

Quòd si fortè fortuna lympha à vehementi calore à venis sanguifluis propulsetur, vel insensibiliter resoluatur; tunc serum alb. sua diluente lympha destitutum, à calore incrassatur, corrumpitur, & alteratur adeò, ut fiat ineptum attemperationi cruoris, & nutritioni partium spermaticarum; sed loca ad quæ defertur invisicando, & stagnando hinc inde, est causa mortis.

Percurantur igitur in his libris universæ febres, tum morbi acuti, vel cronici in nostra praxi exarati, atque reperietur, quod non moritur homo, nisi postquam serum alb. nutritivæ facultati amplius inservire non potest.

Quare tedio esse non *debebit* lectori, benè perpendere, originem, naturam, & usum seri alb. nostri inventi, exarati in libris anatomicis, & instit. med. refor. ea certa spe, quod si noverit impedimenta removere, (quibus serum alb. depravatur) & illud optimum nutritium conservare, vel malè affectum restaurare, tunc se alacriter ad universos morbos sanandos accingere poterit.

Hæc deinde fuit causa, quod in universa mea praxi ostenderim, omnes morbos (exceptis febribus, & morbis acutis) fieri, vel foveri a sero alb. Quod quidem paradoxum qui non credit, attentius legat phænomena vbique exarata à nobis, & explicata, *quæ sunt fidelia veritatis testimonia.*

Hæc adhuc fuit causa, cur adeò profusus fuerim, vltra aliorum scriptorum morem, in instituenda optima victus ratione, in singulis morbis, quia summa sanationis spes consistere debet in procurando optimo chilo, ut ex eo optimum serum alb. celebrari possit, à quo concoctio deinde humorum, seu dulcificatio, attemperatio (maturatio dicta) procedere debet, à nullo enim alio liquore nostri corporis, dulci, blando, nutritio, naturæ amico, nisi à sero alb. talis maturatio sperari potest, ejus namque attemperatione, pessimi quique liquores mitescunt, & expultrici, veluti ligati obedire coguntur, provt claro exemplo de confectione puris, in nostris chyrurgicis libris ostendimus.

Constat autem, stomachum esse veluti campum, arenam, & palestram certaminis febrilis, in omni enim propemodum febri, statim ab initio, carnes aversantur, & appetentia claudicat; imò carnes, ova, & consimilia in stomacho corrumpuntur, & cadaverantur, debito acidiusculo stomachi fermento privata, inde varii vomitus, & viscerum effectus.

Summa namque felicitas esset, in curatione febrium, posse ad libitum probum chylum generare, tunc enim spes esset probum quoque serum alb. generari ad libitum posset, quo febres omnes sanarentur.

Jam in præcedentibus partibus pathologiæ ostendimus innocentissimam bilem culpari esse morborum causam, & tamen solumodò concurrit ad morbos inflammatorios, dolorificos, febriles, coacta per vim, & quam ligata à pituita viscida, ut in observationibus nostris clarè patebit.

Sed in nostris libris istis de febribus, ostendemus, quod à prædominio bilis febres omnes acutæ proveniunt, hepatis vermiculo, & viis bilis evacuationis impeditis à sero alb. acido incrassato obstruente, atque impediente; tunc enim bile ligata, seu mixta cum lucco acido incrassato sero alb. fiunt febres longæ vel quartanæ.

Ita ut nugæ scriptorum sint, quod dentur aliæ febres præter has duas, acutas, & chronicas. Omnes enim, vel sunt de genere tertianarum, vel quartanarum, quia scilicet duo tantum sunt liquores in genere; cruor calidus igneus, serum alb. frigidum, aqueum.

Ipsa quoque febris ephemera, rigorosè considerata, est de genere tertianarum, quia scilicet per impetuosum spiritum, & massæ sang. motum turbatum, *impossibile* est copiam solito majorem cruoris non comburi, bilem non resultare; in qua consistit causa materialis immediata, & propria febris.

Ideò enim cessat citissimè, & intrà horas ephemera (non quia solus spiritus passus fuerit) sed quia in pauca quantitate genita bilis, & non impedita, facilem etiam invenit, ad exitum per sudorem, vel per alias vias.

Hectica autem est *de genere febrium cronicarum, quæ semper* sunt, ab admixto sero alb. frigido, aqueo, cum bile ignea; indè tanta macies in eis observatur (ob serum alb. corruptum) ut ipsæ partes spermaticæ contabescant, & ossa exarescant, sine medulla.

Apellamus igitur ad tribunal veritatis, sententias latas a Galeno, & Galenicis de febribus; quærentes, de mala interpretatione Hippocratis, qui 4. sect. aphorismorum, nobis veram febrium naturam, causas, & prognostica tradidit, atque ipsarsim ostendit nullas alias esse febres, quam quæ à bile sincera, vel à bile, admixta pituitæ fiunt.

Cæteræ enim quæ titulo lypiriæ, hemitritei, syncopalis, laticæ, vel *alius nominibus veniunt; sunt febrium illarum* duarum, mera symptomata.

Penès prudentes, & eruditos medicos nostrorum sæculorum desperata res est, per principia Galenica, quaternionis humorum, qualitatum primarum, &c. problematibus omnibus, quæ à natura in febribus medico proponuntur, atque phœnomenis singulis earum satisfacere posse.

Quare inlurexere viri principes in medicina, qui novis suis principiis conati sunt, febrium phœnomena ad sua principia trahentes, explicare.

Cartesiani enim per minimos variæ naturæ atomos, cuncta febrium problemata conantur explicare.

Hermetici per sua tria principia salis, sulphuris, & mercurii, quibus addidit Paracelsus etiam variæ naturæ tartara genita. Thomas autem Vvillis præter tria illa principia, addit spiritum, & terram.

Sylvius principia febrium omnium duos solos facit esse pugiles, in intestinis tenuibus, perpetuò invicem luctantes, acidum scilicet pancreaticum, cum felleo succo.

Jo: autem Helmontius per solum Archeum omnia solvere nititur febrium symptomata, & accidentia.

Nos autem quia multa disparata inter se, & omninò diversa symptomata febrium esse observavimus quæ necessariò à disparatis, & omninò diversis causis provenire necesse est, ideo confugere ad fundamentalia principia in anatographia nostra, tum in instit. med. reform. coacti fuimus, scilicet in omnium viscerum immutato situ.

Tum in circulatione sanguinis, & aliorum seorsim humorum.

Tum in invento nostro seri alb. spermaticarum partium nutritii, in cerebro elaborati.

Tum in triumviratu massæ sang. & aliis plurimis

minoris

minoris notæ principiis, *in nostra* physica reformati Platonis jam exaratis.

Quibus omnibus *doctrinam* nostram de febribus, à fundamentis *fermè* novam stabilivimus; desumptis explicandis *oraculis* in septem sectionibus aphorismorum *traditis* à divino sene, & alibi etiam à nostro *proto*parente medicorum Hippocrate per nostra *principia* hæc.

Ibi enim quilibet exactam febrium omnium notitiam haurire poterit, & observabit, quòd duas tantummodò facit esse febres, tertianam scilicet, & quartanam, quotidiana enim, & aliæ omnes ad illas duas reduci possunt; neque alia ratione differunt, quam accidentali, ratione scilicet variorum symptomatum.

Interim à principum antecessorum, doctis, eruditis, & veris observationibus, atque experimentis, aures nostras non declinavimus, sed eisdem sepè vtemur, pro solvendis phœnomenis, iuxta rei exigentiam.

Plurimasque & æternas gratias eis deberi fatemur, qui laboribus, experientiis atque lucubrationibus *suis veluti accensis facibus, hæc sæcula* in nocturnis tenebris antiquorum dormitantia illustraverint, nobisque & posteris ansam dederint ad invigilandum cum eis.

Erunt igitur nobis dicta Hippocratis in septem sectionibus aphorismorum, veluti pro signo, & scopo; Atque *si mea* principia eis quadrare, & ad centrum collimare observabuntur, grato animo suscipiantur.

Secùs se accingat lector ad excogitanda aliena principia à nostris, quæ concordent cum doctrinis Hippocratis, & clarius explicent *observationes* nostras, atq; phœnomena experimentalia; nimis enim clarè constat Galenica principia esse sine observationibus *anotomicis*, sine physicis experimentis, ideòque impossibile esse, ut quadrare, atque centrum veritatis attingere possint.

Si enim plurimæ essent physicæ veritates, liceret cuique sua excogitata ad placitum profere; sed unica est; ideóque angusta res est, veluti linea, quæ ex indivisibilibus alijs Veritatibus constare debet.

Læto igitur animo oculos intendamus ad lumina Hippocratica, & ad *diuini* senis oracula rectè interpretanda, olim enim erat proverbium; supra Hippocratem philosophari dementia est, ut benè notat Prosp. Martianus in iudicio suo facto librorum Hippocratis.

Non est tamen nostra intentio, neque finis, doctrinas omnes Galeni, & principum in arte virorum disputando de ponte deiicere; sed contendimus propositionibus putridis, ac falsis vindemiatis, exprimere à singulis magnis auctoribus, dulcem, ac elaboratum succum, sanorum lectorum palatui gratissimum; Quid enim insani dicturi sint, parum curamus, & incurabiles esse relinquimus, Xenodochio dignos.

Inveteratas ergo sanas præcessorum & approbatas experimentis doctrinas, magis illustrare, & explicare sine contentionibus, & in pace allaborabimus. Neotericorum dogmata, atque experimenta, sine invidia, sine æmullatione maligna, in medium afferendo, auctorum nominibus non derogabimus; contenti solvendò, vt in consilio nostro citati comparent.

Veterum quoque semitas calcantes, nomina febrium, symptomatum, & alia, his nostris libris immutare nolimus licet rationabiliter immutari potuissent, non alia sanè ratione, nisi ut venturi post nos, intelligere possent, quid ex.gr. pro hemitriteo, phiala, latica, lypiria, &c. veteres intellexerint.

De cæteris quæstiones de nomine, gramaticis, & logicis disputationes relinquentes, à via non declinantes, recto tramite tendimus per physica, vera, & experimentis confirmata principia, essentiam, causas, & phœnomena febrium ostendere, ut rectas postmodum indicationes, & curandi rationes assequi possimus.

Circa naturam febris, ne lato quidem vngue recedemus à doctrina Hippocratis, qui unicam esse febris naturam stabilivit; sed duplicem habere causam, scilicet externam, & ab æthere, pestem. Vel internam à malo regimine invictu.

In exarandis auctorum sententiis, laudabili, & rationabili ratione, aliquandò verbula addidi, quæ obscuram mentem auctoris, vel propositionem magis dilucidarent.

Nunc occasione febrium tempus erit ostendendi veritatem paradoxorum, exaratorum in librisnostris de Anima; quòd nullæ aliæ sint causæ materiales morbificæ; à quibus fiant, & foueantur morbi, nisi illæ quæ versantur circa instrumenta læsa facultatis nutritivæ.

Nullaque alia sanatio, nisi quæ fit mediante probo sero alb. videlicet mediante proba nutritionis re integratione. Ideoque medicina olim dicta fuit ab *Hippocrate additio, & detractio.*

Absque enim multis metaphysicis excogitatis, medicus nil aliud in mente voluere debet, quandò ad ægrotantem accedit; nisi vt ab eo excrementa, seu impedimenta illa removeat, quæ nutritivæ potentiæ sunt causæ, ut muneribus suis satisfacere non possit. & procuret aptum serum alb. quo spermaticarum partium nutritio claudicans, rectè incedere possit. Vita enim, & nutritio, fermè duobus pedibus pari passu procedunt.

Observabile igitur erit, quòd vita interire non potest, (exceptis illi qui interficiuntur) nisi priùs instrumenta nutritivæ potentiæ labefactata, sint causæ, *ut nutritio quæ singulo die, singulis membris* necessaria est, labefactetur, quòd facilè à partium enumeratione colligere possumus.

Nam si agatur de febribus, & per consequens, de omnibus morbis acutis, homo interire non potest, nisi effugiente spiritu æthereo, ab vxore corrupta, scilicet à massa sang. deindè id quod in cordis vasibus residuum est, sufficere non possit nutritioni corporis.

Idem omninò est de morbis capitis omnibus, quia spiritu fugato, serum alb. spermaticarum partium nutritium, fit omninò nutritioni ineptum.

Idem de morbis pectoris, qui massam sang. ibi præcipuè in tot vasibus circulantem corrumpunt, atque nutritioni invtilem reddunt.

Idem est de morbis abdominis, vbi sunt tot instrumenta elaboratoria succorum nutritiorum, adeò ut, penes me mirum sit, quod homo vivens, & animatum automa (secluſa anima, quæ immortalis destinata est ad alium vitam) veluti ex variis mobilibus rotis constitutum; primam rotam habet in stomacho, cui plurimæ aliæ subordinatæ sunt,

Mirum inquam, quod adeò tardè, scilicet ad decrepitam senectutem, vigesimam quartam horam, & extremam diei pervenire possit. Undique enim à mille causis rotarum motus impediri potest; una autem rota à munere suo deficiente impossibile est, perfectè horas monstrari posse.

Sic pariter uno magno depuratorio viscere impeditò, à munere suo; impossibile est sanitatis perfectum statum haberi posse. Imò etiam per tumores, vlcera externa, &c. non morietur homo, nisi postquam massæ sang. duo liquores nutritii jam corpori nutriendo inepti facti fuerint.

Mo-

Moriuntur enim ab universis morbis acutis homines, postquam corruptio cruoris, transit ad corrumpendum serum alb.. Cujus rei testes sunt amplissimi, affectus cerebri, & nervosarum partium, qui in febribus malignis, & in morbis exitialibus acutis, statim à principio non fiunt; sed solumodò postquam maximum incendium conceptum est in cruore, deindè transit in proximum serum *alb.*, quod domum,& officinam suam depravatum subvertit.

Ideò solumodò in progressu, vel circà finem vitæ delyria consurgunt, soporosi affectus, convulsiones, & alia, &c. quæ declarant corruptum esse serum alb. cerebrum verò contaminatum, partes verò nervosas suo dulci blando succo nutritio destitutas; atque loco ejus, impurum excrementium succum irrigatorem esse, quare fibrillæ nervosæ viscerum, & membrorum, suis muneribus obeundis impotentes fiunt.

Contendimus igitur vera, & scientifica ratione per physicas observationes, per anatomicas, & spargiricas experientias, ostendere demonstrativè causas, rationes, & essentias febrium, & earum symptomatum. Atque sic clara, & sine confusione nostra doctrina erit.

Et larvatas esse speciosa forma febres sub vario nomine quotidianæ, hemitritei, lypiriæ *ostendetur*, &c. quæ in confusionem, imò *in* desperationem medicos posuerunt, exactam, & veram notitiam febrium omnium haberi posse, multo verò minus singularum curationem.

Ostendemus ergo ab unico fonte tot rivulos provenire posse. Curationis verò difficultatem, imò impossibilitatem ab incautis, & vulgaribus medicis reputatam, infallibili chinæ febrifugæ testimonium convincit.

Imò quandò in principio materia febrilis adhùc cruda est, legitimum tempus chinæ esse (contra eorum iuratum dogma) nam ex. gr. jam progressa ad hecticam, vel malæ moris febrem, & pessundato Archeo, *vix invenietur certum auxilium*.

Si autem à multiplici causa, ac fermè innumerabili febris oriretur, unico certè remedio impossibile esset ut febres omnes in principio sanarentur provt clare Deo dante ostendetur.

Hæc pariter fuit causa ut inscriberemus in titulo, & frontispicio: De febribus, & de morbis acutis in genere, quorum omnium unica causa efficiens primaria, & immediata spiritus noster sensitivus (Archeus) est, causa vero materialis est semper massa sang.

Scio quod hæc paradoxa sciolis prima fronte videbuntur; sed tamen si quis sapiens, & in experimentis Neotericis versatus dignatus fuerit, non perfunctoriè, sed attente universos hos libros legere, & considerare, fatebitur deindè nos veridicos fuisse. Ad quod opus, jam in gratiam benevolorum lectorum, me accingere incipio.

Medicamentum nostrum Catholicum febrium, seu Caduceus Mercurialis. Quo sopitis capitibus trium Draconum, Fit theriacalis panacea febrium *omnium*,& *morborum* acutorum.

Post destillationem Ignis Artis traditi in proemio chyrurgiæ nostræ, &c. tribus *vicibus* hoc caput mortuum trium draconum pulverizatum, cum spiritu nitri destilletur ad siccitatem.

Deindè tribus vicibus fixetur,cum ana salis nitri, eadem ratione qua fit stybium *diaphoreticum*, &c. *singula*, *vice* edulcorando.

Sensibilitèr, & insensibilitèr, ad miraculum sanat. Dosis scrup. j. & vltrà.

LIBRI

LIBRI PRIMI.

De febribus in genere, & de morbis acutis inflammatoriis.

CAP. PRIMVM.

Reduli gentiles Græci, ac Romani, febrem in humanum genus sævientem, Deam esse rati, sacella, & templa in honorem ejus erexere, eamque dignam holocaustis, & thurè reputantes (penès Valer. Maximi factorum memorab. cap. 5.) maxima veneratione colluere.

Non tamen benigna Dea, sed inter Auerni furias, Tesiphonis facem in manu gerens à Praxitele Statuario piaculis exorandam, omnibus terribilis, nulli parcens sexui, pulchritudini, aut ætati effigiata fuit.

Hęc veluti umbra, corpora nostra infirmata, toto vitæ cursu, infatigabilis sequitur, ut neminem tandem, sine febri mori permittat.

Hæc est quæ superis, & inferis invisa, penès Lucretium, equè regum turres, & pauperculorum tuguriola, peregrinans undique ingreditur, & igneo non laneo pulsat pede.

Hæc est illa pessima sagitta, quæ ex mortis pharetra solita dessumi; maximam viventium partem transfodit.

Familiaris morbus, qui urbes, castra, & rura depopulatus, mortis arcas, ejusque tumida cæmiteria, distescere, & pinguescere facit.

Febris itaque nomen, à verbo ferveo penès Latinos dessumpsit. Dicta fuit Pyretos à Græcis, quia Pyros ignem significat, atque incendium; cujus genealogiam ut altiùs repetamus sciendum est, quòd

Inter divini senis, quæ nobis memorabilia debent esse, illud est libro de flatibus exaratum sic: *Vitæ, ac morborum flatus solus est auctor, à quo omnes morbi proveniunt.*

Certa autem res est, quòd Hippocratis nomine flatuum intelligit spiritum æthereum vitę auctorem, quem sub nomine aeris, vel flatus aerei describit, à quo solo vita, mors, & morbi omnes proveniunt.

Si etenim de nudo, & puro aere dixisset (ut Galenici perperam interpretantur) indigna Hippocratis sententia fuisset, solus enim aer sublunaris, tantis prærogativis indignus est. Nam vita omnis sublunarium, & eorum morbi universi, à spiritu æthereo aeri commixto (qui appellatur anima Mundi Platonica) calorifico, unico impulsore, & motuum omnium auctore provenire Hippocratis ibidem testatur sic: *Hic mortalibus, vitæ, & morborum unicus est auctor &c. omnes autem morbos ex hoc spiritu provenire ostendam, primò & præcipuè à communissimo morbo febris, qui omnium morborum conesere, potissimum ex inflammatione ortorum.*

Quo aureo textu, dignum se medicinæ protoparentem ostendit, dignum quoque, ut se sapientissimum ducem in notitiam febrium sequamur; duo namque præcipua ejus fundamentalia principia febris haurimus; tum quòd causa efficiens febrium unicus spiritus sit; tum quòd idem morborum omnium parens, eodem partu comitis dedit, & gemellos, febrem, inflammationem; quod est idem ac dicere, spiritus æthereus acutorum morborum omnium est auctor, & parens.

Ex quo textu deindè indistinctè caput unum constituimus de febribus in genere, ac de morbis omnibus acutis, qui scilicet patrem æthereum spiritum habent, ut causam efficientem, Matrem verò habent bile, ut causam materialem.

Nemo itaque præcessorum nostrorum has veritates Hippocraticas melius olfecit, quam Helmontius, cujus ianiores doctrinas, veluti pro dicendorum præfactione non erit invtile præmittere.

Dicit ergo Cap. de febribus. *In febribus omnibus unica causa est, scilicet Archei accensio, seu indignatio; Quare febres omnes in essentia conveniant, & solumodò per causam occasionalem distinguuntur, seu per materiam, & hospitium. Materia itaque peccans in febri, non calet ex se; sed occasionaliter, ad modum spinæ, ad cujus avulsionem sanitas subsequitur. Accendit enim se ipsum Archeus per nisum, quo cupet et materiam occasionalem veluti spinam impactam pellere.*

Archeum pariter esse causam febrium cognovi, quia indifferenter tum à refrigerantibus, tum ab aliis quibuslibet medicamentis febris tollitur, dumodò vim habeant Archæ excandescentiam, & ethimiosin sedandi.

Sic pariter nos monuit Hipp., qui lib. de vet. med. docet, frigus non esse febres, nec morbos, neque horum causas; sed causæ materiales morborum est amarum, salsum, acre, &c. spiritus verò est ille qui impetum facit in hæc, eaque movit; indignatur enim, & exurgit, dum peregrinas, non vitales particulas advenientes, a corde propulsari contendit.

Primi itaque qui has veritates, e Democriti puteo exhantlarunt fuere Helmontius, & ante illum, præceptor Paracelsus, qui ab Archeo, seu à spiritu æthereo, firma causa efficiente, & movente morbos omnes provenire docent, atque Astrologiæ dogmata comprobarunt, quæ ab astrorum configurationibus morborum omnium, imò vitæ, mortis, & sanitatis singulos motus provenire experitur. Sed quoniam

hoc

hoc altioris indaginis est, in aliud tempus (si Deus dederit) reservare mihi constitui.

Galenus à deffinitione febrium, se facilè expedivit, dicens, esse intemperiem calidam, siccam cordis, & totius corporis; neque vlteriùs *investigare* curavit, de legitimis genitoribus huiusmodi intemperiei.

Chimici sulphur in corde accensum, & universo corpori participatio, aliquo modo proximius ad veritatem accessere.

Barbite in impetuoso motu sanguinis circulantis, totam febris essentiam constituit.

Bellinus ab irato, & iritato Archeo, impetum faciente, ut vias impeditas liberas faciat, ex ortum febrium deducit.

Paracelsus impetum explosivum cordis admiratus in febri, dicit esse accensionem sulphuris & nitri, in igneo cordis foco.

Sylvius per modum luctæ fieri febrem describit; duo enim pugiles, bilis, & acidum pancreaticum, præternaturaliter effervescentes, ineunt luctam circa intestinum duodenum, quæ deindè in corde augetur & perficitur.

Cartesius concitari febres putat, per plus, vel minus turbatam sanguinis mixtionem, abataxia spiritus sensitivi (Archei) quę *pro diversitatem* particularum incongruarum ad massam sanguineam delata, febres diversificare solet.

Thom. Vvillis tract. de Feb. à fermentatione, seu effervescentia massæ sanguineæ inducta, deffinitionem suam deffumit; atque cum eo consentientes nos.

Deffinimus febrem; quod sit morbus calidæ intemperiei cordis communicatæ mediantibus arteriis corpori universo, ob turbatum naturalem motum sanguinis mixtionis, scilicet ob fermentationem massæ sanguineæ depravatam, improportionatam, & auctam, à peregrino fermento inductam, à qua spiritus sensitivus irritatus, dum massam sanguineam depurare, *& quod ipsi præternaturale, & hostile* est, separare nititur, calorem hunc febrilem, scilicet præternaturalem concitat.

Constat enim, quod febris omnis, motus quidam impulsivus spiritus sensitivi est, plus, minus excandescentis, massam sanguinis ad præternaturalem fermentationem impellentis, dum id quod æconomiæ naturali hostile est, eliminare contendit.

Morbus igitur intemperiei calidæ, & siccæ est, ad quam calor febribus, magisque tendit progrediendo.

Subjectum principale est cor, at adequatum est totum corpus; sed massa sanguinea uxorata cum spiritu vitali calorifico, est quæ totam hanc scenam complet; estque actor, & reus.

Cauſæ autem instrumentales, viscera sunt, in quorum tubulis febrile fermentum congregari, latere per tempus, inde massæ sanguineæ communicari consuevit.

Quæstio statim exagitari potest, an febris sit qualitas contradistincta à substantia, ut docent Aristotelici. Scilicet ad febris natura, & essentia consistat, in quadam reali substantia, materiali, corporea; an verò Galenico modo considerata nuda qualitas sit (quæ scilicet nullam propriam habeat substantiam materialem, corpoream) quam caliditatem appellant.

Ex. nugas esse immaginari hanc qualitatem colorificam febris, iuxta præcessorum conceptum; per nostra enim physica principia in lib. de gener. exarata, satis constare potest accidentia, alia esse realia, quæ suum habent esse reale, & verum, nempè suas causas materiales, & efficientes peculiares, & proprias.

Alia esse immaterialia, quæ non habent peculiares physicas causas; sed sunt omninò abstracta à materia, & aptiori nomine appellari possunt denominationes ex. gr. Petrum esse musicum, esse Poetam, &c. At febris quæ quid reale importat, & quæ habens suas causas efficientes, & materiales peculiares non potest esse accidens metaphysicum, ut est Petrum esse musicum.

Sed ut in nomine insistamus, fatentur Galenici febrem esse intemperiem calidam; si quis autem interrogasset, quid est intemperies; statim sine cunctatione respondebant, esse quandam qualitatem, propter quam aliquid denominatur intemperatum, neque vlterius exquirebant.

Sed nos reclamavimus *in nostris lib. instit. med. refor.* & ostendimus, quod temperamentum non est quid absolutum, & abstractum accidens per modum meri accidentis, & recedentis; sed est quid reale fundatum in tribus, nempè in partibus continentibus, contentis, & impetum facientibus, quæ diversa ratione, & constitutione inter se convenientia, illud reale, physicum constituunt, & quod appellatur *communiter temperamentum*, à nobis aptiori *nomine* dicitur complexio, quia resultantia quædam est, ex pluribus simul complexis, unumque ex his alteratum, illud alteratur.

Quare eadem ratione febrem intemperiem quidem calidam, & nos esse fatemur, sed negaviſſe accidens communi modo consideratum, abstractum à materia, prout Galenici omnes fatentur, qui subodorantes impossibile esse quod temperies, vel intemperies calida non habeat suas causas materiales, & efficientes, imaginati sunt distinctionem, per quam nobis os claudere putant.

Nempè quod alia sit intemperies cum materia, & alia sit intemperies sine materia; hoc verò exemplificantes in febribus, dicunt febrem hecticam esse *intemperiem sine materia*, *sive esse* accidens qualitativum, abstractum à materia; & sic incidunt in Scillam, cupientes vitam Caribdim;

Obscurantes hac ratione notitiam causarum, & curationem febris hecticæ, si etenim in mera abstracta intemperie calida essentia illius fuisset, sufficisset ægros mense Januarij exponere per horam extra fenestras, & *jam sanati essent*.

Quare gratias plurimas agere debemus Cartesio, & Democrites, qui hunc sæculum de qualitatibus tam primis, quàm secundis illuminarunt, clarè ostendentes quod accidentia pro meris denominationibus habita, à rebus abstracta, non esse;

Sed suum habere esse reale, physicum, nempè causas materiales, & efficientes; Ex. gr. calor, vel caliditas corpori denominat calido inherens, habet suas materiales, & efficientes causas, nempè veras, & reales particulas igneas, quæ accedentes constituunt calorem, seu corpus calidum, recedentes relinquunt illud corpus elementare in suo naturali statu frigidum.

Idem dicatur de qualitatibus secundis, ex. gr. de albedine, & nigredine, atque coloribus, quia varia positura molecularum, & lumine denominantur.

Sic durities vel fluiditas, à varia figuratione, & positione molicularum quadrata, vel rotunda, tum à spiritu movente ac disgregante, vel non resultat.

Concludimus igitur quod intemperies calida, quæ appellatur in corde, & in universo corpore febris, non est nuda *qualitas*, sed semper sive hectica, sive alia quæcunque febris, habet suas causas materiales, nempè bilem variis mixturis variam; & causam efficientem nempè spiritum sensitivum calorificum; omnibus febribus communem.

Ideòque

Ideòque bilis, est causa omnia febribus communis, quia est unicus humor calidus; cæteri autem liquores frigidi sunt, & potiùs febri contrarii, & adversi, provt in progressu ostendetur.

Quæsitum adhuc arduum proponunt illi, qui adhuc hærent in luto, luteluntor humorum Galenicorum, de motu nempè humorum. Putant enim Aristotelica doctrina ducti, quod singuli humores, quia singulas habent formas partiales; habeant quoque peculiares entelechias, seu potentias motrices.

Ex quo deindè facilem responsionem de variis febribus dabant; nam si interrogati fuissent; cur tertiana febris singulo tertio die invadit, quartana vero solumodò quarto quoque die. Respondebant statim hoc fieri ob insitam naturam bilis, quæ tertio quoque die movetur, vel ob naturam melancoliæ tardigridam, quæ solum quarto quoque die torpida movetur asinina.

Sed hic modus crassa Minerva philosophandi, jam suo loco exclusimus in nostris potissimum octo libris physicorum, vbi constituimus doctrinas Aristotelicas, in faciem doctrinarum Platonicarum, claroque lumine ostendimus hæc, disparuisse veluti essent nebulæ ad solis præsentiam æstivi.

Atque universam physicam fundatam in motu, constituimus in stabili fundamento Animæ mundi Platonicæ, seu spiritus ætherei, qui unicus est in toto orbe corruptibilis motor, & rerum forma movens, & vita; cætera enim elementata sunt, sine motu, stupida, rationem tantum materialem habentia.

Ita ut omnes motus generationis, corruptionis, alterationis, vel motus localis, proveniant omnes, ab hoc spiritu æthereo, & non à diversis innumerabilibus, & incognoscibilibus formis Aristotelicis; quare natura, & motus bilis, vel melancoliæ, imò cæterorum omnium, est merè metaphysicus & non malis; sola enim ætherei spiritus præsentia, est ea, quæ dat singulis motum, quare bilis, melancolia, & humores singuli à spiritu nostro calorifico moventur, atque impelluntur, & non à se.

Sed instant adhuc pertinaciores, & dicunt: Concediti mihi, quod humores moventes, atque pulsantes fibrillas sensitivas sunt causæ, ut iratus, & irritatus spiritus seninsurgat; ergo datur motus ab humoribus factus. Sed

Respondet pro nobis Helmontius, quòd humores quocumque modo considerentur, nunquam aliam habere possunt rationem, quam spinæ jam superiùs propositæ, erga Archeum. Quis autem est tam dulcis cordis, qui credat spinam habere proprium intrinsecum motum, quo moveatur ad transfigendum digitum, & ad excitandam inflammationem, dolorem, & alia &c.

Sed erit tantum causa occasionalis, per quam excitabitur Archeus exorbitans, ut illam propellat insurgens ad hoc, vel illud symptoma excitandum; Qua ratione unicus semper existens Archeus, vitæ custos, sunt innumerabiles causæ occasionales, quæ ab omnibus creaturis veniunt, vitæ nostræ, & sanitati adversantibus, in quarum consideratione multò rationabilius Eraclitus plorando, quam Democritus ridendo, de humanis miseriis philosophabatur.

Verumtamen quia curiosorum mens nostri sæculi, in rerum investigatione insatiabilis, posset vlteriùs à nobis quærere rationem quiditativam motuum istorum, exemplificabimus horologiorum automate, liceatque nobis sano modo pro nunc humanum corpus pro vivente automate considerare.

In horologio igitur consideramus, quod compressio atmosphæræ aeris facta super inertia, & sine motu pondera plumbea, est causa, ut prima rota moveatur, deindè varii inter se motus in horologio concitentur, maxima vulgi admiratione.

Hoc idem in humano automate contingere observamus; In stomacho enim (primo mobili Helmontii) fiunt assumptorum indigestiones spiritus calorifici culpa, quibus separandis, & excernendis ad sufficere non possint infirma viscera, quare demandantur ad cor, cordis autem fibrillæ sensitivæ, excitant spiritum incolam ad insurgendum adversus hanc molestiam.

Quis interim non videt, quod à spiritu error factus in prima stomachi digestione, est postmodùm causa aliorum motuum, & errorum comissorum in visceribus, in corde, & in universis membris. Spiritus tamen, est semper horum omnium motor unicus, & promotor, ac director, non verò excrementa inertia, quæ ex se sine motu sunt.

Quia verò nil movet, quod non moveatur; quæret aliquis, quis movet Archeum, seu vitæ spiritum sensitivum? R. unicum esse inter cætera animalia hominem, qui habet animam rationalem, incorruptibilem immortalem, libero arbitrio suo, movens hac, vel illa ratione spiritum sensitivum, hic ex.gr. quandòque specie boni concitatur ab anima ad comedendos fructus immaturos, ab his fiunt indigestiones, ab indigestionibus febres, inde capitis dolores, &c.

Sed vlteriùs quærenti, à quo nam motus animæ promoveatur. R. promoveri ab astris inclinantibus; sed non cogentibus. Astra verò ipsa ab Angelis commoventur; Angeli denique movent, iuxtà Altissimi primi moventis ideam; in qua fixa, & immobilis stat cujuscumque minimi motus norma, regula, & præscriptio, quæ præteriri non potest, neque in manu sortis, motus rerum geruntur.

Et esse quod ad vltimum originalem motum, & ad terminum elementarium motuum, & per consequens febrium, & aliorum jam pervenimus, & ad primum motorem immobilem.

Causas autem febrium, veteres putredinis in venis defensores, quatuor humores esse dicebant; & tamen ab Hippocrate libro de arte, amarum, salsum, & sexcenta alia, esse causas morborum edidicerant.

Paracelsus ex nitro, & sulphureis impuritatibus fieri febres protulit. Helmontius proximius veritatem attigit, qui omnem scenam febrium vertit in Archeum, seu spiritum sensitivum, irritatum ab acido corrupto, extra claustra sua primarum viarum vngante, à quo in vasibus sanguifluis turbatur mixtio, & concitatur effervescentia.

Ita ut Archeus sit causa efficiens, & immediata. Acidum corruptum sit causa occasionalis, per quam comburitur postmodùm sanguis, fitque bilis, seu legitima materia febris.

Archeus igitur est, qui in febribus concitat rigores, frigora, caloris, & non materia peccans. Sic ex balneo frigido, dentes præ rigore concutiuntur, à solo motu spiritus calorifici, seu Archei, sine acido corrupto. Idem fieri observamus in luxationibus, & aliis multis affectibus sine causa sensata, & materiali.

Quæsitum fuit, an spiritus iste vitæ possit aliqua arte alterari, vel progenerari ad libitum, mediantibus ex. gr. cordialibus auxiliis, augeri, vel imminui à pharmacis.

R. juxta placita Platonis, hunc æthereum sobolem esse, ideòque agens; & movens unicum universorum sublunarium, ab eis pati non potest (neque generari per se) sed per accidens, & indirectè potest

teſt alterari, atque corrumpi, à cauſis occaſionalibus.

Unicuſque eſt ſolumodò antigoniſta ſpiritus æthereus pariter, qui ſigillum ideatum geſtans, ab aſtris peſtilentis, vel venenatæ actionis, veluti exuflare, & de ponte deiicere, ſive de humani corporis ergagulo propulſare ſpiritum noſtrum vitæ *conſuevit*; & impetu adversùs eum facto, vel citò exuflare, vel paulatim reſſolutione, ipſum cogere, ad congeneas auras evolare. Per ætatem verò, corrupto ædificio, paulatim quoque exoluitur ſpiritus noſter.

Quare modi ſolumodò ſupetunt aliqui in terris, quibus niſi generare, ſaltem ipſum ſpiritum vitæ reſtaurare, refocillare, atque quodamodo nutrire poſſimus. Alter modus eſt per reſpirationem pulmonum, per quam non ſolum aerem purum perflatum ſine impuris particulis producitur ſenectus, ſed etiam quia propitior viventibus influentia de aſtris venit.

Ideo in intemperatis variis Provinciis potiſſimum Septentrionalibus, vitæ ſpiritus eſt multò minùs copioſus, quam in calidis, vel temperatis Provinciis ex. gr. meæ prædulcis Lombardiæ, in qua vivere ultrà centeſimum annum, plurimis datum eſt, ſine vlla admiratione, cum innumerabili omnis fermè generis animalium vita. (Videantur Claudiani laudes, de ſolo ſene Veronenſi.)

Dum in Septentrionalibus Provinciis, vita animalium brevior ſolet eſſe, rariora etiam animalia, & nulla inſecta, quorum verè pater, æthereus ſolaris ſpiritus eſt.

E contrà de inſulis variis, de Zeilam, de aliis cœli plagis narratum eſt, ordinariam ſenectutem eſſe ſolumodò circa annum centeſimum, vbi ſit aura fragrantibus aromatibus, plantiſque aromaticis referta, aſtrorum certè benignitate peculiari, aliis Provinciis negata.

Auras autem amicas ſpirituoſas, fragrantibus odoribus, turgidas, ſpiritum noſtrum refocillare, quotidiana nobis experientia demonſtrat.

Ideò de ſapientiſſimo Democrito legimus, quod cum ſe extremæ horæ proximum vidiſſet, ut ſibi vita prorogaretur per tres dies, donec Cereris feſtivitates tranſijſent, juſſit filiabus ſuis recentur de furno extractum panem apertum, vino mero conſperſum ſub naribus, & foſſulæ pectoris applicare aſſiduò, & ſic voti compos factus fuit; nobili funere à civibus, &c.

Alter modus reſtaurandi ſpiritum eſt, per viam alimentorum, potiſſimum ex animalibus deſſumptorum; quoniam animatæ quæ fuere carnes, adhuc multum conſervant, de congeneo ſpiritu vitæ, & multò quidem magis, quam ex quolibet alimento ex vegetabilibus deſſumpto.

Nam mineralia, & foſſilia, nullum habent omninò ſpiritum alimentoſum congeneum noſtro ſpiritui vitæ; ſed habent terribilem ſpiritum, vel venenatum, ſpiritui noſtro adverſum, vel ſaltem medicamentoſum, jubentem velnti, ut ſic, vel ſic ſpiritus noſter agat, difficulter à ſpiritu ſubacta.

Per concoctionem ergo ventriculi, divina quadam ſpargyria, ſeparatur à ſingulis alimentis quinta eſſentia, ſeu ſpiritus æthereus, quidem nihil aliud eſt, quam ſpiritus ille ideatus, qui fuit cauſa generationis huius, vel illius animalis, cujus fuit forma, anima, & movens, entelechia, deſſuper ab aſtris veniens; in receſſu enim vitæ animalis, totus ſpiritus non evolat in auras, ſed maxima ejus copia, quæ erat cauſa motus.

Nam ejus aliquid ſemper reſtat; provt clarè obſervamus in ex. gr. lacertis, & aliis diſciſis, in quibus utraque pars ſuo ſpiritu motore gaudet, horum enim anima eſt diviſibilis, ut plantarum.

Separatus ergo hic ſpiritus à ſtomacho atque involutus cum chylo, ad cor delatus unitur ſpiritui noſtro, ut aqua, aquæ congeneæ, & ſic refocillatur ſpiritu ac nutritur, & veluti augeri dicitur; uſque tamen ad illam menſuram, quæ ſoli naturæ nota eſt, ſecus ebrietas & ſuffocatio ſpiritus contingit, ut contigit cuidam ſtulto Menoni dicto Veronæ, qui hauſta ingenti quantitate ſpiritus vini, pro mortuo in arca Sancti Pauli ſepulto poſt duos dies revixit, & clamando ſibi exitum aperiri cum riſu populi meis diebus vivebat, & mihi ſæpius narrabat hanc ſuam ſtultitiam.

Parte igitur ætherea alimentorum nutritur ſpiritus, altera verò parte chyli terreſtri aquea, elementari reſtauratur maſſa ſang, ut ſcilicet ex parte ſicciori terrea conficeretur cruor, pro nutriendis partibus rubris, carnoſis, ex parte verò aquoſiori frigidiori *nutrirentur* & reſtaurentur ſero alb. partes albæ ſpermaticæ.

Et ſic vides divina quadam, & armonica proportione quod ſpiritus æthereus, à ſpiritu æthereo fovetur atque reſtauratur; Membra verò terreſtria, aquea, elementaria ab elementalibus chyli particulis nutrimentum ſuum deducunt, & reſtaurantur. De qua re, ſcitu *neceſſaria jam plura in inſtit. med. ref. proculimus*, &c.

Quare ſi in medici poteſtate eſſet ad libitum, ſicuti poſſet optimum aerem temperatum, fragrantem præparare? ita poſſit ad libitum chylum optimum per optimam ventriculi concoctionem cordi ſuppeditare; jam integra ſanitas, & longeva Moyſis 140. annorum fortaſis vita ſervari poſſet.

Et ſi qui morbi advenirent, facilè, & ad arbitrium tolli poſſent, arte reſtaurationis ſpiritus, & arte certa, & infallibili reſtaurationis maſſæ ſanguineæ atque optimæ nutritionis omnium membrorum.

Ita ut in perſpirato aere, atque in recto uſu ſex rerum non naturalium perſeverantibus *robuſtis natis*, ad *longam decrepitam* ætatem pervenire daretur.

Verumtamen quia morbi omnes vitio nutritionis, & abejus excrementis dependere ſolent, in febribus potiſſimum, & morbis acutis ſtatim ſubvertuntur, & labefactantur ſtomachi digeſtiones, viſcera vitiantur, officinæ digeſtionum interturbantur, adeò ut vix reſtaurari poſſit ſpiritus, à ſolo ſpiritu æthereo reſpirato. *Membra verò, & viſcera in dies ob paucum*, vel nullum nutrimentum, & depravatum fermentum labeſcere coguntur.

Vix enim aliquid ſpiritus ætherei per improbas ventriculi concoctiones haberi poſſunt. Et hæc eſt verà, & legitima cauſa accelleratæ mortis, & quod medicamenta, quæ adhibentur, felicem effectum in omnibus non nanciſcuntur; Quia ſcilicet vis ſtomachi ad libitum inſtaurari non poteſt.

Et ſolummodò ab aliquibus per experientiam notis cordialibus ſpiritus haberi poſſunt analogi ſpiritui noſtro, quia medicamenta, tum alimenta omnia, dum indigent præparari à ventriculo, quandòque adeò labefactatus eſt, ut medicamentum illud actuare, & conſueta, & debita ratione concinare non poſſit.

Cauſæ.

APtum ſatis exemplum cauſarum febrium adducit Helmontius; & ait: *Sicuti vina fœce nimis opulenta efferveſcunt; ita maſſa ſang. particulis heterogeneis, crudis, acidis, corruptis, improportionatis efferveſcit, & fœres concitantur.*

Cuſtos enim vitæ ſpiritus, ſine quiete invigilans ad conſervationem, & depurationem maſſæ ſang. ut hæc

sufficere posse necessariæ restaurationi, ac nutritioni membrorum quotidianæ; quod semnque ei admisceatur aliquid impurum, acidum, præternaturale (quod potissimum cum chylo ad cor defertur) statim insurgit, & fermentatione depuratoria excitata, turbatur naturalis motus massæ sang. & fit febris, per accelleratum motum cordis, & arteriarum, in quibus accenditur veluti flamma, in tenuiori, & magis dispositæ accendi cruoris, quam ideo Hermetici sulphur appellant.

Sicca enim unctuosa terrea existens (petreolum) ignis siccitati annalega, facilius concipit ignem, quam altera pars massæ sang. quæ est serum alb. cum pedisequa lympha aquea frigidum, & humidum.

Observabile interim est, quod chylus idem est ac lac, in omnibus suis condictionibus, tum ratione substantiæ, tum ratione accidentium, albedinis, dulcedinis, provt jam ostendimus in nostra antographia.

Ex chylo deindè, seu lacte ad cor delaro, tres substantiæ proveniunt, caseosa, butyrosa, & serosa. Ex caseosa parte, magis terrestri, sicca, provenit illa pars massæ sang. quæ à nobis appellatur cruor, qui in sanguine per phlebotomiam ex tracto, in fundo matulæ *niger observatur.*

Ex butyrosa parte aerea, aquea *humida*, provenit pars illa massæ sang. quæ à nobis dicitur serum alb. quod tenuius in matula superstat cruori, forma aquæ, cum portionem suæ *pedisseque* lymphæ, quæ nihil aliud est, *nisi* puriſſima aqua elementaris, quæ partim à potulentis, partim à respirato aere hauritur; & sic tota massa sanguinea ex triumvirato constat cruoris, seri albug., & lymphæ.

Ex his tribus ob simbolum siccitatis igneæ, faciliùs inflammatur cruor, qui naturæ leges servans, bilis quandam statutum mensuram ob igneum cordis calorem generat.

Sed data causa occasionali, à qua excitetur spiritus incola cordis, cor comovetur, & universæ massæ sang. naturalis motus turbatur, indè in multo majori copia cruor comburitur, & bilis augetur.

Serum interim alb. frigidum humidum, cum lympha, pro viribus igneitati, atque combustioni cruoris resistunt, & cordis conflagrationi, attemperando cruorem.

Evenit deindè, ut quovsque serum alb. potuerit membra spermatica (in quibus vires nostræ consistunt) nutrire, & cruoris incendium mitigare, febris intra limites salutaris manet.

Sed si præter cruorem inficiatur etiam, atquè pervertatur serum alb., ut nulla pars ejus sit apta nutriendis partibus spermaticis, tunc fit febris quæ dicitur maligna, quæ cum horrendis symptomatibus adducit mortem.

Unicus interim liquor est vera, primaria, & ordinaria causa febrium; nempè cruor, qui à spiritu calorifico cordis assatus, in bilem vertitur; estque causa postmodum, ut etiam serum alb. corrumpatur. Ex utriusque deindè contrariæ naturę mixtura, fit mulus melancolicus, qui viscerum fermenta, & membra omnia calcibus subvertens, nisi magnæ artis agasonem inveniat, qui illum infrænet, vitam & incolumitatem omnem prosternit.

Unica tamen semper est febris in essentia sua, tum ratione unicæ causæ efficientis, quæ est spiritus calorificus cordis. Tum ratione unicæ causæ materialis ordinariæ, quæ est semper cruor infuliginosam bilem combustus; ita ut impossibili fit dari posse febrem sine præternaturali calore, & sine combustione cruoris, quæ subsequitur ad turbationem massæ sang.

Continuæ autem causa, est continuus ebullitionis, & fermentationis motus, quo natura utitur ad renovationem, & depurationem massæ sang. separando particulas ætherogeneas importunatas nutritioni.

Cui muneri si validus spiritus sufficere potuerit, atque deposuerit improportionatas particulas, fiet salus, vel saltem febris cessatio, & intermissio ad tempus. Secùs si liquores præternaturales prævaluerint spiritui, pauco, debili, languido, qui eos subigere, sequestrare, & massam sang. puram reddere non possit, fiet mors.

Idem igitur fit in musto, ac in massa sang. imò in omnibus aliis liquoribus fermentescentibus, in quibus unicus semper est spiritus fermentator; humores enim ex se motum non habent; sed unicus est motor spiritus in toto orbe universarum creaturarum (ex jam dictis in nostris libris physicis experimentalibus, iuxta placita Platonis reformati) qui movet, attenuet, disgregat, & fermentando separat particulas puras ab impuris, quibus separandis, si sufficiat musti spiritus, fit vinum spirituosum, vel alij liquores claréscunt depurati. Si spiritus eorum languidus non sufficiat, manent turbidi, & paulò post omninò corrumpuntur.

Pars igitur tenuior, sulphurea cruoris, accenditur veluti inflammam, ob eventillationis defectum, & effluvia retenta, quæ se habent ad instar fermenti, tum à chylo præternaturali acidis, nidorosis aliisque particulis mixtio, qui massam sanguineam ad præternaturalem fermentationem compellit, violata armonia, & amicitia, quæ intercedebat inter humores nutritios cordis, placida veluti eorum chorea turbata, & tumulta facto, ab ætherogeneis particulis, magnitudine, figura, motu, cum probo sanguine nullam proportionem habentibus.

Indè inæqualis porositates, variaque interstitia in sanguine constituvntur, quæ molecularum positionem variare compellunt; quas etiam spiritus inæqualiter movens, fermentationem concitare dicitur, seu febrem, donec omnia sub vinculo pacis domita, alterata, subacta, & concocta ea sint, quæ maturari dispositæ sunt, expellantur verò procul à vasibus cordis, quæ invtilia maturari non potuerunt.

Interim donèc massa sanguinea alimentalis, sub dulcis mixtionis vinculo non colligatur, & ab uno pacificato spiritu non regatur, ut motum naturalem accipiat, fermentatio, seu febris non cessat.

Ita ut conspicuum fiat, essentiam febrium, in turbata massæ sang. mixtione, atque exterendè spiritus orta atazia consistere.

Ratio autem improbi chyli talis est. Postquam ventriculus non benè concoxit cibos, dum extra stomachum fertur nidorosus, vel acidus, est causa ut amicabilis lucta, quæ naturaliter intercedere solet inter duos pugiles, Alkali, & acidum, tranſeat in pugnam.

Si enim chylus acidior fuerit, exaltat vires succi pancreatici; si nidorosus fuerit exaltat vim fellis, seu bilis à poro colidoco venientis.

Quare chylus ab eis subactus, non transit in neutram tertiam naturam, acidiusculè-salinam, sicuti naturaliter deberet; indè duo mala contingunt; nam in vasibus chyliferis, & glandulis abdominis, facit obstructiones, tum in corde, seu in massa sang. facit præternaturales fermentationes.

Causa igitur febrium immediata fermentum febrile est, scilicet omne id, quod crasim massæ sanguinis naturalem pervertere potest, & in spiritu

ritu commotionem causare, texturam verò partium componentium immutare valet.

Causa autem mediata, sunt humores qualitate peccantes, seu qualitas salsior, acidior, amara, fervidior, & alia, &c. nam sine his qualitatibus, & in minima quantitate sufficiunt quandoque minima miasmata fermentativa, quæ vim habeant sui multiplicativam.

Sic febres catharales dictæ à prava qualitate seri alb. fiunt, dum acre salsum, cum pediſſequa lympha de cerebro procedit, ad partis spiritalis irritandas atque molestandas, quare gravedinem, seu capitis dolorem gravativum, faucium asperitates, corizas, raucedines, tusses concitat.

Indirectè tamen, & per accidens febres concitare dicetur, sicuti superius dictum est de chylo acido, vel nidoroso, ratione scilicet pravæ qualitatis anexæ; nam equè serum alb. tum chylus liquores naturaliter frigidi, humidi, molles, febri omninò contrarii sunt.

Sola verò est bilis, quæ directè, & per se constituit materialem causam febris, & quæ in unaquaque febri necessariò intervenire debet, dum fit quodamodò pugna particularum alkalicarum cum acidis, inter fermentandum; sulphureitatis enim ratione in cruore bilis accenditur; è contra serum alb. humidum, aquosum *acidum ignem* febrilem extinguere nititur, & bilem coagulare, quod fieri non potest, sine lucta.

Tunc enim amicabiliter & placidè moventur, quandò in quantitate & qualitate iuxta præscriptam naturæ mensuram in vasibus cordis reperiuntur, & tunc felicis sanitatis in universis membris sunt causæ, quod si alter ex his humoribus supra alterum exaltetur, sine lucta præternaturalis fermentationis massa sang. esse non poterit; donec ad equabiles vires, & amicum complexum à spiritu religantur, & sic massa sang. æquabiliter fermentetur.

Quæsitum igitur fuit à Sylvio, per modum admirationis *quo modo fieri possit*, quod à causis tam diversis, producatur unicus calor febrilis; sunt enim diversi humores imò inter se contrarii, bilis, & pituita, & tamen ab eis producitur febris.

Neque aliam causam se adducere posse innuit, nisi bilem cum succo pancreatico in tenui intestino efferveſcentem.

Quam quidem causam occasionalem remotam, & aliquandò solumodò putamus; & non universalem, & immediatam, quam superiùs descripsimus nempè turbatam massæ sang. mixtionem. Effervescentia enim, & fermentatio bilis cum succo pancreatico in tenui intestino, singulis diebus contingit in sanis, & tamen sine ulla febri, sine ulla alteratione universalis caloris.

Non negamus tamen quod frequentiores febris causæ solent esse acidæ ex. gr. serum alb. (cum pediſſequa lympha (sal o-acidum veniens à cerebro, ut jam dictum est, vel acidæ cruditates pituitosæ pariter à stomacho debili prodeuntes. Vel à glandulis abdominis depuratoriis seri alb. acidi præternaturalis, liene, pancreate, & glandulis innumerabilibus mesenterii, & alibi &c.

Sed non minus frequentes fiunt febres, ab alkalica bile, postquam incrassata, & veluti ligata ab hoc acido reperto in aliquo membro, impeditur à viis suis, & à transitu, ita ut extra feri non possit, & expurgari; vel impediatur ab angustiatis vasibus colidocis hepatis, nc recta via feratur ad suum saculum felleum, & indè pellatur ad intestina, & excernatur. quare per venam cavam ab hepate remeare cogitur, & massam sang. turbando febrem excitat; & hc bilis fit causa directa, & propria, magisque propinqua, pituita verò impediens fit causa indirectè mota febris.

Concludimus igitur cum Helmontio cap. de iure duum-viratus: quod solus Archeus est vere, & propriè causa universarum febrium, quia earum intrinseca essentia est calor cordis & totius. Solus autem Archeus est auctor caloris.

Materia autem quæcumque fuerit per se non potest incalescere, sed indiget spiritu calorifico vitæ, claro satis exemplo; nam eadem bilis, cum aliis liquoribus restitant post mortem, & tamen incalescere febrili ratione non possunt; quia sunt tantùm materiæ occasionales, calores febrilis.

Causæ naturales, & non naturales.

UNiversaliter causæ fermentationis præternaturalis, massæ sang. possunt esse salia varia; scoriæ; spiritus sylvestres rationem habentes fermenti; sulphura minus symbolizantia, cum sero alb. acido, lympha.

Chylus aciditate, vel amarulenta nidorositate impurus.

Quæ omnia fermenta febrilia appellari possunt, quæ ab omnibus partibus, ab omnibus visceribus possunt cordi communicari circulando per venas; ideò à vulneribus ulceribus, bubonibus, tumoribus provenire possunt.

Causæ autem externæ sex res non naturales solent esse; sed præcipuè aer peregrinis corpusculis contaminatus, qui miasmata impuro malsam sang. per modum fermenti inficiens, suis præternaturalibus exhalationibus, fibrillas cordis, & arteriarum lacescit &c. & spiritum calorificum sensitivum excitat.

Hipp. 6. epid. ait: *Colericæ affectiones magis æstate fiunt, & febres intermittentes, quibus horrores accedunt, quæ tamen quandoque malignæ fiunt.*

Hipp. 3. aph. 7. In siccitatibus febres acutæ fiunt.

In magnis enim siccitatibus exaltatur bilis, indè fiunt febres acutæ. Imò universi acuti morbi sine febri esse non possunt, quia universi à bilis activitate, & motu dependent. Siccitas igitur igneas bilis introducitur; quia incalescente sanguine præternaturaliter evaporatur lympha, & sic remanet *incrassatus pingues cruor, quam veluti oleum*, fit deindè febris igneæ alimentum.

Ideò enim febri resistit lympha; quia aqua est, scilicet igni, & combustioni contraria.

Aer autem natura sua, semper exiccat ne dum æstate; provt experiuntur lotrices mulieris, quæ quocumque tempore pluvio, etiam hybernali exiccant pannos suos in umbra expositos. Quare naturalis siccitatis suæ ratione (aquisita à vi, & influentia solari igneis, calidis particulis participatis) à Neotericis medicis, aer inter cæteras causas necessariò corpus nostrum exiccantes statuitur.

Hipp. 3. aph. 11. *Æstate necesse est febres acutas fieri mulieribus, & habentibus conditionem humidas.*

Si igitur fervor æstatis se habeat pro causa efficiente; jam causam materialis adstat ex præcedenti vernali tempore pluvioso australi, quod humidos ad corruptionem pronos humores produxerit, qui deindè calore æstivo fermentantur.

Si autem æthesiæ (sunt hæ auræ frigidiusculæ) *diù circa dies caniculares spiraverint* (ait Hippocratis in lib. de aere, aquis, & locis) *præcaventur, vel cessante istæ febres acutæ.*

Quare medici edocti fuere per artem aerem nivibus, & glacie alterare, loca subterranea, vel *Aquiloni* exposita querere, ut præcaveantur, vel curentur hitce diebus febres.

A ventis igitur frigidiusculis corrigi potest talis aeris æstivi constitutio; secùs (ait Hippocratis loco citato de aere aqu. & loc.) *pueri, & mulieres mox innatur; non sic senes, quia frigidiores.*

Hippocr. 1. aph. 14. *Senibus paucus est calor; ideò febres non similiter, ac in pueris, vel juvenibus acutæ fiunt.*

Passim *insinuavimus*, in instit. med. refor., quòd nullus *est* alius calor, quam ille qui ab Archeo, seu a spiritu calorifico provenit. Quod autem hic in senibus fit valdè imminutus, & resolutus plurimis rationibus ibi demonstratur. Quare facilè erit persuadere; quod in senibus non adeò febres acutæ nant, ut in crescentibus pueris, aut juvenibus. Magnoque Hippocratis testimonio non febribus *tantumodo acutis; sed morbis* quibuslibet acutis, febrem annexam necessariò habentibus, frigidi senes minùs obnoxij sunt; ideòq; rariùs ægrotare docuit 2. aph. 39.

Certa itaque res est, quod calidum appellatum innatum, ignis cœlestis, seu spiritus æthereus est; qui cum cæteris elementis, ad nostri corporis generationem concurrit.

Talis spiritus in semine latet (etiam in sententia Aristotelis in lib. de anima) estque universarum facultatum instrumentum, & vitalis potissimum facultatis igneus minister.

Formato homine ejus maxima pars in corde, veluti in fonte caloris remanet. *In* singulis verò membris proportione naturali servata distribuitur talis spiritus calorificus, titulo insiti caloris, humido radicali uxoratus; quæ omnia in instit. med. nostris jam latis patent; &c.

Sed præterea ex Hippocrate libro de corde sciendum est, quòd *sanguis in se non est calidus; sed calefit, prout solent cæteri aquei liquores:*

Quare pervicax est credulitas prava illorum obstinatorum, qui *contendunt sanguinem* non solum esse causam materialem, sed efficientem spiritus, caloris, & per consequens etiam febris. Nam re vera ebullit, effervescit, fitque calidus, non ex se; sed mediante calorificò insito spiritu cordis.

Ex variis interim partibus massa sanguinea conflatur ex terreis siccis, ex aqueis humidis, ex aereis calidis, & ex variæ naturæ molleculis, &c. quæ tamen omnes, à solo spiritu æthereo calorifico moventur, & in suis motibus diriguntur.

Talisque spiritus, natura sua mitis est, atque igni fatuo comparatur, qui non comburit lanam, vel stipulam cui incumbit; sed nactus causam occasionalem sex rerum non naturalium, veluti furit præ zelo vitæ custos, atque incalescens ac veluti ignitus, fermentationem in corde præter naturalem mollitur, inde cæterarum facultatum munia subvertit.

Hipp. 3. aph. 14. *Si aquilonius, & sine pluviis autumnus fuerit, iis quidem, qui natura sunt humidi & mulieribus commodus erit; reliquis vero febres acutæ, & nonnullis etiam melancoliæ.*

Galenus rationabiliter putat conjungi debere hunc aphorismum cum antecedenti, ita ut sensus sit: *Si ad æstatem siccam, & aquilonium, autumnus pariter subsequatur siccus, & aquilonius, natura humidis, tum mulieribus commodus erit; At natura siccis, febres acutæ, & nonnullis melancoliæ.*

Simile enim malè se habet ad suum similem, quando excessus fit, benè autem ad contrarium. Mulieres autem viris humidiores, & frigidiores esse certissimum est; ob copiam seri alb. quo abundant, in gratiam nutriendi fœtus.

Ideòque de exiccatione à temporis contrarietate introducta, non valdè sollicitæ debent esse. Sed natura siccis; major siccitas adaugetur, indè acutæ febres fiunt; quia cruor atsatur; atque fuliginosa bilis conturgit; quæ præcipua causa materialis febrium est, atque morborum acutorum.

Exhalante igitur parte sanguinis humidiore aquea, ex cruore resultat bilis, quæ nil aliud est, quam sicca fuligo, omnino analoga fuligini camini, quæ pariter fit a combustione, nigra, sicca, densata, quæ coagulata, non solvatur in aqua; suam amaram havednem manifestat.

Talis igitur assati sanguinis fuligo, dum à crasso frigido fero alb. acido excrementitio ligatur veluti, & coagulatur; tunc ex his duobus contrariæ naturæ humoribus, progenerari à me non ratione dicitur in meis instit. med. refor. mulus melancolicus.

Quare mirum postmodum non fit, si ex duorum anni temporum continuata siccitate, comburatur in naturis siccis massa sanguinea, indè fiant febres acutæ; tum in pituitosis aliquibus melancoliæ conturgant.

Hipp. 3. aph. 16. ait: *Morbi in pluviosis constitutionibus qui fiunt, plerumque sunt febres longæ. In siccitatibus verò tabes, &c.*

Auster ergo pluviosus (morbosus Africus per antonomasiam à poetis dictus) corpora debilitat, crassa, humidaque excrementa adauget, indè transpiratione impedita, obstructiones in visceribus accumulantur, a quibus fiunt occasionales causæ febrium longarum.

Deinde autem virtus, ad morbos longos confert, materiam multam crassam frigidam inconcoctam conservando, quæ longum tempus ad maturationem requirit.

In constitutionibus verò siccis, à bilis acrimonia prævalente contaminatur serum alb. atque spermaticorum nutritio pessundatur, fiuntque tabes; quo nomine potissimum veniunt penes Hippocrates hecticæ longæ consumptiones, ab ulcere pulmonis factæ ob acredinem conceptam in sero alb. nutritioni membrorum innepto.

Hipp. 3. aph 21. *Æstate febres continuæ, & ardentes, & tertianæ plurimæ, & quartanæ, &c.*

Caliditate, & siccitate æstivi temporis vigente, multa copia bilis progeneratur, a qua postmodum fiunt febres continuæ, & ardentes; imò universa genera febrium à bilis generatione foventur, & lactantur, ita ut sine bile impossibile sit existere febrem.

Ex concitato enim motu spiritus calorifici in corde, & venis ejus, necesse est sive paucam, sivè multam cruoris torrefactionem subsequi, scilicet fuliginosam bilem generari.

Observabilis tantumodò hoc aphorismo est Hippocratis, qui inter morbos anni temporis æstivi, recensere voluit quartanas, quæ ab humore frigido oriri solent. Cessabit tamen admiratio si consideretur, quòd per calorem, & siccitatem æstivam, evaporatur atque imminuitur serum alb. cum pediscequa limpha, indè necessario in corporibus pituita refertis, massa sanguinea his duobus liquoribus frigidis, humidis, fluidis privata, incrassatur, fitque apta ad incrassandam, & ligandam bilem, ut sic fiat mulus melancolicus; pater obstinatissimæ quartanæ.

Facilis etiam est ratio, cur pituitosi succi hoc anni tempore æstivo congerantur; tunc enim stomachus languidus malè concoquit, ob spiritus calorifici paucitatem, dum avocatur ad circumferentiam.

Nec

Necnon ob malam servatam victus rationem, & improborum fructuum, & aquæ potus occasionem, à quibus quartanæ aliæ occasionales insurgere possunt, sine Ovidianâ metamorphosibus vulgis fieri potest succus melancolicus androginus.

Hipp. 3. aph. 22. *Autumno febres quartanæ, & erraticæ, & lienes, & hydropes, & tabes, & ischiades, anginæ, astmata, insaniæ, melancoliæ, &c.*

Autumnali enim frigitate incrassatis, & veluti coagulatis humoribus, angustioribusque factis porositatibus cutis; *Bile* autem per æstivum æstum genitæ non satis purgatæ, si addantur per fructuum opportunitates, stomachi cruditates, tenuium collectæ; jam nihil deficit pro generatione multi melancolici, qui deindè est pater fœcundus febris quartanæ non solùm, sed erraticarum, & tumorum lienis, hydropis, contabescentiæ, & aliorum multorum, jam in nostra praxi exaratorum, &c.

Hipp. 3. aph. 25. *Infantibus ad dentitionem accedentibus, fiunt gengivarum pruritus, febres, convulsiones, & alvi profluvia, maxime quando caninos dentes producunt.*

Hæc ætas ab Hippocrate descripta, ab interpretibus usque ad septimum mensem extenditur. Ab aliquibus verò observatoribus etiam prorogatur à prima apparitione dentium usque ad quartum annum.

Ostendere itaque intendit Hippocratis, quam laboriosa sit solo humano generi dentium emissio, quorum etiam casus in senectute, non minora parit incommoda.

Dum ergo dentes erumpunt, pruritus fit, quia irritant, pungunt, fluxiones concitant, inde inflammationes, febres, quarum causa vigilant; ex vigiliis cruditates potissimum in cerebro generantur, à quibus convulsiones oriuntur. Nec non à corrupto his rationibus lactè, febres, convulsiones, alvi profluvia proveniunt.

Hipp. 3. aph. 27. *Ætate provectioribus pueris, & ad pubertatem accidentibus, fiunt febres diuturnæ magis, & ex omnibus sanguinis eruptiones.*

Pubescere dicuntur homines, cum pilos circa pubem; & circa mentum emittere observantur circa scilicet annum decimum quartum ætatis.

Expositoribus hunc aphorismum Hippocratis extendere placet hanc ætatem, ab anno duodecimo; vel decimo quarto, ad vigesimum secundum circitèr. In qua ætate sanguis copiosior, & calidior in copia gignitur, qui per carotidas recta via ad cerebrum ascendens, & in meninges regurgitans, est causa hemorrhagiæ narium.

Innuit etiam Hippocratis hoc aphorismo, quòd *in infantibus febres breviores fiunt; quam in pubescentibus*, quoniam in infantibus valdè abundat serum alb. frigidum humidum, quod citò bilem effervescentem refrænare, atque compescere valet, & sic febrem abbreviare solet.

Secus à magnis febribus biliosis correpti infantes, citò interficiuntur, ab exaltata bile, vel venefica causa corrupto sero alb. (ut fit occasione variolarum) dum frænari non potest bilis; diùque febres tollerare non potest, nutritio seri alb. vitiata.

Sed in puberibus, non dicit quòd febres cronicæ generantur, hoc enim esset contra experientiam, & contra id, quod in 14. aphorismo, tùm in sequenti pronunciavit. Sed solùm dicit, quò febres in puberibus magis diuturnæ contingunt (tertianæ ex. gr. vel quartanæ) quam in pueris. Rara avis est enim in terris puer propè infantiam, qui quartanis, vel similibus febribus corripiatur.

Hippocratis 3. aph. 29. *Juvenibus febres acutæ, &c.*

Juvenes dicuntur à 25. ad 35. annum, vel juxta experimentatores, in aliquibus juventus usque ad 40. annum extenditur. Tunc ergo cruor fervens in eis abundat, & per consequens bilis plurima generatur, quæ est causa postmodum acutorum morborum.

Præterea in hac dulci ac florente ætate, in qua veluti liberi a tutela, se vivere gaudent, solutam vitam ducere solent, sibi minùs caventes, & veluti securi ab omni fovea mortis, Veneris prata, Principi hortos, & Pomonæ campos sine cæno percurrunt, per omnes errorum semitas aberrantes.

Inde facili negotio cruoris temperies subvertitur, & spiritu calorifico tunc in suo summo vigore existente, cruorem ipsum (data occasione errorum in rebus non naturalibus) effervescentem, in fuligi nolam bilem comburit, & acutas febres parit.

Nomine igitur febrium acutarum, intelligere voluit Hippocratis febres ardentes, synochas, & consimiles, quæ in hac ætate frequentes sunt.

Hipp. 3. aph. 30. *Ultrà hanc juvenilem ætatem (usque ad senectutem) fiunt febres ardentes, &c. Senes verò rariùs his conflictari docuit Hippocrates*, potiùs enim quam à cruore senes à sero alb. corrupto ægrotant.

In hac ætate (quæ dicitur consistentiæ, & incipit ab anno 35. & *desinit anno circiter 60 ætatis*) *multi, & varii* coacervantur humores biliosi, & pituitosi qui non adeò facilè à declinante ætate gestari possunt, ut priùs;

Et tamen imprudentes plurimi, à consuetudine habitum juvenilem contractum mutare nolunt, & adhuc in castris Bacchi, & Veneris *militantes*, se in stationibus hybernalibus recipere recusant, se ipsos seducentes, & credentes, quòd non declinetà tua vi calorificus spiritus; sed idem existens consueta errata corrigere possit.

Verùm prudentiores receptui canentes, pedem retrahunt à nocituris voluptatibus, & jam Lucullanas cœnas habere recusant, Fabricii angustæ mensulæ vesperi assident, *retectiunculam* tantumodò liquidamq; sine carnibus assumentis, probèque scientes quod errata quæ fiunt, in hac ætate, non ita tollerari possunt, ut ante in juventute.

Non mirum igitur si imprudenter, & incautè viventium corpora, tunc à febribus acutis, & læthalibus corripiantur.

Ideòque Hippocr. observatio est *in 6. epid. in hac ætate homines magis corripi* acutis, & magnis morbis, quam in ulla alia ætate.

Senes autem formidine Parcæ semper parcè, & cautè viventes, minùs quam in alia quavis ætate laborant.

Ideòque penès Suetonium antiqui jubebant juvenes, ut venerarentur senes, tanquam eos qui prudenter se gerentes, in via vitæ, currum vitalem dirigentes, per varia rerum humanarum discrimina, saxa, luta, foveas vitantes, vel evincentes, ad maturam senectutem in testimonium suæ sapientiæ, & prudentis experientiæ pervenissent.

In aliis enim ætatibus (in quibus stultorum innumerabilis est numerus) dum imprudenter vitæ currum, & cursum dirigunt, ante fatalem terminum senibus constitutum, præcipites in foveam mortis cadere observantur, nisi à senis medici prudentis manu subleventur. Vel ab imprudenti tergore converso, in foveam cadere juventur.

Differentiæ febrium.

QUæsitum ante omnia sit, an *febris* quæ concomitari solet omnes inflammationes ex. gr. pleuritides, phrænitides, &c. sit diversæ naturæ, & veluti specie distinguatur, *sicuti* accidens, & substantia

ſtantia, (ut dicunt Ariſtotelici) univerſi enim præceſſores noſtri, non eſſe eſſentialem, ſed ſymptomaticam, pro articulo fidei Galeni juraſſent.

Nos tamen poſito *firmo*, & ſtabili fundamento; quod febres omnes *proveniant* ab incaleſcentia, ſeu excandeſcentia *Archei*; & fermentatione, ac motu *præternaturali* maſſæ ſanguineæ, ſeu turbatione mixtionis naturalis ſuæ; neſcimus, neque immaginari *poſſumus*, quòd febris, quæ unicam habet naturam hanc, atque eſſentiam; tum exiſtentiam, mutare poſſit ſpeciem, atque fieri valeat ſymptomatica, ſeu accidentalis.

Si dicant; ideò hanc febrem ſymptomaticam appellari; quia materia inflammatoria ex. gr. pleuretica, ſtat fixa *in latere*, *veluti ſpina*, & excitat (ut jam diximus) Archeum, & febrem concitat.

Tunc reſpondemus quod in duplum decipiuntur, qui talia dicunt: Tantum enim abeſt, ut ex. gr. pleuritis ſit affectus eſſentialis, per ſe ſtans; febris verò ſit accidentalis, & veluti umbra corpus concomitans; ut quinimo febris ſit ſemper affectus eſſentialis; propriam naturam, & cauſas eaſdem ſemper habens; Pleuritis verò ſit merus, accidentalis affectus *inflammatorius febris*, qui titulo affectus acuti, inter alios innumeros inflammatorios enumeratur, veluti ſymptoma, & phenomenon febris, cujus principium conſervatio, ſeu progreſſus, & finis, omnino a febre dependet.

De ſuo quidem *principio* nemo dubitare poteſt, quia *experientia* oſtendit, præcedere conſueviſſe rigores febriles, deindè ſubſequi dolores pleuriticos.

De augmento, & progreſſu paritèr nemo dubitare poteſt; quia pro majori, vel minori copia materiæ peccantis, in vaſibus ſanguifluis, major fit ſemper proportionaliter febris, & majori extravaſatione facta, augetur; & major fit pleuritis.

Eadem vero copia, à vaſibus ſanguifluis venire ceſſante, imminuitur, & tandem deſinit eadem pleuritis.

Ecce igitur, quòd pleuritis concomitatur febrem, veluti umbra corpus, quæ brevior, vel major fit, provt abbreviatur, vel increſcit corpus.

Si velimus hoc clariùs videre, obſervetur quòd pleuritis, tum univerſi alii affectus acuti, atque inflammatorii, juxta dies decretorios, *ejus menſuras*, & directiones ſuſcipiunt; non quia ſingulorum natura varia ſit; ſed quia ab uniformiter ſemper habente febri proficiſcuntur, cujus natura ſemper uniformis juxta dies decretorios variè moveri conſuevit.

Sed hujus craſſæ inſcitiæ cauſa erat, alius craſſior error. Putabant enim boni veteres, ineſſe efficaciam entelechiam, & motum, mortuis, & ſine vlla activitate humoribus; ita ut, falsò putarent, quòd materia in pleuritide contenta haberet propriam, & naturalem entelechiam, ſeu efficaciam, & vim motricem, à qua excitaretur febris.

Sed decipiebantur præ ignoratione principiorum Platonicorum, penes quos infallibile eſt, quòd unica eſt cauſa immediata univerſorum motuum in corpore humano, nempè Archeus, ſeu ſpiritus vitalis, qui nacta cauſa occaſionali materiæ peccantis, & irritantis, præternaturali fermentatione in maſſa ſanguinea excitata concitat febrem non ſolùm, ſed univerſa febrium ſymptomata, inter quæ eſt extravaſatio materiæ peccantis, quæ pleuritidem, vel alias inflammatorias affectiones, & dolores concitat.

Quamobrem invtile prorsùs eſt, diverſas ſibi fingere febrem ſpecies, ſingulæ enim febres, in eſſentia, & cauſa intrinſeca, atque immediata conveniunt, differantque tantumodò per accidens, videlicet ratione quorundam ſymptomatum, atque circumſtantiarum, quarum ratione:

Aliæ dicuntur continuæ; aliæ intermittentes.

Pro diverſo quoque tempore. Pro diverſa materiæ conditione, qualitate, copia majori, vel minori mixturam maſſæ ſang. varia ratione turbante, variæ concitari dicuntur febres, quæ inter ſe differunt ſecundùm magis, vel minus.

Hogelandus triplicem ſanguinis fermentationem maſſæ ſang. in corde conſtituit, à qua fiunt triplices febrium continuarum differentiæ.

Prima. A ſola externa cauſa procedit ex. gr. iræ, laboris, caloris ſolaris, à quibus inſitus cordis ſpiritus calorificus vitæ cuſtos excitatur ad febrem ephemeram, ſeu ſynocam promovendam.

Secundo. Vel partes maſſam ſang. componentes, debitam proportionem inter ſe non ſervantes; vel mala qualitate affectæ, inſitum ſpiritum cordis laceſcentes maſſam ſanguineam ad præternaturalem fermentationem cogunt, & excitantur febres putridæ à Galenicis dictæ.

Tertio. Vel partes maſſam ſanguineam conſtituentes mala qualitate infectæ, aut miaſmate venenato, concitant febres malignas, cum morbillis, antracibus, & bubonibus.

Paracelſus tamen, qui unicum ætneum ignem cordis in omnibus febribus accendi putat, variam accenſionem ſulphureæ, ac ſalino-nitroſæ partis ſanguinis, cum variis laburris fieri putat, & juxta tres noſtras ſubſtantias, humanum corpus conſtituentes (nempe ſpiritus, humores, & partes continentes) triplices febrium differentias accidentales conſurgere, quarum aliæ dicantur ephemeræ, aliæ humorales, & aliæ hecticæ.

Diſtinguuntur etiam febres continuæ in continentes, ſine vlla periodi remiſſione, & in remittentes, quæ habent aliquam periodi, ac ſymptomatum remiſſionem.

Differentiæ ratione ſymptomatum plurimæ ſunt, nam aliæ appellantur ardentes (cauſon) Ephyalæ hemitritei. Sincopales. Synochæ. Chlorotis. Laticæ. Perniciosæ Ludovici Mercati. Hungaricæ. Sudorificæ. Anglicæ. Petechiales. Malignæ. Morbillorum. Cardialgicæ. Elodes ſeu ſudatoriæ. Prefocativæ. Atimaticæ. Cacatoriæ. Vomitoriæ. Torminales, & aliæ plurimæ de quibus circa finem rationem reddituri ſumus.

Differentiæ tamen quæ ſumuntur ratione ſubjecti, ſunt univerſaliter à practicis ſuſceptæ, quæ ſcilicet magis inhæret in ſpiritibus dicitur ephemera, quæ magis in humoribus, dicitur humoralis, quæ magis in partibus ſolidis, dicitur hectica.

Ratione moris, alia dicitur maligna, alia benigna.

Ratione motus, alia dicitur continens, quæ ſine remiſſione, vel exacerbatione, à principio vſque ad finem durat. Alia dicitur continua, quia continuò quidem durat; ſed aliquam habet remiſſionem, & exacerbationem.

Ratione temporis, alia magis, alia minus intermittit, ſcilicet tertianaria, vel quartanaria ratione ad apirexiam, ſeu infebricitationem devenit.

Ratione modi initiæſionis. Alia eſt in habitudine, ſeu in fieri, ut ſunt febres humorales, aliæ in habitu ſeu in facto eſſe, & ſunt febres hecticæ.

Ratione complicationis, aliæ ſunt ſimplices, aliæ ſunt complicatæ.

Ratione durationis, aliæ ſunt breves, & acutæ. Aliæ ſunt longæ, & tardi motus.

Hippocratis libro de flatibus expreſsè ſe declarat duo tantumodò febrium genera agnoſcere, *alterum quod commune appellat nomine peſtis. Alterum particulare,*

lare, quod cuique contingit, ob imprudentiam & malam vivendi normam ferratam.

Galenus lib. de arte cur. ad Glauc. expresè ait: *Febres ab inflammationibus ortæ, sunt inflammationum symptomata; sed quæ fiunt ex humorum putredine, non sunt aliorum morborum symptomata, sed ipsi morbi;* ita ut duo febrium genera, seu differentias constituat, & alia febris sit vera, & essentialiter morbus, alia apparenter seu per accidens dicatur febris, nam inflammatio sola est *morbus*, & non febris. Quem tamen philosophandi modum contrà rationem, & contra experientiam superius confutavimus.

Galeni quoque ab universo Galenicorum cætu, magno applausu susceptas tres differentias si examinaverimus, claudicare comperientur.

Galenus igitur lib. 1. de diff. feb. intendit demonstrare, quod febris natura non sit unica, sed omninò triplex, *ratione trium substantiarum, inter se omninò diversarum, nempè spiritus, humorum, & partium solidarum*. Atque veluti irrefragabile exemplum proponit, *aerem balnei, qui primò incalescit, deindè secundò aquam balnei, tertiò parietes balnei.*

Sed pace Galenici, si considerare velimus ratione causarum materialium febres, non solum inveniemus tres esse; sed aliæ quamplurimæ febres erunt, *inter* se omninò diversæ. Sicuti *non est solus* aer balnei, neque aqua, neque parietes; Sed contignationes tabes, ferramenta, lateres, calx, caldarium, aliaque plurima.

Nos autem quærimus an febris causam unicam habeat, efficientem, & universalem febribus omnibus. Tota enim essentia febris, testimonio ipsius Galeni consistit, in calore accenso in corde, &c.

Ita ut si adjnvenerimus, quænam sit hujus causa calorifica, ejus ortum, naturam, & causas, tunc probè sciemus unicam esse naturam febris, (& non triplicem) & veram quidditativam rationem adjnveniemus, cur aer balnei calefiat, aqua, & parietes, & alia multa;

Nempè si respexerimus ad ignem, & eum unicum esse calorificum auctorem dignoscamus; quare pro alterando aere, aqua, & pariete balnei, ad nihil aliud respiciemus, nisi ad augendum, vel imminuendum ignem.

Idem prorsùs dicatur circà essentiam, naturam, & curationem febris; semper enim unico spiritui vitali calorifico, oculos intendere debemus, utpotè causa efficiens, primaria, & immediata febrium.

Cætera omnia pro secundariis causis materialibus, & minùs proximis adjudicanda erunt. Secùs si paritas balnei, rectè curreret, febres omnes necessariò priùs esse deberent ephemeræ, deindè putridæ, & tandem hecticæ, quia priùs necessariò incalescit, aer, aqua, & tandem paries balnei, &c.

Protestamur igitur, nos agere velle de febribus, sub unica ratione causæ efficientis; differentias verò ratione causarum materialium, perfunctoriè tantum celeri pede percurremus, non immorantes in innumerabili falange febrium, quæ ex enumeratione causarum materialium consurgunt.

Signa.

DIagnostica signa, quibus universæ febres dignoscuntur, sunt pulsus celerior, fræquentior, factus à provocato spiritu vitæ custode in corde.

Secundò. Est calor præternaturalis, qui tamen non semper, & vbique manifestatur; In principio enim paroxismorum, tum in febribus malignis occultatur. Talis igitur calor oritur à nisu spiritus calorifici, qui ad fervescendum concitare humores ut depuretur massa sanguinea. Quare influens calor ex præcordiis, in universum corpus diffunditur.

Tertiò. Frigus, horror, vel rigor, quæ non nisi gradualitèr inter se differunt, provt paniculus carnosus, vel sensitivæ membranæ ex. gr. ventriculi, mesenterii, intestinorum &c. ab exhalationibus à minera febrili elevatis irritantur, & veluti convelluntur.

Quartò. Urina mutata, magis rubicunda, tincta à cruore, quod præ febrili incalescentia patitur assationem, ideoque ab acidis spiritibus instillatis, aceto, vel spiritu vitrioli, vel nitri, color harum urinarum augetur. Instillatis autem alkalicis exempli gratia, cineribus, vel oleo tartari, &c. nonnihil pallescunt.

In omnibus igitur febribus præcipua signa habentur à pulsibus, & urinis, provt benè notavit Galenus de arte curat. ad Glauc.

Frigoris autem sensus aliquis, qui in extremitatibus percipitur aliquandò, in accessione æstuante pectore procedit à motu conturbato spiritus insiti calorifici cordis, *qui circa vasa quadruplicia pulmonum incedens*, & veluti ad arcem se recipiens, *imminuit* ordinarium calorificum influxum ad partes longinquas.

Ideoque per illa momenta in quibus influere desistit, partes illæ longinquæ refrigerari percipiuntur, donec reassumptis viribus, & impetu facto adversus molestantis humores, veluti in ita pugna, fermentationem provocans in vasibus magnis cordis, undequaque excandescens, ad extremas etiam partes diffunditur.

Quamobrem sola refrigeratio extremorum, vel pinæ nasi, etiam absque horrore, vel rigore, signum est febrilis accessionis in febribus continuis; & tunc abstinendum est à qualibet exhibitione, donec *pedes, vel extrema incalverint* æquè, ac *pectus*.

In accessione igitur pulsus solet esse celerior, & fræquentior; sed angustior, & veluti in se contractus, atque profundior.

Conqueruntur de corde, seu de præcordiorum anxietate, vel de quadam cardialgia, cum dolore aliquo capitis.

Ut *plurimum cum manifesto* horrore, vel rigore. Interdum cum vomitu.

In progressu verò febris fiunt inquietudines, æstus, sitis, jactigationes.

In declinatione tandem sudor, vel aliquis mador.

Franciscus Sylvius unicum, & pathognomonicum signum febrium, esse pulsum præternaturali celeritate in singulo individuo concitatum; ideòque consilium dat, quod medicus summis viribus allaboret in dignotione pulsuum, ut febrium conditiones, tempora, & alia cognoscat.

Verumtamen quia in praxi cognovimus difficilem admodum esse exactam, & certam habere notitiam singulorum temporum febrium, tum universalium, tum particularium, ideò pulsilogium excogitavimus, cujus ratio conficiendi, eadem fermè est, ac horologiorum, rubra arena confectorum.

Solummodò enim pauca arena includatur, per quam una vice commensurari possint centum circiter pulsationes arteriæ, & non amplius, ideò duo, tria, vel amplius parvula vitra conficiantur diversæ magnitudinis ab illis qui in mercuria Venetiarum innumeras res curiosas ad flammam lucernæ, ex vitro conflant.

Accedentes igitur ad febricitantem, observabimus prima vice vertendo pulsilogium, quot pulsus intercesserint usque ad integrum casum arenæ nam

sequenti

sequenti tempore febris in statu dabit plures pulsationes, in declinatione vero pauciores;

Inde certissima, & firma ratione poterimus admoneri de temporibus febris, pro cibo, vel remediis exhibendis; nam in febribus potissimum intermittentibus, semel habita notitia numeri pulsationum naturalium illius ægri tempore intermissionis febris, deindè ex numero majori pulsationum, in futurum tempus, febris tempora ejusdem ægri cognoscemus omninò.

Eadem, & faciliori ratione, per optimum horologium ostendens minuta horarum poterimus observare intra duo, tria, vel plura minuta quot pulsus pulsationes intercesserint, & pro majori vel minori numero, judicare sine errore de tempore febris.

Itavt saltem vulgari horologio ipse patiens, vel assistens aliquis, ex observatis pulsationum numeris factis intra horæ quadrantem, poterit certissima ratione certior fieri, de augmento, statu, vel declinatione febris, facta comparatione numerorum pulsuum, qui interveniunt in diversarum horarum quadrantibus.

Cor etenim ipsum, pulsilogium quodam est, in *singulis individuis, vitæ terminum* commensurans, vltrà quod non est aliud vitæ tempus; sed *in pulvere* quiescendum est.

Pro notitia verò pulsuum, medicus exercitatus esse deberet in notitia pulsuum suorum amicorum tempore sanitatis, & hæc est vera cognitio utilis prudentum medicorum, non illa quæ à petulantibus jactatur, & deprædicatur, ut reverentiam concilient, dicentes se noscere hujus, vel illius temperamentum, quod oculis solis judicioli medici, quolibet tempore, sine alia experientia judicari potest.

Sciendum pariter est in diversis ætatibus diversificari pulsus, nam infantibus celerimus est, in senibus rarus, & quandòque intermittens reperitur, & tamen naturalis est, & sine febri.

Lassitudo, pandiculatio, oscitatio, dolor capitis, lumborum, nausea, subversio, appetitus prostratus, & consimilia, solent esse præcones febres. imò plurima hæc conjuncta, jam præsentiam febris arguunt.

Observationes.

PRo testimoniis nostrarum assertionum, nostras & aliorum observationes in medium afferre decrevimus.

Observavimus igitur inter cætera nostra principia physica, quod particulæ singulæ massa sang. constituentes, inertes, mortuæ sine motu sunt, indigæ ut moveantur à spiritu vitę calorifico, qui easdem impellat ad motum progressivum circulationis naturalis non solum, sed ad motum quoque fermentativum conaturalem universæ massæ sang. & intrinsecum.

Spiritus hic impulsor æthereus est, à congeneo æthereo spiritu, assiduò nutritus perhaustam respirationem, & per spirituosam substantiam ætheream in singulis alimentis repertam.

Hic unicus in toto orbe motor est, anima mundi à Platone dictus, à nobis spiritus æthereus. Anecotericis Archeus, dictus ab Archi, seu à principio motus, & quietis. Ab Aristotele verò insignibatur titulo naturæ, sed sine explicatione, quæ non esset ista sua natura, & unde veniret; sed nomine solo metaphysico ad placitum posito contentus Entelechiæ, seu potentiæ motricis, reliquit aliis, ut investigarent ejus causas, atque geneologiam, cujus tamen notitia est lapis angularis totius physicæ, quæ fundatur in motu.

Observ. quod quandò humor aliquis fermentativa qualitate prædictus, motui, & mixtioni naturali sanguinis planè contraria, ex sua minera, in qua accumulatus est sensim, & sensim cordi suggeritur, fit febris; quæ tandiù durat, donec cesset talis transmissio, tunc enim libero corde à tali materia fermentativa, cessat febris.

Observ. pro certo, & infallibili, quod per sola corpuscula inertia, mortua, passiva, terrestria, aquea, in massa sang. contenta, explicari non possunt phœnomena universa febrium; provt optimè explicantur per notitiam spiritus vitæ, unici impulsoris, ac motoris, qui ætherea proles, tenuissimus minima quæque intervalla, & porositates intelligibiles replens, corpuscula omnia in massa sanginea reperibilia movere, atque exagitare solus potest.

Observ. igitur, quod cum iste spiritus æthereus unicus in orbe movens sit, & per consequens unicum instrumentum corporeum omnium facultatum animæ. Si contingat, quod pulsentur, ac moveantur fibrillæ cordis, & suorum vasorum à materia hostili, & præternaturali; tunc facultas sensitiva (cui spectat judicium de rebus hostillibus, vel amicabilibus) juxta speciem compræssionis magis, vel minus moventis, magis, vel minus turbatur, & statim ideam caloris, vel frigoris concipit.

Observ. quod sanguis, tum vinum, imò universi liquores, hoc commune habent, ut à causa calorifica moveantur, sic iuxta motum solis, seu accessum, & recessum ejusdem habentis in se spheram ignis, & caloris (provt in physicis ostendimus liquores omnes magis, vel minus exagitantur, & fermentantur.

Observ. igitur quod tota essentia febrium, in turbata sanguinis mixtione consistit, & in spiritus sensitivi perturbatione facta à molestantibus particulis, sensitivas fibrillas lacessentibus.

Observ. *quod non omne id quod massæ* sanguinis miscetur, statim concitat febrem; sed tantùm illud, quòd fermentationum præternaturale existens, sanguinis naturalem mixtionem turbare valet.

Ideoque chylus probè fermentatus, à stomachi fermento probo (dessumpto à sero alb. ut ostendimus in instit. med. refor.) alteratus, dum pervenit ad cor, sanguinis mixtionem non turbat, similaris enim, congeneus, & amicabilis jam factus est sero alb.

Sed improbus chylus, cui admixtæ sunt variæ particulæ seri alb. corrupti fermenti stomachici, tum variæ exoticæ particulæ alimentorum errore digestivæ facultatis stomachi, ad cor perveniens, est fræquens, & ordinaria causa, ut spiritus sensitivus insurgat, atque sanguinis mixtio turbetur.

Observ. quod sanguis noster, tandiù sub probæ, & naturalis mixtionis vinculo detinetur, quandiù partes componentes (sicuti fortè fit in vino, postquam fermentatum fuit) ita se mutuò tangunt ut solumodo spiritus æthereus, omnia spaciola replens intercurrat, ut eis naturalem, & convenientem agitationem conservare possit.

Si verò peregrina materia influat, tunc invicem partes laxantur, & alia interstitia, peregrinasque porositatis admittunt, per quas spiritus fermentator delatus, varia, ac præternaturali ratione fermentando movetur. Indè variæ febres exurgunt, pro varia inordinatione humorum, varioque fermentationis, & sanguinis motu.

Observ. quod circa partem affectam, seu circa subjectum febris, diladiantur inter se auctores, variis

riis inherentes principiis. Galenus cor ſolum agnoſcit. Avicenas venæ portæ ramos cum hepate. Orebaſius arterias majores, & cordi proximas. Sylvius circa orificium inteſtini duodeni, ubi exoneratur bilis, & ſuccus pancreaticus, fitque luƈta pugilum febrilis. Helmontius os ventriculi ſupernum ſtatuit eſſe campum febris.

Nos verò pro ſubjecto febris, præter cor primarium, conſtituimus omnia viſcera, & ubicumque fuerint conſpicui tubuli nervoſi, fibrilloſi, ſenſitivi.

Ita ut non excludantur vaſa quælibet ſanguinea lymphatica, chylifera, & eorum univerſæ glandulæ in quibus fermentativæ, ſylveſtres, febriles particulæ latere poſſunt. Sed potiſſimum glandulæ, in quibus lympha acidis ſolutis fermentativis ſalibus contaminata, excrementa ſecum geſtat quartæ, & ultimæ concoƈtionis, quæ celebratur in ſingulis membris, talis enim impurus liquor maſſæ ſanguinis communicatus, ejus mixtionem turbat, & febrem concitat.

Obſerv. quod in ſtatu naturali fel amarum cum ſucco pancreatico, & chylo acidiuſculo, amicabiliter congrediens, circa inteſtinum duodenum, mutat chylum in ſalſum. Sed in febribus, præpoſterè agens, non frænatum à frigidò, acidiuſculo ſucco pancreatico, chylum ad ſuam naturam, nempè amaram deducit.

Obſerv. quod ſepè cauſa occaſionalis febris provenit à toto, nempè ab excrementis ultimæ digeſtionis in membris, dum ſibi aſſimilare nequeunt nutrimentum allapſum. Tale igitur degener nutrimentum, varias poſtmodum ſubiens alterationes, & cauſa ut variæ febres concitentur.

Obſerv. etiam, quòd inter cauſas occaſionales febrium poſſunt eſſe ſcoriæ alimentorum, quæ cum ſtercore foras prodire debuiſſent, ſi liquefactæ, ſolutæ, & fluxiles, per venas meſaraicas, vel vaſa chylifera, vel etiam lymphatica, ad glandulas lumbales, inde per vaſa Pequetana, ad cor additum inveniant.

Obſerv. quòd quandòque materia in una parte ſenſim congeſta & tumorem ex. gr. faciens, licet ejus pars non feratur ad cor ad ſanguinis mixtionem turbandam, tamen ſit cauſa occaſionalis febris, ſed febris ephemeræ, & ſalutaris, præ ſola moleſtia Archeo illata. Exemplo ſpinæ quæ calorem, tumorem, & febrem occaſionaliter cauſat; non quia ſpina calorem habeat; ſed quia ſpiritus ſenſitivus inſurgit ad moleſtiam arcendam.

Quare Hipp. 4. aph. 55. *In bubonibus febres omnes malas eſſe d. xit; præter diarias;* qui quidem aphoriſmus accommodari poſſet, etiam aliis tumoribus quibuscumque & inflammationibus, etiam pleuritidis, phrænitidis, vel cujuslibet partis.

Niſi etenim foveatur tumor, ſeu inflammatio ab alia materia prava, quæ in vaſibus magnis conſtituat febrem putridam dictam, & eſſentialem; & ſi fortè fortuna, pleuritis ex gr. vel phrænitis excitare poſſet ſua ſola qualitate immateriali calorifica febrem accidentalem à Galenicis dictam, eſſet levis, & ſalutaris febris ephemera, propter quam nemo pleuriticorum, vel paraneticorum periret.

Sed pereunt non propter meram inflammationem bubonis, pleuritidis, vel phrænitidis, ſed propter pravam materiam adhuc in venis magnis reſtitantem febrem eſſentialem concitantem, & talem inflammationem foventem.

De qua re antecedenter plura diximus, & opinionem Galeni docentis, pleuritidis exempli gratia febrem, non eſſe eſſentialem; ſed ſymptomaticam excluſimus.

Levis igitur, & ſalutaris febris ephemera illis bubonibus contingit, qui non habent mineram aqua foveantur in venis magnis, ſed jam materia cevicta, & propulſata a venis magnis ad glandulas, vel ad alias partes, natura depugavit univerſam maſſam ſang.

Talem verò eſſe legitimum ſenſum Hippocratis collegimus ex lib. 2. epid. ſect. 3. ubi ſententiam ſuam dilatans, & magis perſpicuam faciem ait: *Ex bubonibus febres omnes malæ, exceptis ephemeris; nequiſſimi vero bubones, cum febribus acutis ſunt, & decreſcentis. Quales ſanè bubones, ſepè in febribus peſtiferis comparere ſolent, qui cum emerſerint, decreſcunt.*

Obſerv. itaque quod talis ſpina, ſeu cauſa occaſionalis febris, nidum ſuum habere poteſt in variis naturalibus officinis, ſeu in primis viis, circa pylorum, duodenum inteſtina, vaſa menterica, lienis, pancreatis, &c.

Atque ſpinæ iſtæ ſunt ſalia acida, acuta ex indigeſtionibus prognata; ſed potiſſimum ſtomachi vitio.

Obſerv. quod Vvilliſius, & Hogellandus, tuentes ſententiam *de fermentatione, docent naturam, & eſſentiam* febris conſiſtere in præternaturali, ac nimia maſſæ ſang. fermentatione. Idcòque febrientes omnes, licet indociles, & rudes, conqueruntur, & dicunt ſe habere accenſum ſanguinem, ac veluti ebullientem.

Obſerv. quod ſerum alb. de *cerebro* defluit aſſiduò per nervos ad ſpermaticas albas ſubſtantias nutriendas, indè quod reſiduum eſt à nutritione ſpermaticarum harum partium reſorbetur à venis, & circulando defertur ad cor, à quo deindè ad cerebrum remittitur (prout in noſtris inſtit. med. refor. oſtendimus).

Dum ergo hoc æquabili ſuo circulationis motu movetur à cerebro per *nervos*, ad *membra*, & ab his per *venas*, & cor, ad cerebrum, &c. tunc ſanitas, & vires inconcuſſæ manent nutritivaque facultas, munera ſua felici ratione perficit.

Sed ſi aliquam labem contrahat, vel à ſua naturali circulatione divertatur, atque interturbetur, tunc fit auƈtor dolorum, convulſionum, delirii, phrænitidis aliorumque terribilium *nervoſi generis ſymptomatum*.

Indè deducitur ratio, cur in febribus licet ardentibus, & magnis factis ab ingenti conflagatione cruoris, ſemper ſalutis ſpes affulget, donec tandem communicetur labes etiam ſocio ſero alb. & à naturali ſua craſi pervertatur, tunc enim fiunt cerebri, & nervoſarum partium horrenda ſymptomata, deliria, convulſiones ſomnolentiæ, paraphrænitides, &c.

Obſerv. quod idem dicendum eſt de probo chylo, ſi etenim cum probo ſero alb. (ambo frigidi humidi aquei liquores) concurrat ad debitam attemperationem cruoris, ignei, terrei; maſſa ſanguinea proba, & temperata reſſultabit, chyluſque inter circulandum exuens clamidem albam, induet veſtem purpuream, perficieturque in ſecunda culina.

Quandiù igitur hæc ritè, & rectè ſervata fuerint, maſſa ſanguinea nullam *præternaturalem* ſubit alterationem, facultaſque nutritiva ſua munera rectè perficiet.

Sed ſi in ſtomacho, vel in primis viis *chylus* pervertatur, vel depravetur; ad cor deinde delatus, maſſæ ſanguineæ confuſus, cum eidem aſſimilari non poſſit, æterogeneus exiſtens, turbas concitat, & febrilem fermentationis ebullitionem cauſat, cum maſſa ſanguinea ad plenitudinem, jam ſatura-

saturata fuerit; secùs levem, & brevem effervescentiam pariet.

Observ. quod cum semel massa sang. contaminata fuerit communicatur labes circulariter universis membris, & universis facultatibus.

Nam ex gravi à prima culina stomachi veniat materia prava, à qua contaminetur in secunda culina, scilicet in corde massa sanguinea; hæc defertur ad tertiam culinam seu ad cerebrum, ut in serum alb. excoquatur, hoc assiduò depluvit directè ad quartam, & ultimam culinam membrorum, indirectè etiam ad stomachum, ut ibi constituat fermentum aptum primæ culinæ concoctricis.

Sed a jam contaminato hoc fermento, scilicet sero alb., contaminantur assumpta alimenta, quæ specie chyli primæ culinæ ad cor delata, turbant mixtionem massæ sang. Et sic circulariter digestionum culinæ procedentes, fiunt causæ præternaturalis fermentationis, & febrium.

Observ. quòd quandò bilis, seu fuligo combusti cruoris sequestrata in jecore per vasa cholidoca, recta via feratur quotidie circa finem intestini tenui expurganda per intestina.

Melancoliæ verò succus, seu aquositas acida seri alb. à massa sang. pariter mediantibus lienis minimà vascula, si probi separata procedat, per pancreas, & ductum Versungianum ad intestina quotidiè expurganda.

Pituitosus verò succus (seu lympha lotrix variis salibus acidis, potissimum seri alb. imprægnata) si ab innumerabilibus glandulis intestinorum, pancreatis, colli, pectoris, abdominis, & aliis suscipiatur, indè alterata, per vasa lymphatica ducatur forma liquida ad regias vias, & amplas excrementorum alvi, urinæ, vel etiam sudoris, per contextum milliarium glandularum cutis.

Tunc excrementis istis, ritè, & rectè à vegeto spiritu impulsore hoc modo sequestratis, impossibile est, quod febres causari possint.

Sed tunc febres causantur, quandò prepostero motu moventur, & de suo naturali loco, tum à consuetis viis deflectunt, atque à venis circulando rapiuntur, & ad cor, seu ad massam sanguineam contaminandam feruntur, provt magis in progressu ostendetur.

Observ. quod naturalis fermentatio massæ sanguineis, tunc fit (ex Hogellando) quandò debita sulphuris, salis, & mercurij portio servatur, & ab igneo cordis fermento, seu ab insito spiritu calorifico cordis, sanguinis massa, in ventriculos cordis influens, in momento accenditur successivè.

Morbosa autem fermentatio, tunc contingit, quandò unum ex his principiis, vel duo prævalentes tertio, defectuosi, vel intemperati fuerint.

Observ. quod pulsatio cordis celerior, vel tardior in febribus, non dependet à sanguinis massa crassiori, vel tenuiri (ut putant aliqui Neoterici cor moveri ab aquis, sicuti rotæ molendini putantes) nam certa res est, quod cor abstractum ab animali, diù pulsare observatur, absque sanguine.

Ita vt Adriæ viderim cor piscis sturionis, etiam in frustula dissectum frustula pulsasse ultra 24. horas. Idem fermè in corde anguillæ, vel testudinis contingere solet. Dependet igitur motus cordis, à motu magis, vel minus impetuoso insiti ejus spiritus sensitivi magis, vel minus lacessiti.

Observ. præternaturalem massæ sang. fermentationem introduci frequenter à particulis fermentativis potissimum acido salinis, acribus, ad cor delatis, ejusque fibrillas sensitivas lacessentibus, quæ à corrupto acido sero alb. præpostero motu, venientes, ad cor deferuntur, à glandulis potissimum depurato-riis seri alb. (nempè à mesenterio, liene pancreate) provenientes.

Observ. etiam, quod in dictis glandulis, dum stagnat talis succus acidus seri alb. corrupti, & non expurgati, per moram ibi crassior, & acrior factus, constituit pituitam viscidam, plus, minus acrem, caulam obstructionum, atque impedimentorum in primis viis, indè fit fomes febrium cronicarum.

Observ. quod effectus probè, & naturalis massæ sanguinis fermentationis, seu mixtionis est, ut tali sanguinis motu fermentativo, vitalis igniculus vivax conservaretur, ad hoc ut tum vitales, tum cæteræ actiones, commodè celebrari possint.

Ut autem igneus iste celestis, & mobilissimus spiritus assiduò suppeditari posset, nec deficeret, in loco evolantis, novus, ac recentissimus spiritus æthereus, per pulmonem elycitur, atque emulgetur est almosphera aeris, qui igneus, æthereus, calorificus, fovet deindè, & alit ignem perennem Vestalem cordis.

Observ. quod naturalis constitutio particularum, massam sanguineam constituentium est, ut neque salinæ nimis, acidæ, amaræ. Neque nimis crassę gumosæ, neque nimis tenues, aquosæ sint. Neque altera, alteri prævaleat quantitate, vel qualitate.

Sed ita inter se contemperentur, ut ad probam, & utilem vitæ symetriam in unum conspirent armonicè, eundem motum sine repugnantia admittentes, etiam secundum minima, vt sic bona mixtio resultet, & vera ac naturalis sanguinis consistentia habeatur, pro animalis incolumitate.

Observ. quod pororum in cute constrictio, vel dilatatio plurimum confere potest, ad augendas, vel minuendas, breviores, vel longiores febres efficiendas, tum paroxismos particulares accellerare, longiores, vel breviores facere valet.

Ideòque observamus, quod in tertianis declinantibus cum sudore, magna spes est brevitatis. Excrementa enim fumosa à culinarum omnium caminis elevata, dum per solita perspiracua efferi non possunt, massæ sanguineę confunduntur, & ejus naturalem, vel consuetum motum turbant.

Observ. quod ut plurimum febres, & morbica catharrales, circa horas vesperninas molestare magis solent, declinante scilicet sole ad occasum, quoniam à calore solis porositates cutis circa meridiem fiunt magis apertæ, sed sole declinante, ac recedente, aer refrigeratur, & pori cutis angustiantur, atque densantur.

Perspiratio autem quantum febres alterare possit; satis explicare non possumus; sed observamus quod circa auroram iterum ad nos sole eccedente pori aperiuntur, & naturaliter in sanis fit quædam irroratio circa cutem, in salutaribus autem febribus tunc sudor, vel saltem aliqua mollis perspiratio, & febris remissio fit.

Observ. quod in sententia veterum febris essentia consistebat in igne in corde accenso; & cum eis quidem concordamus; sed in hoc discordes sumus; quia hunc ignem, seu potiùs calorem (ut constat ex definitione, febris est calor, &c.) putabant esse qualitatem Aristotelicam, & non verum, & realem ignem, omnem naturam, & effectus ignis habentem; nam quandòque ad tantam incalescentiam pervenit, ut comburat cruorem, & carbunculos faciat atque antraces.

Nos igitur dicimus calorem hunc febrilem provenire ab igne; scilicet spiritu æthereo, seu ab Archeo, qui potissimum solaris progenies est, à quo procedit omnis calor, sive insitus cordis, sive insitus membrorum,

brorum, sive influens; assiduò respiratus, & demissus per arterias ad universum corpus.

Unicus in toto orbe terrarum existens motor, & per consequens unicus impulsor humorum omnium. Unicus motor, & auctor vitæ corruptibilis, & instrumentum facultatum vegetativæ, & sensitivæ animæ.

Hic idem spiritus, lacessitis *suis* sensitivis fibrillis in quibus undique inhabitat (ut araneus in suis contextis filis) illicò *prosilit*, atque pro vario motu, ac pulsatione *in fibrillis facto*, ideas concipit tardi, vel celeris motus ac veluti iræ, ac impulsionis vehementis.

Modo torpidus veluti somniculosus, vel timidus, interribili peste, nil agere, nec causam morbificam aggredi observantur.

Interdum se sparsum recolligit, ad majorem resistentiam molestantibus faciendam, neque diffunditur, neq; expanditur ad membra longinqua; Quamobrem cessante ejus calorifico influxu; membra naturalem suæ terræ, & aquæ elementarem frigidam qualitatem, magis, vel minus manifestant, pro majori vel minori influxu talis æthetei calorifici ignei spiritus.

Ideoque in cadaveribus, absente spiritu, talis motus caloris, & frigoris, successivè *neri* non potest; sed tantum elementorum frigus stabilis permanet. Quæ omnia jam satis in nostris instit. med. refor. ostendimus.

Observ. itaque quod talis æthereus spiritus, in omnibus mixtis continetur, & per consequens in omnibus liquoribus; in quibus est unica causa alterationum omnium, seu motuum fermentationis. Sunt enim humores aquei, terrestres, elementaris, frigidi, sine vita, sine motu; Vitam, & motum à spiritu calorifico, igneo, æthereo mendicantes.

Ideòque turbati motus in massa sang. seu fermentationis præternaturalis, unica causa immediata, est talis spiritus æthereus, *qui movere non cessat*, agitando elementares particulas; donec tandem sequestratis incongruis, veluti excrementitiis, cæteras ad armoniam, & amicabilem unionem componet.

Cujus rei celebre satis exemplum vini *habemus* à Kergero lib. de fermentatione. Non cessat enim mustum à spiritu fermentari, nisi particulæ veluti indomitæ, sub fræno rectoris spiritus in pace regantur, tunc enim unica fit natura, seu compositum, ex spiritu & vinosis particulis, quod appellatur vinum, diversæ tamen sunt substantiæ componentes, quæ ideò per spargiricam artem ab invicem separabiles sunt. Spiritus vini, fæcis, &c.

Observ. quod adeò decantatæ particulæ sulphureæ sanguinis Neotericorum, quæ dicuntur ab eis causæ febrium, nihil aliud important juxta nostra principia, quam partes tenuiores cruoris, magis dispositæ concipere calorem, & ignem, irati spiritus sensitivi calorifici in corde accensi.

Ex quibus inflammatis, combustis, & fuliginosis, generatur id quod vulgò bilis appellatur, flava, & amara (eadem planè ratione qua fuligo camini ab igne generatur, & si aqua diluatur, colorem flavum, & saporem amarum redolet) & dicitur fel.

Observ. quod sicuti ob denegatam eventillationem in fæno madido, igniculi interni, qui sunt in omni composito impetum faciunt, & totum fænum fermentant; atque calefaciunt adeò, ut quandòque ignem actualem concipiat. Hoc idem omninò heri dicere possumus, negata corporis necessaria perspiratione.

Sic enim in corde, & pulmonibus, massa sang. à fumosis spiritibus coercitis, atque impeditis, ne eventillari possint, magis, magisque fervescens incalescit, & accenditur, motuque rapidissimo caloris sui effluvia per universum corpus dispergit.

Ostendimus enim in antrographia, quod ad cordis focum, veluti ad ignem Vestalem perenem accendendum, descendit ad nos cum aura atmospherra spiritus quidam æthereus calorificus igneus, qui fovet, & veluti nutrit cordis calorem innatum, & membrorum. Constituitque illum calorem, quem influentem dicimus.

Hic pariter sicuti cætera fluida nostri corporis, habet suam circulationem; Nam assiduò influens ad cor, per *pulmonis*, iterum exit ad spiritum congeneum æthereum per cutis porositates.

Dum igitur fumous exhalationibus liquorum corporis involutus, viam quærit ad exitum, & coercetur, ne libere transpirare possit, lentim, & sensim coarcervatus, & copiosus factus, calorem febrilem, quodamodò putredinosum sæni concipere observatur.

Observ. *quod massa sang. in corde, & vasibus suis, sicuti* aqua in vase, super ignem posita, ab ingredientibus, & commixtis igneis particulis, lensim incalescens, demque adaucta majori copia, iniculorum ebullire, destillare, vel extra lebetem prosilire cogitur.

Sic pariter massa sang. ebulliens à *spiritu* calorifico, fervido dum agitatur, plura symptomata febrium parit. Extravasata enim facit inflammationes pleuriticas.

Impetum faciens in fibrillis sensitivis, sensationem *dissolutionis* continua inducens, dolores facit, in capite phænitidem, colicos dolores, arriticos, &c. discindens, dilatans, aperiens vasa sanguinea, sanguinis fluores *parit*, dysenterias *hemorhagias*, &c. extra etiam vasa sua per modum rorjs, & destillationis extra cutem sudores profundit.

Observ. quod facta tali incalescentia febrili, ac præternaturali spiritus, & massæ sanguineæ, subsequuntur deindè alia multa phœnomena; fermenta enim viscerum labefactantur, & potissimum ventriculi, *indè* innappetentia, prava concoctio (à *quibus innumera mala causantur*) depravata nutritio, indè variorum excrementorum collectio exoritur.

Serum quoque alb. partibus albis nutriendis, & spermaticis destinatum, per consortium accensi cruoris (ut fit in incendiis contiguorum domorum) accenditur tandem, & suam mitem naturam ammittens, terribilium symptomatum in febribus malignis dictis causa est.

Tunc enim tota æconomia animalis perverritur, fluuntque in cerebro, & in nervosis substantiis mordinationes omnis generis, deliria, somnolentiæ, convulsiones, &c.

Observ. quod per maximam naturæ solertiam, tum spiritus tenuitatem, & contextum nerveum fibrillarum cutis, a quocumque hyemali frigore, omninò insensibilis transpiratio impediri non potest, secus omnes hyeme intenso febricitaremus.

Sed talis, & tanta debet esse impedita transpiratio, quandò facit febrem, ut efficiat ad mixturam sanguinis turbandam.

Sic fænum non à quacumque aquæ aspersione, vel inundatione, fermentationem igneam concipit; sed totum, quandò madidum est adeò, ut spiritus calorificus contentus, cum fumositatibus liberè perspirare non possit.

Observ. quod secundum nostra physica principia, tem-

tempore ſanitatis, neceſſe eſt, ut aſſiduò bilis generatio fiat (quæ quidem excrementitia eſt, ſed plurimis naturalibus vſibus eſt neceſſaria) ex cruore, in corde aſſato, & *combuſto*, veluti in fuliginem camini converſo, *flaveſcente*, amaro.

Procul *vero dubio* multo major copia cruoris in febricitantibus aſſari, atque comburi contingit, quam in ſanis, *ob* intenſiorem igneitatem ſpiritus, agitantem cor cum contentis humoribus.

Talis igitur fuligo, ſeu bilis, niſi ob ſui copiam, vel ob jecoris impedimenta, aut viarum, liberè expurgari, & per vias naturales, & conſuetas ſibi eliminari poſſit, detenta cum cæteris liquoribus, circulando ad cor deducta, fermentationis, ſeu febris fit cauſa conjuncta.

Ecce ergo frequentior cauſa materialium febrium, bilis ſcilicet generatio, abſque eo quod metaphyſicando immaginemur putredines, focos, & caminos aereos febrilis ignis.

Obſerv. quod autumnales febres diutiùs prorogantur, faciliùs enim in quartanas migrant, & difficilius ſoluuntur, quam alio quovis tempore, imò fræquentius recidivant.

Obſervavit igitur Hippocratis 2. aphoriſ. 25. *quod quartanæ autumnali tempore ortæ, ſunt æſtivis longiores, potiſſimum quæ fieri propè hyemem contingunt.*

Tunc enim valdè rationabile eſt, quod ſerum alb. frigidum, aqueum, quod fuit depreſſum, & conculcatum à contrario ſucco bilioſo, igneo, permutationem anni temporis à receſſu ſolis factam, autumnali frigore inſurgente, incipiat exaltationem ſuam habere, inde generari obſtinatum mulum melancolicum devehendæ febri quartanæ tardigradum.

Obſerv. quod vana eſt diligentia, & inveſtigandi anxietas Galenicorum, qui trutina auri, & gemmarum ſatagunt ponderare, an iſta, vel illa febris, ſit latica, epiala, hemitriteus, vel alia, quaſi omnia mutanda ſint.

Nam unica eſt cauſa univerſalis febrium, turbata ſcilicet ſanguinis mixtio, à qua deindè varia fiunt ſymptomata à quibus febres denominari poſſunt; dum interim unica eſt natura, & unica curatio ſcilicet reſtitutio ſpiritus calorifici ad ſuum naturalem motum, quòd fiet reſtituta maſſa ſanguinea ad ſuam naturalem unionem, craſim, & motum.

Obſerv. atque inter noſtra principia fundamentalia poſuimus, quod ſine febri, ſeu ſine præternaturali fermentatione, impoſſibile eſt, ut in vaſibus magnis cordis reperiatur notabilis cacochymia, ſive bilioſorum, ſive pituitoſorum, ſive melancolicorum humorum, &c.

Quia nimis vigilans cuſtos vitæ, & ſanitatis, eſt ſpiritus noſter ſenſitivus (Archus) præſes indefæſſus fermentationis maſsæ ſang., intentus mediante hoc ſuæ motu fermentativo, aſſiduam diſputationem excrementorum moliri, ut facultati naturali, ſeu nutritivæ potentiæ, conſervare poſſit veluti intactum vitæ theſaurum; maſſam ſcilicet ſanguineam puram pro nutriendis membris; tum rubris carnoſis per cruorem, tum albis ſpermaticis, per ſerum alb.

Ideòque per hoc munere rectè celebrando, multa viſcera, glandulæ, & emunctoria, à natura conſtituta fuere, & potiſſimum hepar pro depurando cruore, ſcilicet pro ſecernendo ab eo partem in corde combuſtam, fuliginoſam, flavam, amaram, titulo fellis. Tum lienem pro depurando ſero alb. acido incraſſato, frigido, aqueo.

Quibus tertius triumviratus maſsæ ſang. liquor accidit, culinarum lotrix lympha, quæ pro opportunitate vbique famularetur, pro elvendis, & aſportandis (more aquæ elementaris) excrementis. Nec non famularetur cruori, apoſita ſua aqua, ne ultrà menſuram comburetetur.

Ordinariè verò veluti pediſequa, famulatur ſero alb. (quòd ſecùs natura ſua facilimè concreſcibile, atque coagulabile eſt) illud diluendo, tenuem, ac fluxilem reddendo.

Obſerv. igitur quod acceptis hujuſmodi fundamentis, & præuntibus veluti luminibus, & facibus, in caliginoſa nocte dormientium præceſſorum, poterimus latibula febrium, earum cauſas, & phœnomenum rationis ſingulas optimè diluci-dare.

Atque unicam eſſe eſſentiam naturam, & cauſam, à qua ſymptomata varia dependere poſſunt, palpabili quadam ratione cognoſcere poterimus.

Ideò namque fit febris, quia aliqua materia præternaturalis, in maſsam ſanguineam ſe ſe inſinuare vult, ex. gr. per externos errores, ad quam eliminandam iuſurgit ſpiritus ſenſitivus, ſolito ſuo inſtrumento fermentationis, qua ſequeſtrata, vel per loca excretionum deſtinata foras expulſa ceſſat à præternaturali hoc febrili motu fermentationis, & ab intenſo calore, ad naturalem motum ſuum maſſam ſang. reſtituens.

Donec materia morbifica, quæ ſequeſtrata fuerat ad cor denuò delata, *irritatione facta!*, ſenſitivum ſpiritum ad novam acceſſionem faciendam excitet.

Secus à languido ſpiritu fermentatore, maligna corrupta materia, copia, vel qualitate peccans, niſi potuerit extra vaſa magna cordis propelli, atque relegari, non ceſſabit præternaturaliter movere, atque febrili ratione fermentare maſsam ſang. factis diverſis ſymptomatibus febrium intermittentium, vel *continuarum*, prout jam jam proximè oſtenſuri ſummus.

Obſerv. interim, quòd pari paſsu procedunt vita, & nutritio, ab ortu, ad interitum, & quod inſtrumentum præcipuum, atque maritus ambarum, & ſpiritus æthereus, ſenſitivus, calorificus, unicus motor, rerum omnium ſublunarium, qui maſsam ſanguineam elementarem, veluti aquam agitat, fæcundat, & nutricem reddit univerſorum membrorum.

Quare ad converſionem dici poteſt de vivente; ideo vivit; quia nutritur. Ideò nutritur; quia vivit;

Ex quo magnum deindè monitum prudens medicus elicere debet; nempè quod negotium vitæ, & mortis, ſalutis, vel ægritudinis, non in multis; ſed in ſola facultate naturali, ſeu nutritione conſiſtitit cujus probi ſucci ſi vigeant, vita, vigor, & ſanitas vigebunt.

Si autem ab excrementis contaminentur, ægritudo inſurget, & mors in foribus erit; quare de uno tantum ſollicitus erit ſemper medicus, de ſalute ſcilicet nutritivæ potentiæ, alia plurima quæ aguntur, veluti lineæ, ad unicum hoc centrum ducantur.

Obſervamus indè, tantam eſſe curam naturæ pro vita incolumi ſervanda, tot eſſe mecanicas artes, & artificia, & inſtrumenta, depuratoria, excretoria, & canales, hoc unico fine, ac intentione, ut maſsa ſanguinea vitæ, & ſanitatis nutrix, & irrigatrix, pura, dulcis, nutritioni apta ſervaretur.

Aproba enim poſtmodum nutritione, omnis incolumi-

columitas venit; ab hac inquinata omne morborum genus resultat.

Morbi enim, vel sunt universales, facti ab excrementis istis, in vasibus cordis cum universo corpore communicationem habentibus, & tunc fiunt febres. Vel sunt morbi particulares, quia in particularibus vasculis excrementa ista naturæ molesta insideant.

Stantibus igitur istis principiis, rationabilique possumus totam medicinæ artem in angustiore cortice includere, quam incluserit olim Græculus quidam in cortice nucis Illiadem Homeri. Sufficeret enim ad rectam morborum intelligentiam, & curam, unicè nutritioni intentos esse.

Observ. certè, quòd corporum lassitudo ingens in febribus, ad motus, & actiones impotentia, ab impassibili anima non potest provenire; sed à turbata sanguineæ massæ mixtione, & indè mala facta membrorum nutritione, turbato spiritu insito, membrorumque fermento alterato, propter alteratum spiritum influentem, igneum factum, subertentem opera nutritivæ potentiæ, massam sanguineam ad præternaturalem motum impellentem.

Observ. quòd genericum est in febribus omnibus pulsuum præternaturalis celeritas, & *fræquentia*, à qua diù durante, turbatur præternaturaliter massæ sang. motus, firque copia bilis ex cruore inde aslato, & fit, vel fovetur febris.

Fit tamen à cursu, ira, & ab alijs externis causis pulsus celeritas, quæ tamen diù non durat; sed restituitur spiritus, & massa sanguinea ad pristinum suum naturalem motum, intra modicum tempus, quia modica est bilis, quæ ab aslatione transitoria cruoris facta fuit, vix digna nominari principium febris ephemeræ ac transitoriæ.

Semper tamen subjectum in omnibus febribus est Cor, eo quia vitæ, & caloris unicus fons est.

Atque ex Galeno de diff. feb. 1. *caloris excessus non debet appellari febris, nisi sit talis, ut cor præternaturaliter afficiat.*

Observ. igitur quod unica causa efficiens febrium est spiritus æthereus calorificus igneus factus. Unica causa materialis est materia peccans, & irritans.

Quocumque modo ambo considerentur, sive calor influens, sive insitus partium. Sive materia peccans in minera distantissima, vel propè cor; nunquam vera febris concitabitur, nisi calor insitus cordi, seu ejus spiritus vitalis igneus factus insurgat titulo spiritui influi, adversus materiam, quæ vasis mediantibus cordis circulando accedit, & recedit à corde.

Sic pariter veteres agnoverunt in hoc consistere essentiam febrium, ejusque deffinitionem statuerunt, in calore accenso in corde, & communicato universo corpori mediantibus arterijs.

Observationibus autem nostris invitare intendimus lectorem ad examinando phœnomena, ac symptomata febrium, eorumque problematum solutiones. Comparatis eum responsionibus factis à nobis, & ab antiquis speramus ad centrum veritatis magis tetigisse per nostra principia; facilemque planam, & physicam rationem posuisse. Alienis enim principiis metaphysicis, anatomica, & palpabili experientia carentibus loqui, metaphysicorum, & non physicorum medicorum est.

Observ. quod secundum principia nostra, naturalis usus lymphæ in corpore nostro est (mera aqua elementaris existens, nutritioni inepta) tertium principium massæ sanguineæ constituere quidem; sed in gratiam deorum suorum consociorum, cruotis, & seri alb.

Nam cruorem ad conflagrandum pronum assiduè diluit, & intra limites naturales flamulam vitalem exardere facit. (Ut faciunt sereſtani, qui aquam oleo apponunt) Præterea serum alb. concretioni pronum diluit, ac fluxilem reddit, ad tenuissimos quosque tubulos, & porositates pervadendas.

Observ. quod mitissimè febrium omnium sunt illæ, quæ non admodum lacescunt spirituum vitæ, neque nutritivæ potentiæ incommodæ sunt. Sed horribiles sunt vice versa illæ, quæ spiritui vitæ insidiantur, ut pestiferæ, vel in quibus tanta est humorum corruptio, ut nulla fieri possit nutririo, neque restauratio membrorum, sed colliquantur membra, & vires prostrantur, exorta aliqua evacuatione colliquativa dicta, per alvum potissimum, urinam, vel sudorem, universum corpus contabescere observatur, & intra paucum tempus facies cadaverosa, Hippocratica dicta observatur.

Observ. circa materiam febrilem, quod varii possunt esse liquores, qui per venas circulando, vel per ductum thoracicum ad dexterum cordis sinum pervenire possunt, & *massæ sang. motum turbare valent; Undique* ab omnibus membris venire possunt; undique à visceribus.

Nam portio bilis non sequestrata in vasibus cholidocis hepatis per venam cavam ad cor ascendere potest.

Serum alb. acidum irritans, seu catarrhus Hippocraticus, per venas jugularis, de capite descendens, febres catarrhales dictas constituit.

Chylus variis saburris inquinatus, per vasa lactea, & sacculum glanduloſum lumbale, atque ductus thoracicos, ad dexterum sinum insinuatur.

Succus pancreaticus in duodeno cum chylo fermentatus, & commixtus, ad dexterum sinum cordis pervenire potest, ad febrem Syluij concitandam.

Ductus lymphatici, ubique communicantes cum venis, lympham culinarum lotricem variis salibus inquinatum ad dexterum cordis ventriculum deducere possunt.

Glandulæ universæ abdominis depuratoriæ seri alb. acidi præternaturalis, quia cum venis communionem habent, & etiam cum vasibus lymphaticis, ideò facilè possunt coarcervata excrementa cordis dextero ventriculo transmittere.

Idem dicatur de aliis magnis glandulis abdominis, liene, pancreate, utero, testibus, renibus, ita ut dici possit (per detectam circulationem sanguinis, & liquorum omnium) posse venire à partibus omnibus materiam pravam, excrementitiam, fermentativam, febres, & febrium symptomata concitantem.

Observ. quod si in aliqua parte stagnet extravasatus sanguis, sed paucus, & parva bile admixtus, tunc facit phlegmonem sine febri.

Sed si multus, multa bile admixtus, totus extravasatus non sit; tunc inflammationem facit non solum; sed id quod reliquum est in vasibus cordis facit febem continuam, quæ non cessat, nisi materia illa quæ faciebat inflammationem, tum residua, quæ in vasibus cordis faciebat febrem, per locum suppurati phlegmonis evacuetur.

Vel ambo critico modo ad vias consuetas excretionum, alvi, urinæ, &c. relegentur, & expellantur, sic enim cessat febris, & inflammatio.

Et hæc est vera ratio cur febres, quæ annexam inflammationem habent, non sunt symptomaticæ, ut putat vulgus; sed potiùs inflammationes sunt symptomata febrium, ex. gr. pleuritis, peripneumonia, &c.

Observ. quòd si bilis, neque in vesicula sua impe-

diatur, neque in *ductibus* suis cholidocis impurgata detineatur *moveri* permissa, non concitat febres; *sed* potiùs *icterum* parit extravasata, & ad *externam cutem*, *motum* suum habens. Sed si exgratia in *inflammatione* hepatis, ad cor per venam cavam *ascendat*; tunc febris intensissima consurget.

Observ. ideò, quòd bilis in quacumque magna *quantitate* reperiatur, procul à vasibus cordis, nunquam concitat febrem, sed potiùs icterum parit, &c. Tunc ergo facit febrem, quando cor sua præsentia molestare potest, sicuti faciunt quæcumque alia excrementa.

Quare stultum est credere, quod febris proveniat à bile; *quasi bilis*, & *non spiritus* vitæ calorificus habeat *peculiarem* sibi insitam potentiam motricem, & energiam, febrem concitandi.

Sed solo contrarium observamus, nempè quod motus concitatus cordis, & massæ sang. conflagratio facta à spiritu sensitivo calorifico, est causa ut copia bilis fuliginosæ augeatur, & per febrem multiplicetur.

Observ. quòd maximum testimonium est, unicam *esse naturam febris*, & unicam causam efficientem, ac promoventem fermentationem febrilem; scilicet spiritum cordi insitum calorificum, igneum; quia unica ratione per febrifugam (hinam statim a principio febres omnes sedato Archeo pacificantur, & cessant; equè illæ quæ excitantur à causis calidis; ac illæ quæ *à causis* frigidis, vel ab alijs quibuscumque concitari possunt.

Secùs impossibile esset tot varijs, & inter se dissimilibus causis efficientibus febrem, unico, & sibi simili semper auxilio opem ferre, si enim sanaret febrem factam à causa frigida, sanare non posset febrem factam à causa calida; & sic de cæteris, &c.

Observ. Quod à fructibus horarijs, facilimè concitantur febres, & ratio ab experimento colligitur, quia succus eorum expressus citissimè aciditatem, & acredinem nutritioni hostilem contrahit (nutrimur enim dulcibus.)

Si esset enim aciditas alimentosa eorum, ut jusculà carnium acida ex. gr. vel vinorum Rheni agrestinorum, &c. tunc à spiritu calorifico, tum succis dulcibus in massa *sang. existentibus*, ad temperamentum, & ad statum nutritium ducerentur, & nil nocerent.

A fructibus verò (testimonio Hippocratis in Coacis, quos titulo pomorum comprehendit) *pomus vel nullus habere potest succum nutritivum*, ut ostendimus lib. de cons. val.

Ab holeribus pariter, & à piscibus, potiùs succum medicamentosum, quam alimentosum haurire possumus, paucum enim præstant nutrimentum.

A fossilibus verò vel à mineralibus (etiam ab auro ipso) desperandum est, quod haberi possit aliquis succus nutritivus; sed maximè, & super cæteras creaturas spiritum medicamentosum ab eis haurire poterimus.

Regula namque nostra universalis est quod nemo dat quod non habet & ex singulis alimentis elicitur, id quod magis concordat, & similare est liquoribus massam sang. nostram constituentibus; quod in animalibus volatilibus, & quadrupedibus copiosissimum inest, in piscibus minùs, in plantis adhuc minus, in mineralibus nullum omninò.

Plantæ enim saltim vivunt & nutritivo succo analogo succis nutritiis vitalibus nostris nutriuntur, crescunt, generant, ægrotant, vividæ florent, suo modo sensitivo spiritu, quo amicabiliter lætantur, rebus hostilibus mortificantur, & ægrotant; qualem saltem portiunculas habent alimentales.

Sed ut diximus fructus holera pisces, succos faciè corruptibiles, acescentes, donant, qui ad massam sang. in copia delati, ipsam ad febrilem fermentationem impellunt.

Observ. quod cessatio febris, nihil aliud indicat, nisi quod ætherogeneæ particulæ, quæ in massa sang. erant causæ fermentationis febrilis, sint sequestrate à duobus succis nutritiis, & à lympha lotrice dilutæ ad vias excretionum alvi, urinæ sudoris concomitatæ, vel in aliquo loco ad tempus relegatæ sint.

Observ. igitur quod nulla crisis fieri potest; nisi mediante fermentatione, per quam utilia ab invtilibus sequestrari possint.

Observ. quod vlcuscula circa labia criticam expulsionem, & febris finem ominari solent; quia per labia sola epidermide vestita, febrile excrementum citius & facilius pellitur, quam per cutis integumenta denia, & plura.

Observ. quod quotiescumque aciditas succi pancreatici prædominatur, bilis activitas remissior est; & tunc pituita Hippocratica fit glutinosior (scilicet serum alb. præternaturale, corruptum) si tale acidum ad austeritatem vergat.

Si verò succus pancreaticus fuerit fluxidior, & acrior, atque ichorosæ bili conjugatur, tunc fiet pituita salsa, vel muriatica, quæ species est cujusdam muli melancolici, ob duplicem contrariam naturam; ideòque medicamentis recalcitrans, est difficilis curationis.

Observ. Hipp. lib. de art. & vet. med. quod non propter *calidum simpliciter homines febricitant, sed adest in homine acidum, amarum, salsum, aliaque plurima quæ sunt febrium causæ*; Materiales tamè vel occasionales.

Observ. quòd quidquid accidit in febribus, necessariò accidit vitio massæ sang quæ nulla alia ratione vitiatur, quam vitiato ejus motu vel quantitate, vel qualitate peccante.

Observ. quod ira, vel tristitia, movent quidem febrem, quia vitant motum massæ sang., sed contraria ratione.

Ira quidem directè, & per se, impetuosiùs movendo, ac rarefaciendo. Tristitia verò indirectè, & per accidens, massam scilicet sang. incrassando lentè scilicet movendo, & sic data occasione, ut spiritus concitato motu febrili massam sang. incrassatam attenuet.

Observ. quod dolores ingentes sufficere possunt ad concitandam febrem (*ut in suppurationibus observavit Hipp. 2. aph.* 47.) dum enim pulsantur fibrillæ sensitivæ, ac membranæ, excitatur incola spiritus sensitivus, ad excutiendam molestiam, veluti spina infixa Helmontiana. Sed tales febres solent esse diariæ, ut invere videtur *Hipp. 4. aph. 54. exemplo bubonis* innotescens, quod variæ possunt esse febres in inflammationibus, & tumoribus, aliæ ephemeræ, aliæ putridæ dictæ.

Observ. quod in temperamentis calidis, habitu gracilioribus, plurimo spiritu sensitivo calorifico prædictis, & aliis consimilibus calorificis conditionibus refertis, multo faciliùs concitantur febres, quam in oppositis temperamentis, & conditionibus contrarijs in quibus spiritus sensitivus veluti somniculosus est.

Observ. paritèr quod quæcumque spiritum vitæ calorificum stimulant calorificis particulis, sol, ignis, balneum, ira, motus, aromatica, & consimilia, &c. massam sang. rarefaciendo, atque attenuando, spiritum, & cruorem inflammant, dantque ansam, ut à copia bilis genita, & accumulata generetur febris.

Observ.

Obſerv. quòd crapula, & ebrietas, calidis, & copioſis particulis fervidis ad cordis vaſa delatis, ſpiritum calorificum ad præternaturalem calorem, & ad præternaturalem motum maſſam ſang. cogentes, concitant febrem.

Obſerv. quòd ſupra cæteras cauſas febrium frequentiſſima eſt acida cruditas, ab indigeſtione ſtomachi facta quæ per vaſa *chylifera* ad cor delata, ſanguineæ maſſæ naturalem fermentationem, & motum turbat; adeò ut Fr. Sylvius hanc unicam eſſe cauſam febrium omnium intermittentium docuerit.

Obſerv. quod ideò vigiliæ ſunt cauſæ febrium, quia cruorem comburere ſolent laboribus, & ſic fuliginoſæ bilis copiam augere; quæ deindè ſpiritum cordis incolam laceſcunt, & febrem concitant, quæ tamen niſi inveniat alium apparatum morboſum, ſolet eſſe ephemera.

Obſerv. circa colorem urinarum, in univerſali; quod color urinarum magis, vel minùs intenſus, procedere ſolet ordinariè, à majori, vel minori intenſione ignis aſſantis cruoris, non ſolum; ſed etiam à velocitate motus progreſſivi ſanguinis, qui non dat ſpatium ordinarium, & naturale temporis proportionatum, in quo lympha, ſeu ſerum urinoſum ſeparari poſſit, à cruoris *tinctura*.

Nam quo celerior fuerit motus progreſſimus ſanguinis; major obſervabitur etiam tinctura urinæ.

Sic eadem de cauſa urinæ ſanorum in juvenibus ſunt magis tinctæ, quam in ſenibus in quibus circulatio ſanguinis eſt tardigrada.

Sic urinæ ſunt magis tinctæ poſt exercitia, quam in otio. Æſtate magis quam hyeme. Poſt iram quam poſt torpore. Poſt aſſumpta ignea calida, quam poſt aquea frigida.

Neque ſolus urinarum color immutatur per hanc celerem circulationem ſanguinis; ſed in univerſis locis excretionum, *alvi, urinæ, ſudoris*, procurato per exercitium, ut excitetur ſpiritus calorificus, fiunt celeres excretiones.

Ut edoceantur torpidi, pigri, ſedentarij quantum interſit procurare per motum, exercitium, & labores, ut ſanguinis circulatio vivax, & celeris promoveatur; ſed alii præterea magni uſus ſunt, vivacis, & celeris circulationis, quos alibi oſtendere reſervamus.

Obſerv. in febribus, quod quovſque ſerum alb. intactum fuerit, nutritio partium ſpermaticarum, & vires vigere poterunt; atque ſolummodò cruoris aliqua labes in partibus rubris carnoſis, ex febri benigna obſervari poterit.

Sed ſi ſerum alb. inficiatur, tunc febrem induere naturam malignam certum eſt; quia jam non reſtat in corpore humor benignus, frigidus, humidus, mitis, qui incendium cruoris retardare, imminuere, lenire, ac tandem extinguere poſſit.

Ideòque tunc ſigna manifeſta lapſæ facultatis nutritivæ, & per conſequens proximæ mortis, ex facie Hippocratica, & hujuſmodi ſignis colligi ab obſervatoribus poterit.

Obſerv. adhuc circa urinam, valdè coloratam in febribus, quod talis ſaturus calor (qui etiam obſervatur in icteritia) provenire poteſt, ab impedimentis, & obſtructionibus craſſo cruori oblatis, quorum cauſa non poſſit liberè per venas portæ, & hepatis circulari.

Quare ſtagnare cogitur diutius cum diluente lympha, ſeu ſero urinoſo (acri, fervente propter febrem) qui elijcit per diuturniorem cum eo moram, tincturam ſaturam ejus cruoris, quæ poſtmodum in urina obſervatur.

Obſerv. quod fames, ſitis febrem excitare, vel acuere poſſunt, quia ſunt cauſæ occaſionales, ut cruor aſſetur, & fuliginoſam bilem pariat, dum ſcilicet à potu aquoſo, vel à *chylo* non diluitur maſſa ſang.

Et hæc eſt vera cauſa, quod Prodicus multa, & acri reprehenſione dignus fuerit apud Galenum, & Hippocratem, quia ægros ſuos febricitantes fame, luctis, & laboribus interficiebat. Nec non diatritarios illos arguebat, qui trium dierum integra abſtinentia febres curari poſſe ſperabant.

Obſerv. quòd per ſpiritus calorifici impetum, fermentatio, & maſſæ ſanguin. motus concitatur, nam provt *magis*, vel *minus* impetuosè movetur, particulæ ſanguineæ maſſæ magis, vel minus invicem coherent; ideòq; imminuto hoc impetuoſi ſpiritus calorifici impulſu, ceſſant ſimul calor, fermentatio, & febris.

Obſervavimus, quòd ſumpta, exempli gratia, terebenthina per os, per integrum diem ſentitur odor violarum. Vel ſumptis aſparagis, odor ingratus in *urina eo die manifeſtatur*. *Vel* ſumpto *rhabarbaro*, per multas horas color urinæ immutatur.

Quare ſatis naturali conjectura putamus, hoc idem contingere poſſe, dum aperte determinata, materia febrifuga ad cor delabitur; non enim tota ſimul ad cor ex ſua minera, per vaſa anguſta delabitur; ſed à parte poſt partem, indè factum eſt, ut in diverſis febricitantibus, diuturnior magis, vel minus ſit acceſſio, tum incrementum, pro majori, vel minori quantitate, & motu velociori, vel tardiori, quo ad cor pervenerit.

Obſerv. deindè quòd ſi quantitas materiæ morbificæ *nullo certo ordine cumuletur*, & *incerto quoque tempore* moveatur verſus cor; ſed modò copioſior, modò parcior, modò craſſior, modò tenuior, &c. tunc acceſſiones febrium erunt inter ſe variæ, atque earum tempora incerta.

Obſerv. de rigore febrium ſpecioſam eſſe conjecturam Laurentij Bellini; *qui obſervavit*; *quòd audito ſono ſolummodo acutiore* ſenſus rigoris excitatur; vel dum torno raditur, ſeu politur ferrum, vel auricalcum, in nobis fieri horrorem, & inſuper obſtupeſcere dentes.

Nulla alia certè ratione, niſi immateriali; à motu ſcilicet quodam inexplicabili ſpiritus ſenſitivi, qui auctor eſt omnium ſenſationum, & per ſolum auditum movere horrorem poteſt, eadem ratione qua in aliquibus iratis rigorem omninò conſimilem rigori febrili movere valet.

Obſervantibus autem patet, quantum per ſola verba audita, comoveatur ſpiritus ad pallorem faciendum in magna ira, vel timore; ad ruborem in vultu ſuffundendum in aliquorum ira, vel pudore, & denique in omnibus animi paſſionibus appellatis, in quibus re vera anima immortalis non patitur, neque alteratur; ſed eſt ſpiritus primò qui alteratur, deindè movet & alterat humores in cordis vaſibus contentos, & tandem univerſum corpus ad choream, juxta concentum ſuum impellere ſolet.

Obſervamus, quòd per febrilem calorem, reſſoluuntur partes aqueæ, tenuiores, *mobiliores* humorum, quare incraſſati, fiunt *invicem* impedimenta *in* viſceribus potiſſimum depuratorijs excrementorum. Et ſic abiſſus abiſsum invocat, & malum ex malo procreatur, nam obſtructiones indè

exaltant, à quibus febres foventur, augentur, vel prorogantur.

Observavit Riverius *lib.* primo 15. quod *aliquandò de cerebro ad cor descendis catharrus, & febrem catharralem constituit*, talis autem catharrus Hippocraticus, nihil aliud est quam serum alb. nostrum præternaturale, acidum, fermentativum massæ sang. ad cujus expulsionem natura commoventur, & spiritus sentitivus calorificus accenditur, & febrilis fit.

Hoc idem fieri observavit, ante artritidis invasionem, vel erisipelatis, & inflammationum de catharro, seu de sero alb. participantium.

Observavit ibidem quoque fieri febres à lacte ad mamillas post partum vergente. Tum à corruptione ciborum in ventriculo facta. Tum ab excrementis alvi fermentescentibus, & corruptis. Tum à tumoribus, & apostematibus ex. gr. bubone. Tum à frigore externo, sola prohibita transpiratione. Tum à dolore, etiam ignobilium partium ex. gr. dentium.

Quamobrem iure meritò admirari possimus, & innumeras esse causas occasionales fatebimur; quibus *spiritus æthereus, seu Archeus* ad febres concitandas provocari possit; adeò ut nisi summa Dei providentia aliter disponeret, fermè assidua febri, ut leo torqueri cogeretur, & impossibile fermè esset, ad longævam senectutem pervenire.

Quæsitum ridiculum est quorundam: An sanguis in febri putrida putrescat; an tantum dicendum sit, quòd pars tenuior ejus sit conversa in bilem, crassior in melancoliam.

Claro namque sermone dicimus, quod sanguis sub propria forma sanguinis, in venis existentis, non est possibile, ut putredinem ex. gr. cadaverosam imaginatam à Galenicis concipiat.

Sed concitantur tantumodò febres, dum à proprio naturali statu alienatur atque à spiritu vitæ igneo fermentescente aliatur sanguis, atque fuligines biliosas concipit, bilis autem quod imputrescibilis sit, nemo ignorat; imò putredini resistit, eique contraria est, prout etiam melancolia, humores ambo sicci.

Observavit Thom. Vvillis, quod sepè sepiùs *in cacheticis observantur in uno die varia genera febrium insurgere, vel reiterari paroxismos, pro vario loco, varia & multiplicis naturæ causa.* Id quod ut plurimum contingit ab inæquali, inordinata vivendi ratione, inæqualiter membra, & viscera afficiente, ac inficiente.

Observ idem pariter Th. Vvillis de fermentatione, quòd *quilibet morbus virtute sui fermenti, suas exerit tragedias.* Sic pariter sanguinis pars sulphurea suo fermento nimis evecta, musti ad instar in vasibus cordis effervescit, ac ebullit, febremque concitat.

Observ. Aristotelis lib. de animalium motu cap. 5. quòd *parva permutatio, quæ in principio contingit, est causa, ut in toto, magna permutatio fiat;* atque hoc exemplificat, in levi permutatione facta inter motu navis, quæ est causa, ut in prora, imò in tota navi magna fiat mutatio. Idem contingere putabis *ex vario motu cordis à quo, in variis animi affectibus, variæ fiunt corporis commotiones*, frigoris, caloris, ruboris, palloris, tremoris, palpitationis, &c. Nil mirum postmodum, si principio vitæ scilicet moto corde varia ratione, symptomata in febribus varia hinc inde in toto corpore contingant. Hæc ille.

Observavit Gal. lib. 1. de diff. feb. quod *in ictter licet copia ingens bilis in corpre adsit; attamen non excitatur febris, nisi eadem bilis deferatur ad cor;* Ut edoceamur, quod bilis natura sua innocentissimus liquor est, qui non est ordinaria causa febrium (ut aliqui putant) neque vitæ adversatur.

Imò miles naturæ, acuit expultricem, & juvat ad excrementa undique eliminanda, multaque affert commoda, &c. Sed solum tunc naturæ incommoda est, & febrem parit (sicuti universi quique liquores) dum incubat in venis, & spiritum insitum calorificum cordis lacescit.

Observavit qui cauteria gerunt, in magnis febribus, quòd pauca, vel nulla in eis emunguntur excrementam, &c. & vera ratio est; quia tunc excrementa cum succis alimentalibus circulantur.

Tum præterea modica fit in membris concoctio, & excrementorum expulsio, turbata scilicet naturali facultate, & à muneribus consuetis suis deturbata.

Observat Helmontius, quòd *primo introitu febrium, stomachi vires, cum edendi desiderio pessundantur;* hinc exorbitationes fiunt alimenti malè digesti, ac pessimè distributi. Indè stomachi æconomia eversa, excrementa consurgunt, succorum alimentitiorum degeneratio initium summit; & per varia loca, tum per varias mores, varias alterationes subeunt.

Inde topicus membrorum Archeus turbatus, & veluti amens factus, diversimodè agitatus, varias febrium, & symptomatum ideas efformat. Circà ventriculum, & primas vias excitat vomitum, nauseam, innappetentia, diarheam, anxietatem, linguæ scabritiem, *chylum in materiam noxiam febrem foventem degenerare facit, aliasque causas febris occasionales parat.*

Observ. Galenus lib. 12. meth. *spiritum insitum calorificum cordis, varias admodùm alterationes subire.* Interdum etiam minoratur, dum à sanguinis copia veluti obruitur. Interdum minor fit, minori facta copia sanguinis, vel cum sanguine ejus bona portione evacuata. Interdum torpidus, & languidus fit copia frigidarum particularum introducta in vasibus cordis.

Interdum intenditur, & augetur, à susceptis ab extra calorificis particulis. Sed tamen quidquid patitur cor in frigiditate, vel caliditate, cæteræ quoque partes corporis, idem pati coguntur.

Quæ autem particulares frigiditates vel caliditates alicujus membri contingunt, partes quidem contiguas alterare possunt, non tamen universum corpus, nisi priùs cor alteretur. Hæc ille.

Monita aliqua de febribus intermittentibus, vel continuis.

STatim quæsitum! insurgit, de causa commensurati; & statuti motus ad diem, & horam febrium ex. gr. quartanarum, tertianarum, vel aliarum, &c.

Laborant enim auctores circa investigationem hanc, undè veniat causa æqualis semper paroxismi; nam præter motum tertianarium, & quartanarium, Zacutius Lusitanus Libro primo Historia trigesima narrat, Avicenam vidisse circuitum quintanæ. Hector Gibaltus, hebdomadariam vidit Gentilis singulis quibusque duabus hebdomadibus, menstruam febrem vidit Benivenius.

Imò narrat Joannem Architectum, singulis annis, quo die natus fuerat febri corripi solitum, tandem senio confectum, eadem febri occubuisse.

Plinius lib. 7. historiarum natur. consimilem affert historiam; tum Valerius Maximus lib. 1. de Antipatro Poeta.

Sed

Sed quia variæ, & sine vllis experimentalibus veris fundamentis, multæ adducuntur opiniones pro ostendendo hoc regulari motu, nostram in medium adducemus, saltem habentem experientialem probabilitatem.

Penes omnes in confesso est, *muliebres* purgationis, lunares etiam purgationes *dici*, quoniam a motu lunæ dependent. Gestat*ionis* uteri mulierum statutum tempus integris *nov*em mensibus, sicuti vaccarum. Equarum verò decem mensibus. Elephantum tribus annis.

Minorum verò animalium, sicuti commensuratur vita brevior, ita ortus celerimè perficitur; nam canibus 74. circitèr diebus, sellibus verò quia cellerior est exitus ab utero, ideò penes Italos de re malè, & preproperè facta, proverbium est. *La Gata per la pressa fà i Gatti orbi.* Quia nascuntur imperfectis oculis.

Mures verò singulo mense pariunt, fœcunditate super cætera animalia pedestria quadrupeda prodigiosa; nam quibusdam locis, & constellationibus, ex putri generari creduntur; & naves aliquæ innumerabilibus istis bestiis refertæ sunt & unde venerint scire non possumus.

Sed de regulatis motibus factis per ætates; quis quæso dubitare poterit, non fieri à cœlesti astrorum motu? Ex. gr. dentitionis septimo anno, pubertatis, seu emissionis seminis in viris anno 14. in fœminis catameniorum anno 12. Incrementi anno 21. & consimilia.

Quare concludimus, quod sicuti ex nostris Platonicis principiis, unicus est motor rerum omnium sublunarium spiritus æthereus, anima mundi dictus, ita commensuratorum horum motuum unicum cœlum, motuum omnium mensuram esse, & auctorem cognoscimus.

Stultum reputamus enim credere, quod ab insensata, stupida materia elementari mortua, sine motu, *provenire possit principium motus, & quietis*, provt judicant Aristotelici sine ratione, sine experimentis.

Sed quia res hæc magni ponderis est, & plurimum inservire potest pro prognosticis, & pro investigando exitu morborum; ideò occasione conscribendi libelli de diebus decretoriis, juxta mentem Galeni, à meo præceptore Argolo illustratam; alia plurima testimonia hujus veritatis affere reservo.

Et non solum febrium; sed morborum omnium principium, augmentum, statum, & declinationem, à veris, & cognoscibilibus astrorum motibus provenire, à posteriori, seu ab effectibus, & à partium enumeratione demonstrabimus.

Dessumptaque occasione hystorias admirabiles auctorum examinabimus, inter quas decantatissima est hystoria Mecenatis, qui de die bene habens, statim post solis occasum, nocturna hemicrania laborans, tribus annis ante obitum, nullo horæ momento dormire potuit, deditque occasionem faceto Italico Poetæ Caporali irridendi medicos Romanos consulentes.

Fù concluso da tutti, à voce viva,
Che Mecenate non haveva sono,
E questa era cagion, che non dormiva.

Observavit Galenus lib. 2. de diff. feb. quod dantur aliqui dolores Ex. gratia hemicrania, articulorum dolores, hypocondriaci, & consimiles, qui statuto tempore exacerbantur; deinde ait: *Cur non est febres aliquæ per circuitum statutum, exacerbari non poterunt?* Dum scilicet humores excrementitii in uno loco pares illis in qualitate, & quantitate coacervati fuerint, qui in prægressa febre missi fuerunt, à tali loco ad cor, & æquali tempore commoveantur, & congregentur, manente eadem dispositione in parte mittente.

In nutritionibus enim certa res est, quod servatur à natura constituta tempora nutritionis membrorum, & expulsionis excrementorum. Quare calidiora, & plura excrementa, citiorem, & longiorem paroxismum, & accessionem facient, frigidiora, & pauciora tardiorem, & breviorem.

Et hoc argumentum est Achilles Galenicorum illorum sciolorum, qui plurimum se scire putant, dum rationes apparentes problematum omnium afferunt in motibus suæ metaphysicæ naturæ, fundantes, quam esse causam universorum motuum dicunt.

Sed perperam omninò de motibus philosophantes non elevant oculos ad cœlum, à quo venit omnis motus, reclinati ad terram jumentorum ad instar, dant motum ab intrinseco cuilibet creaturę sublunari elementari.

Et nolunt intelligere infallibilem veritatem esse, promulgatam etiam ab Aristotile ipso, quòd in motibus necesse est dari subordinationem unius motus, post alterum, *ita ut necesse sit devenire ad primum movens*, quod non moveatur ab alio; talis autem est Deus; cui indecorum fuisset, immediatè lutosas, viles, creaturas sublunares movere, sed mediatè movet per angelos suos cœlorum motores.

A cœlo igitur venit talis spiritus æthereus, omnes creaturas sublunares movens, vera natura, forma, vita, entelechia, seu potentia motrix; quæ postmodum est causa omnium motum, & facultatum vitalis, nutritivæ, &c. & quæ (data necessaria subordinatione motuum) non potest movere, neque nutrire, neque excrementa expellere, nisi moveatur desuper à motu influentiali, à quo explicatur veluti in pagina musicali, motus in Altissimi præcantoris mente ab æterno præconcepti, etiam juxta dicta *Aristotelis.*

Nisi *verò hæ Platonis* reformatæ veritates de divina mente, ac Idea, tum de anima mundi sano modo intellecta suscipiantur, nemò veritatis hos sapores gustare poterit.

Si autem suscipiantur, tunc facilimè, & planè motuum omnium ratione reddere poterit, de mulierum menstruis purgationibus, *de gestationibus uteri, de dentitione, pubertate, incremento* de ætatibus, & per consequens de motibus omnibus nutritionis, & expulsionis, regulantur etenim omnes à motu cœlorom, & comensurantur, juxta immutabilia decreta mentis Divinæ.

Improbum enim impiumque, & Atheista dignum, credere quod motus quilibet rerum sublunarium fortuitò fiant; dum scimus, & fatemur, quod nec cadet capillus de numeratis capillis capitis, nisi in Divina mente destinatus sit, talis casus.

Multo ergo facilius intelligemus de motibus naturalis facultatis, de nutritiva, de motibus in ægritudinibus universis, &c. sed de his fusiùs in physica nostra Platonis reformati exaravimus.

Rationabile est credere fœquentes *in* nobis còntingere causas occasionales febris, sed febris ephemeræ, & lenis, non admodum sensibilis; dum ex. gr. à præternaturali calore, & motu à sex rebus non naturalibus concepto, spiritus sensitivus calorificus scintillas incendij suscipit.

Ab hoc incepto incendio, necesse est, ut generetur major copia bilis; seu *fuliginis* flavæ, amaræ, ex incenso cruore, quam *in* statu sanitatis.

Hęc igitur *bilis* genita, si sua naturali via ad hepatis incerniculum secernenda deferi possit, neq; impediatur, ut per solitos ductus suos excerni valeat; tunc facto somno, quiete, vel blandis refrigerantibus adhibitis, sensim, & sensim spiritus calorificus cum massa

sang. reddit ad suam quietem, scilicet ad naturalem suum motum, & ephemerus tumultus sedatur.

Sed si impediantur viæ (quod facilimum est in cacochymia, oppillationibus, & viscerum impedimentis vigentibus) & hoc bilis suliginosum excrementum impediatur, ne per solitas vias excretionum expurgetur; tunc regurgitans ad cor regreditur, humoralemque febrem, putridam dictam constituit.

Observavit enim Gal. lib. 8. meth. *quòd humores quilibet, ut in nostro corpore corrumpi dicantur, necesse est, ut liberè moveri ac transpirare non possint; secus provida natura, tot varias habet vias, totque ingeniosos motus, ut ex magna quacunque copia superfluitates, omnes excernere possit.*

Observ. Thom. Vvillis de feb. cap. 3. quod febrium intermittentium causa, est dum *ætherogeneum quid sanguini confunditur; cujus particulæ cum non assimilentur, eousque sanguinis ebullitionem faciunt; donec subactæ, & subiliatæ, foras excludi possint; tunc enim cessat paroxismus.*

Observatum fuit per cadaverum dissectiones qui *post febres intermittentes longas interierunt.* Nec non à solitis symptomatibus in febribus intermittentibus apparere solitis, vomitu, nausea, caldialgia, præcordiorum tensione, duritie, doloribus circa ventriculum, oris amaritie, appetitu dejecto, & aliis consimilibus; innotuit inquam quod febrilis fomes, in primis viis stabulatur, & potissimum circa ventriculum, cavam partem hepatis, lienem, pancreatem, sed potissimum circa mesenterium, & mesocolum, & circa eorum vasa omnis generis, & potissimum venæ portæ.

Differentiæ intermittentium febrium.

Differentiæ febrium intermittentium plurimæ haberi possunt nam ratione dierum intermissionis alia dicitur tertiana, alia quartana.

Alia tamen est simplex, quæ tertia quaque die recurrit, vel quarta:

Alia duplex, quæ tertia quaque die, vel quarta postquam invasit, sequenti statim die repetit eòdem paroxismo tertianario vel quartanario. Quandòque autem, etiam triplex quartana fit, & tunc singulis diebus invadit, correspondentibus paroxismis.

Aliæ adhuc febres intermittentes, veniunt titulo quintanæ sextanæ, octauæ. Aliquandò menstruæ contingunt; imò aniversariæ. Quæ tamen si dantur, rationabile est, fieri à materia eadem quæ facit longissimas quartanas, ideòque eisdem curari debere.

Hujusmodi febres ab Hippocrate planetariæ dicuntur, quia erratico modo, ut plurimum invadere observantur, & errare hac, vel illa ratione variorum planetarum more. Vel quia etiam ad alicujus planetæ motum varium, moveaptur.

Ratione moris alia dicitur febris intermittens benigna, quæ nullis symptomatibus malis stipata apparet.

Alia est intermittens maligna, malis scilicet symptomatibus concomitata, cum virium prostratione, cordis anxietate, capitis affectibus, delyrio, convulsionibus, pulsu debili, vrinis turbatis.

Ratione humorum, alia sincera, esquisita, legitima dicitur, quæ ab uno tantum humore procedit. Alia notha, spuria quæ ex humoribus diversæ condictionis mixtis provenit.

Ratione variorum symptomatum, & variorum locorum in quibus variæ mineræ fundantur, varia quoque nomina sortiuntur, nam Epiala dicitur illa in qua simul frigus, & calor persentitur. Algida in qua solum frigus. Ardens in qua solus calor percipitur. Syncopalis à syncope corde affecto. Torminalis à doloribus ventris. Præfocans ab utero. Anhelans à pulmone. Catharralis, &c.

Causæ occasionales internæ febrium intermittentium.

Solet esse potissimum bilis circa primas vias, vel circa mesaraica vasa impedita, in uno loco si simplex ex. gr. tertiana sit, vel in duobus locis, si duplex tertiana sit.

Causæ itaque intermittentium febrium solent esse acuti, asperi liquores invicem luctantes, dum fibrillas, & partes membranaceas viscerum, & spetiatim stomachi, ac intestinorum tenuium lacescentes, & veluti impetum convulsivum facientes, sunt causæ horroris, rigoris, frigoris.

Indè copiosius effunduntur hepatici, & pancreatici latices; quibus inæqualiter constitutis, & invicem commixtis, sequitur præternaturalis effervescentia, inde anxietas, vomitus, tussis, atque symptomata hypocondriaca, &c.

Ad cordæ inde ascendentes, & massam sang. turbantes, ejus motum fermentativum subvertentes; ex hac spiritus, & massæ sang. turgescentia, fit cum universali incalescentia pulsus magnus, celer, fræquens, vehemens, cum cephalalgia vigiliis, æstu, &c. donec tandem, per eundem motum fermentativum spiritus, modificatis, & veluti præcipitatis his ætherogeneis particulis, seroque involutis, sudor quasi criticus, vel expulsio extra vasa cordis superveniat.

Conditio igitur necessaria ad febrem intermittentem concitandam solet esse, aliquid quod in massa sang. priùs non existens (secus febris continua esset) post aliquod tempus à determinato loco recedens, possit per venas circulando, ad dexterum cordis ventriculum deferri, vel cum chylo.

A parte pariter tali, & per vasa talia duci debet, in quibus ita infici, & affici possit, ut subitò secundum aliquam sui partem ad cor deferatur, deindè per motum ipsius cordis iterum propellatur ad eandem partem, à qua venerunt, per arterias relegatum.

Ibi verò per aliquod tempus quiescat, & moveri impediatur, donec veluti reassumptis viribus, novis copiis additis, tum ob moram, & stagnationem in foco suo, vel vasibus, acredine aquisita, sibi additum iterum aperiat ad cor, vbi cuncta febrilia symptomata originativè concitare per arterias possit.

Impedimentum igitur tale esse oportet, quod ad tempus humorem stagnantem in minera, ad quietem cogere possit, & ad cessationem à motu progressivo; deindè iterum transitum, post aliquod tempus ei concedat; ut per pristinum motum circulando, ad cor reverti possit.

Et sic tandiù febris similis esse perseverabit, quandiù in copia & qualitate, similis priori humor, in eandem minera stagnet.

Tandem enim impetu facto à spiritu; Vel sponte, vel casu, vel arte materia peccante correcta, & domita expelletur, & tolletur omne impedimentum. Nisi materia eadem qualitate deterior facta, & quan-

quantitate adaucta, assiduò in vasibus cordis molestans, febrem continuam faciat.

Sic pariter observamus liquores, multaque corporis nostri excrementa ex. gr. alvi, vrinæ, sudoris, menstruorum, hemorhoidum, bilis à vasibus suis cholidocis, succi pancreatici ad intestinum duodenum feri in perfectè sanis, & regulatè viventibus, suas habere determinatas horas collectionis, stagnationis, & expulsionis, à motu spiritus sensitivi calorifici; qui tamen ab influentiali procedit.

Quia verò ex omnibus visceribus non solum; sed ex omnibus membris per venas circulando, ad cor omnia genera liquorum ex. gr. ex vulceribus, fistulis, apostematibus &c. venire possunt; ideò non una causa materialis; sed plurimæ, & variæ febres, varij generis dici poterunt hac ratione.

Universaliter tamen frequentior causa febrium intermittentium solet esse excrementum acidum seri alb. separatum à glandulis abdominis, vel à liene à pancreate & aliis, &c. à quibus facilimam viam habet ut feratur ad cor ascendendo cum lympha, vel chylo per glandulas lumbales, & per ductus thoracicos laterales, ad dexterum cordis ventriculum.

Pituita quoque acida, tum chylus crudus, acidus, pituitosus, à pyloro ad *intestinum tenue* descendens collectus, & cumulatus (quem pituitam intestinalem appellare possumus) à congressu pugilum bilis, & succi pancreatici solutus, ad glandulas paritèr lumbales, per duplicem thoracicum, ad cor pervenire potest, ad febrem intermittentem concitandam.

Observ. quod causa frequentior febrium intermittentium solet esse tale serum alb., acidum, excrementitium, frigidum (quod pituitam appellamus Hippocraticam) quatenus pronum est incrassationi, & coagulationi, & per consequens ad obstructiones efficiendas, ad tempus durarturas, quæ ex dictis superiùs, necessariæ sunt, ut fiant febres intermittentes ex. gr. tertianam intermittentem.

Nisi enim ab hoc crasso excremento interponerentur impedimenta bili, humori tenuissimo mobili, sine ulla cunctatione, sine intermissione, neque febrem causaret, neque in corpore detineri possit.

Tale igitur impedimentum crassum, pituitosum, frequenter contingere observamus circa æstiva tempora juvenibus, qui posthæsum fructuum horariorum sitientes, potant aquam copiosam, præcipuè frigidam.

Sic per potum copiosum frigidum circa accessionem febrium solent augeri obstructiones, & febres prorogari atque diuturnæ fieri. Idem à subito frigore contingit circa viscera naturalia concepto, &c. Itèm à mœrore, timore, &c.

Observ. postmodum quod à bile, vel à succo per stagnationem, & impedimenta acriore, vel acidiore facto, postmodum solvitur, liquatur, vel saltem perforatur, & superatur impedimentum, deindè progreditur talis materia acris, acida, ad cor molestandum, &c.

Hunc succum, in solo pancreate mineram suam habere putat Sylvius; sed re vera etiam in glandulis abdominis, & in liene præcipuè stabulari consuevit; constat etenim ex nostris principiis, quod pancreas se habet ut receptaculum excrementi acidi lienis, & aliarum glandularum pancreatis, eadem fermè ratione, qua vesica fellea est receptaculum bilis secretæ in hepate; quæ deindè exoneratur simul cum succo pancreatico, circa intestinum duodenum.

Et ut verum fatear, nunquam febres intermittentes observavi, quod tactis visceribus, non invenerim hinc indè obstructiones, & durities in visceribus; quas deindè confirmatas vidi, & meum judicium verum factum fuisse observavi in apertis in Xenodochio defunctis, à diuturnis febribus conflictatis.

Ex cura quoque & sanatione febrium intermittentium facta per deobstruentia, patet quod obstructiones à crassa materia factæ, causæ fuerint febrium intermittentium.

Observ. igitur quod aciduli liquoris stagnantes, progressu temporis semper fiunt magis acidi (quod potissimum observatur in affectibus hypocondriacis) sic juscula universa, imò succi omnes, imò acetum ipsum sponte sua per moram majorem acredinem, & acetositatem aquirit, majoremque vim penetrandi.

Quare valdè rationabile est, quòd pituita viscida faciens opilationes, postquam ab impedito, & stagnante acriori succo terebrata fuerit, & exitum alicui notabili portioni ejus concesserit; mox iterum coeat, & concrescat, solutamque obstructionem, ac impedimentum reperit; donec interim similis priori *succus, in eodem loco cumuletur*, in eadem quantitate, & qualitate, quæ sufficiat ad aperiendam sibi iterum viam, novumque paroxismum producat. Idque tandiù alternatim continuetur, donec omninò tollatur obstructio, vel tollatur æger cum febri.

Observ. ideò quod pro tollendis febribus intermittentibus, valdè accommodata sunt pituitam abstergentia, incidentia, aperientia, vel eradicantia, ut sunt vomitoria dejectoria, tenuium partium, diuratica, sudorifica.

Observat Saxonias, quòd causa febris cujuscumque intermittentis quadruplex est. Primo paucitas excrementi. Secundo tenuitas ejusdem. Tertio locus qui possit ampliari, & coarctari. Quarto facultas robusta.

Observ. Helmontius, & ait: *Sicuti qui in lucta suspirioſus jacens, pausam requirit, & quiescit, ut anhelitum recuperet, & inde vires resarciat. Sic Archeus in febribus quietem per intermissiones facit, ut reassumptis viribus, hostem excitare possit.*

Observ. itidem, quod postquam homo à febre correptus fuit; sel quod regulariter chylum acidulum circa duodenum in salsum mutat, *præpostero negocio occasione febris corrumpit, vel in amarum liquamen vertit; quod tamen est productum febris, & non est mali radix.*

Observ. denique & ait; Ex spontaneo sudore in declinatione febrium colligimus, quòd sola diaphoretica sunt propria, & specifica febrium remedia.

Observat Hippocratis lib. 4. de morbis, & ait: *Causa cur febris dimittat est, quia in omni febre humorali, necesse est, tertia die humorem affligentem exire de corpore, vel etiam alio quopiam die impari. Non exit autem priusquam alius bonus succus, de ventriculo ipsi accedat, intermedio enim, & postero die bonus succus vadit in locum ejus mali succi, qui postridie dimissus fuit.*

Nisi verò ventriculus suppeditare potuerit bonum succum, tunc malè homini est (ecce causa febris continuæ, vel pravæ) si autem in quinta, in septima, vel nona die eodem modo dimiserit febris, sicuti in tertia, tunc benè est. Denique vbi humor bonus hac ratione copiosior prævaluerit, homo liberetur à febribus.

Intermittit ergo febris in paribus diebus, *quia in his diebus devenit de ventriculo succus, qui in imparibus diebus postmodum expellitur.* Et hæc quoq; est vera causa

cur

cur morbi in imparibus diebus judicantur, & cur dolent ægri magis in imparibus diebus.

Hæc ille per quam auream doctrinam Hippocratis haurire possumus *notitiam* febrium omnium, tum intermittentium, tum continuarum, vel malignarum, earundem causas, signa, prognostica, & curationes. *Quare* ad tantæ notitiæ claritatem, parumpèr immorari debemus.

Ostendimus igitur fuso sermone in nostris instit. med. refor. & explicavimus doctrinam Hippocratis docentis, *quod in statu naturali, & sano, alimenta, quæ hodie assumuntur, & à ventriculo concoquuntur, postquam per alias culinas coctionum transierunt, atque nutritionis negotium celebrarunt, non immanent perpetuò; sed advenientibus aliis melioribus, & recentioribus alimentis, tertiò quoque die veluti vetera alimenta, deteriora, & effæta, loco cadere coguntur.*

Indè Plato occasionem nactus est admirationis dicendo, quod anima (scilicet spiritus æthereus, anima mundi & animalium) esset voraciſſima; nam plurima corpora in singulo corpore animalis devoraret.

Cujus oraculi interpretatio nulla alia est, nisi quod insitus cujusque membri spiritus calorificus innatus, delata nova veluti corpora per nutrimenta assidua, eadem veluti vorata, & digesta, egerit postmodum, ut excrementa altera die.

Ostendimus quoque hunc motum tertianarium fieri in alvinis excrementis (in lib. de tuenda val.) & non fieri quotidie excretionem per alvum eorum, quæ hodie sumpsimus, ut putat vulgus; sed tertio quoque die in statu optimè sanitatis. Per diarheam enim vel lienteriam, aut alios intestinorum affectus, id quod sumitur, & probè non digeritur, citò egeritur.

Iste igitur excrementorum motus tertianarius, est legitima causa febrium potissimum tertianarum, & quod morbi acuti, per dies criticos moveantur.

Eadem quoque est causa rigoris febrilis; nam ibidem ait Hippocratis *non fieret rigor, nisi conturbaretur humor; conturbatur verò, atque fit rigor, quia diebus imparibus expellitur de suo loco humor pravus.* Sic moriuntur homines diebus imparibus quia si multum fuerit id quod affligit, turbat ventriculi coctiones, inde sine apta nutritione, membra debilitantur, vires concidunt, difficultatur respiratio, & sic mors contingit.

Quibus etiam verbis nostram opinionem confirmat quòd vitæ, sanitatis, mortis vel ægritudinis status, à statu natritivæ potentiæ dependet; & cessante nutritione vel claudicante, cessare debet, vel claudicare vita.

Unicamque ideò esse viam, ad vitam, & ad sanitatem scilicet per nutritionem. Omniaque acta à medico probo, ad unicum centrum colimant. ut lineæ, nempè ad excrementa, vel alia removenda, vel addenda, ut obtineatur proba membrorum nutritio.

Probat etiam experimento hoc eodem loco Hippocrates suam propositionem, quòd humor turbetur diebus imparibus. Nam observavit, quòd *qui à febri continua corripiuntur, si pharmaco fortius utantur in diebus paribus, nunquam nimis purgati fuerunt; Sed si diebus imparibus eodem usi fuerint, nimis purgantur duplici motu, natura, & ab arte facto.*

Galenus lib. 8. meth. ait: Causam adducit intermittentium febrium sic: *Accessionum remissio, ex fervenri humorum transpiratu, vel sudore contingere solet. Ideòque in vehemente constipatione, quia transpiratio non fit, febris continua urget; vel plurium dierum, ut fit in synocho.*

Observ. igitur quòd intermissio, & cessatio febris contingit, sulumodò postquam spiritus fermentator separaverit moleculas puras massæ sang. ab impuris. Tunc enim æstus remittitur, & cessante impetu spiritus, ad pristinam tranquillitatem universi humores, & corpus disponuntur.

Interim bona pars molestantium particularum, una cum materia potulenta, liberaliùs sumpta, per sudorem vel urinam, vel insensibiliter resolvuntur, & jam defatigato ægro, somnus obrepit.

Observ. etiam quod febrium symptomata, à duplici materia, magis, vel minùs copiosa contingunt, alkalica scilicet, vel acida. Nam ab alkalica bile, fiunt æstuosæ affectiones, ab acido incrassato sero alb. frigido, fiunt ex. gr. soporosi affectus, & minus fervidi, pedissequa potissimum aquea lympha concomitante.

Observ. præterea, quòd anticipatio, vel postpositio paroxismorum, fit à robore naturæ validioris, vel debilioris. Tum à materia febrili magis, vel minus tenui, vel crassa, magis, vel minus irritante, ac stimulante. Magis etiam, vel minus copiosa; Nam paucior, tenuior, irritans, cum robusta natura (seu spiritu sensitivo calorifico) anticipare facit paroxismum; e contra vero, fit postpositio paroxismi.

Observ. quòd *duplicantur febres intermittentes*, ob errores in victu commissos, propinatis ex. gratia intempestivis refrigerantibus, vel narcoticis. Vel etiam aromaticis, calefacientibus, resolventibus, purgantibus, acrioribus ante signa coctionis.

Vel errore adstantium, aut ægri qui imminente paroxismo, stomachum cibis, & potulentis aggravant. Vel lacticinia exhibent, aut alia facilè corruptibilia, ac fermentescentia (ut fructus horarii) vel in die intermissionis crapulam, vel alios errores commiserint.

Causæ externæ.

FEbrium intermittentium externæ causæ solent esse aer vernalis, æstivus, autumaalis, inæqualis. Loca uliginosa, paludosa, lacustria. Subita aeris mutatio ad frigidum.

Esculenta frigida humida, crassarum partium, limosa, mucilaginosa ex gr. olera refrigerantia, fructus horarii, cucumeris, pepones, anguriæ. Acetaria. Funghi. Pisces malæ notæ. Carnes salitæ. Fumo induratæ; potissimum porcinæ. Farinacea alimenta ex pasta.

Repletio. Crapula. Evacuationes suppressæ, vel etiam nimiæ, causantes spiritus calorifici imminutionem, & inde cruditates. Curæ quoque mærores, Studia. Sollicitudines. Ira. Metus. Vita sedentaria. Labores importuni. Nimia Venus, vel intempestiva. Uno verbo omnia quæ cruditatis, & excremente parere possunt.

Signa.

IMminentis febris, sunt pandiculatio, oscitatio; anxia totius corporis querula agitatio, & in motu gravitas, torpor, inquietudo animus, subitò perculsus, meror rei ignotæ.

Mores plus solito asperiores. Extremorum ex. gr. digitorum, vaguium, labiorum livor, pallor, frigus nasi, & extremorum. Cutis brachiorum, fæmorum anserinæ æmula pellis.

Frigus, & pallor, circa solitam horam accessionis febrillis, cum quadam horripilatione, & tremulo

mota

motu circa dorsum, donec tandem manifestetur rigor, cum respirationis læsione, & pectoris constrictione, præcordiorum anxietate, suspiriis, donec superveniat calor, cum corporis agitatione, inquietudine, capitis dolore, æstu, pulsatione temporum, & arteriarum in collo, facie rubra, vigiliis lingua arida, scabra.

Apetitu prostrato. Siti importuna. Vomitu. Pulsu fræquentiori. Quibus post aliquot horas cum calore remisso remittentibus symptomatibus, sudor supervenit, & febris remissio succedit.

Nemo faciliùs se expedit à reddenda ratione cur fiant febres intermittentes, quam Fr. Sylvius, qui febrium omnium intermittentium dicit causam esse variam effervescentiam vitiosam factam circa intestinum duodenum, à vario succo pancreatico præternaturali, & à varia pariter bile, modo acriori, modo dilutiori.

Additis verò etiam aliis condictionibus loci, temporis, & copiæ humorum variæ, variantur hæ febres intermittentes, & earum symptomata.

Causa verò quod frigus calorem præcedat est, quia succi destinati ad paroxismum febrilem faciendum, præternaturali aciditate, cruditate, & acredine imbuti sunt; & sic ab hoc cruditatis & aciditatis acredinisque statum progrediuntur, ut veluti maturentur atque attemperentur mixti in massa sang. in vasibusque cordis.

Sed quia in transitu per partes sensitivas, & fibrillas membranosas viscerum, tum vasorum, eis molestiam inferunt; ideò molestum hunc rigoris sensum spiritus sensitivus calorificus percipit; quam deinde irratus, & veluti impetu majori facto excutit, & sensationem caloris excitat.

Causa statuti intervalli ad diem, & horam, quod repetant accessiones est; quia nisi materia febrilis ad debitam turgescentiam devenerit, paroxismus prorogabitur *deficiente materia in quantitate*, vel qualitate.

Observamus ideò, quòd commissis erroribus in victu, & adauctis excrementis accelleratur paroxismus, & protrahitur declinatio. Sed optima servata vivendi ratione retardatur idem paroxismus; qui etiam minor, citiùs declinat.

Quare in febribus omnibus intermittentibus universale documentum semper est, ut cautè cibentur, ægri, & procul ab invasione paroxismi, potiùs post accessionem quam ante exhibendo.

Causa autem intermissionis, est spiritus calorificus; qui materiam febrilem paroxismorum excitantem partim sensibiliter resolvit, partim in glandulis, adenibus, visceribus, interstitiis musculorum, & in aliis locis relegat.

Ibi verò stagnans permanet, donec quantitate, vel qualitate molestans, ab eodem spiritui iterum commoveatur, atque naturali motu circulationis, ad cor, & ejus vasa propellatur coquenda, seu fermentanda. Talis est doctrina Sylvii.

Thom. Vvillis verò putat hanc materiam febrilem, causam febris intermittentis, semper esse acidam, crudam, (similem communi pistorum fermento) quæ sanguinem ad fermentativum motum promovet.

Periodi igitur fræquentior causa, solet esse chylus, crudus, acidus, impurus, fermentativus, circa primas vias stagnans, qui postquam ad massam sang. pervenerit, ejus motum naturalem fermentationis alterat, ac interturbat.

Causa autem statuti temporis accessionis febrilis, ac paroxismi est; quia singuli liquores, differentes mensuras temporis suæ fermentationis habent à cœlo; mustum etiam uvarum, citissimè fermentationem suam absolvere solet, & intra duas hebdomadas circiter, in Italia fit vinum potabile.

Cervisiæ autem variæ, birræ, mita, glaura, ex succis fructuum, vel frugum, vario inter se tempore fermentantur, ad suam bonitatem exaltantur, & vario etiam tempore alterantur, mutantur, vel acescunt.

Frigidi liquores, glutinosi, ut oleum, & oleosa, melita, multò longiori tempore protrahunt suam fermentationem, maturationem, & exaltationem, fæcum, & excrementorum depositionem.

Sic variæ substantiæ, quæ cum massa sang. confunduntur ex. gr. tenues biliosæ alkalicæ cruoris, citò fermentationem suam absoluunt, & citò etiam extra venas cordis deponuntur.

Crassæ autem acidæ, frigidæ seri alb. tardiùs suum fermentationis motum absoluunt, & tardiùs deponuntur. Mulus verò melancolicus febrium quartanarum, & erraticarum vector tardigradus, multò etiam tardiùs motus omnes suos peragit, accessionis, declinationis, durationis, &c.

Universaliter *causa ordinaria febrium intermittentium* culpatur. Primo vasa chylifera cum glandulis in mesenterio obstructa, ac impedita.

Secundo chyli substantia impura, acida, præternaturalis, quæ in his vasibus præternaturaliter retardatur.

Tertio talis substantia chylosa impura postquam, in sufficienti quantitate cumulata fuerit, & qualitate peccaverit; stimulando spiritum vitæ calorificum, fit occasio, ut ipsam a loco in quo est detrudat, & impellat per receptaculum chyli glanduloſum, & ascendat per ductus Perquetanos, veluti per scalas ad cor.

Debent tamen vasa antedicta chylifera, & glandulæ, *non omninò esse impedita; sed semi obstructa à materia glutinosa* herente, & inviscata circa parietes, quæ impediat ne liberè fluere possit, sed retardetur ac stagnet, donec quantitate, & qualitate molestans, spiritum excitet &c.

Talis autem retardatio, & chyli vitiosi liber transitus impeditus in primis vijs, plurimorum symptomatum fit causa scilicet *vomituum, anxietatis, anorexiæ, subversionis stomachi, innappetentiæ*, & aliorum à corrupto chylo circa stomachum, circa pilorum, & intestinum duodenum ortorum.

Nam hypocondriaci affectus, acidæ, tum nidorosæ corruptionis, alvi fluores, & alia multa, quæ in his febribus contingunt a b his impedimentis proficiscuntur, & potissimum à naturalibus suis muneribus obeundis naturalia viscera deturbantur. Hi sunt sensus Thom. Vvillis.

Peccare itaque potest chylus, tum primis, tum secundis qualitatibus, frigidior, terrestrior, crassior, viscidior, tenacior, acrior, acidior existens, indè retardatus à suo consueto, & naturali motu, per suas ordinarias vias.

Sed hoc loco, magnam vobis admirationem parere posset, postquam insinuaverimus varias esse causas febrium; & doctrinam Hippocratis de febribus sequi velle profiteamur; quoniam in libro de natura homin. expressis verbis dicit, *febres omnes ab una causa dependere (scilicet à bile.)*

Pro qua propositione intelligenda, necesse est notitiam præmittere partium componentium massam sang. & notitiam naturæ & essentiæ *febris*. Partes enim componentes massam sang. sunt *cruor*, serum alb. & *lympha*.

Solus cruor, terrestris, siccus *naturaliter* dispositus est, siccitatis symboleitate, ad concipiendam igneam conflagrationem, & *bilem* fuliginosam generan-

nerandam; nam ſerum alb. & pediſſequa lympha ſunt liquores aquei frigidi, & humidi, diametraliter oppoſiti igneæ conflagrationi.

Ratione autem febrilis eſſentiæ, ac naturæ, circa res eſt, & in confeſſo apud omnes, quod febres eſt calor accenſus in corde, &c. quare talis accenſio materiæ elementaris in corde ſi non poteſt eſſe, neque in ſero alb. neque in lympha, &c. ex neceſſitate debet eſſe in cruore conflagrationi expoſito, ex quo ſolo fuliginoſa bilis provenire poteſt.

Et ſic Hippocratis dictum verificatur de cauſa materiali, originariè, primitiva, immediata febris, quòd ſit bilis. Nam quod cauſam efficientem, eſt ſolus Archeus, ſeu ſpiritus vitæ. Cæteræ cauſæ materiales febris, ſunt poſtmodum una altera remotior, & aptiùs concauſæ dici poſſunt, & occaſiones febrium.

Sola autem bilis neceſſariò intervenire debet in quacumque febri, ſive continua, ſive intermittenti, ſive humorali, ſive hectica, quia non poteſt fieri caloris accenſio in corde à ſpiritu calorifico, quod ex conflagratione cruoris majori, vel minori, *copia major, vel minor bilis* non ſubſequatur, etiam in ipſa febri ephemera, ut jam *jam* oſtenſuri ſumus.

Obſervabile interim eſt, quod ab omnibus partibus etiam à corde remotiſſimis, aliqui liquores certo tempore ſuppeditari poſſunt, qui rigotes febriles excitare, & maſſæ ſang. motum interturbare valent.

Sepè enim ab vlceribus magnis in tybijs, à fiſtulis in articulis vel in ano febres cum rigore invadere obſervantur; potiſſimum ſupreſſa earum evacuatione, deindè fluente iterum fiſtula, vel vlcere febris ceſſat.

Hoc enim nobis ſepè ſepiùs videre contigit, in corporibus cacochymis, efflagitantibus citiſſimè ſanari impurgato corpore. Nam tactis ingentibus his vlceribus balſamo cauſtico noſtro, præ ingenti impreſſa ſiccitate à tali medicamento, ſtatim fluor omnis compeſcitur; ſed hæc materia, cum extra evacuari non poſſit, rapitur circulando per venas, & deducitur ad dexterum cordis ventriculum, & præternaturalis exiſtens, turbat motum maſſæ ſang. & febrem concitat.

Sic pariter, in quacumque parte ſolida, materia febrilis latitare poteſt, & per venas circulando maſſæ ſang. communicari valet, febremque excitare. Sic tumores in quacumque parte ad ſuppurationem tendentes, inflammationes ingentes, febrem concitare poſſunt.

Obſerv. interim quòd variæ conditiones, æqualiter ſervatæ in æquali menſura, æqualem ſolent habere tempus, & circumſtantias ſimiles.

Sic obſervamus quod ex. gr. tanta quantitas fæni, æquali portione aquæ madefacti in duobus cubiculis, cum cæteris æqualibus conditionibus, æquali temporis ſpacio, ac horis incaleſcere incipiet, æquali tempore augmentum calor ſuſcipiet, & declinationem.

Obſerv. etiam, quod materia febrilis non in ipſa maſſa ſang. generatur, & permanet niſi bilis, quia cuſtos vitæ ſpiritus, hoc non permiſiſſet, neque diù ſine lucta in vaſibus cordis manere potuiſſet; ſed aliundè à qualibet parte corporis veluti adveua ad cor pervenit, & maſſæ ſang. motum interturbat. Motuſque hujus præternaturalis fermentationis tandiù durat, quandiù tandem talis materia modificata, & veluti ſubacta, partim per ſenſibilem vel inſenſibilem excretionem, partim per decubitum, in uno loco ſequeſtrata, atque ad tempus relegata fuerit.

Obſerv. interim inexplicabilem quandam naturæ ſolertium deluper fortaſis directam, quòd nempè natura quoidam recurſus facere ſepiùs aſsueta, illis aſsuetis temporibus poſtmodum veluti ſponte movere ſolet. Hoc fieri videmus non ſolum in muliebribus, vel hemorhoidalibus excretionibus, ſed in alijs hemorhagijs; urinæ, vel fæcum excretionibus.

Imò qui certis temporibus purgationibus, vel ſanguinis miſſionibus ſe ſubijcere ſolent; ſi hæc intermittantur, ſine ſanitatis moleſtia tollerare non poſſunt.

Hoc idem per malam aſſuetudinem naturæ, in febrilibus motibus contingere aliquandò poſſe, ſatis rationabile eſt credere.

Obſerv. tamen, quod ordinaria cauſa anticipationis, vel prorogationis à duplica cauſa provenit, ſcilicet à natura, ſeu ſpiritu robuſto, vel debili, tum à conditione varia materiæ peccantis.

Monita de febribus peculiari nomine inſignitis, ſcilicet de febri ardente, ſeu Synocho, Elode, Hemitriteo, Sincopali, Epiala, Latica, Cloroſi, & alijs, &c.

FEbris ardens, Cauſos Græcè dicta, à Latinis ardens quia febris continua eſt, cum ſummo ardore, & acerimo, nec non ſiti inextinguibili. Hæc febris multò majorem habet maſſæ ſang. perturbationem, quam habeat ephemera. Atque à ſynocus putrida dicta, ſoloque gradu differe creditur.

Veterum ſynocus, & febris ardens; ſub titulo putridarum veniebant. Quem etiam titulum eis concedere poſſumus, ſi conceptum fæni madidi, ejuſque quandam ſimilitudinem putredinis eſſe, ſine contentionibus Galenicis concedamus, fænumque hoc modo incaleſcens putreſcere dicamus; nam re ipſa, alteratio tantummodò appellari debet, quæ ad corruptionem ducit. Eſtque quæſtio de nomine tantum.

Hippocratis lib. 1. de morbis ait: *Febris ardens corripit magis bilioſos, &c.* & alibi lib. 1. de affect. ait: *febris ardens* (cauſon) *fit cum ſiti ingenti, lingua aſpera nigra reſpiratione calida, colore ſubbilioſo, ſputis bilioſis extrinſecus frigidior, intrinſecus calidior. Huic infuſa, per clyſterem frigidiſſima immittantur quotidie.*

A quo textu medici Bononienſis, cum riſu Florentinorum edocti fuere, febricitantibus frigida enemata injcere.

Differentias etiam cauſonidis ponebant veteres, & dicebant cauſos, vel eſt legitimus, qui ſcilicet gradatim ad ſtatum aſcendit, & gradatim deſcendit. Vel eſt ſpiritus, ſcilicet qui inæqualibus veluti gradibus gradiens; modò creſcens, modò decreſcens, ad finem properat.

Hic quoque Cauſus ſpurius Elodes dicebatur, qui cum ſudore fermè perpetuo & anxietate comparere ſolet.

Et hac falaci ratione confundebant unicam naturam febris cum acidentariis aliquibus ſymptomatibus, & dabant anſam cavillatoribus, ſofiſticis medicis, qui ut alijs magis ſapere videantur, deſſumpto aliquo nomine ab Hippocrate, vel Galeno, mordicus deffendere volunt quod ſit iſte, vel ille morbus; cum quæſtiones ſint de lana caprina, nihil ad morbi eſſentiam, ad naturam, ad

pro-

prognoſticum, indicationes, & curationem ſpectantes.

Quare nos qui cum iſtis cavillatoribus pugnam verborum inire nolumus, ultrò eis concedimus nomen, dummodo nobis concedant, quod tale nomen non importat mutationem curationis vel aliorum ſcitu digniorum.

Quare hoc loco decrevimus inſerere notitiam horum nominum præcipuorum, & magis decantatorum; non quia cognoſcamus eſſe ex. gr. febres diſtinctas à tertianis, & indigere diſtinctas curationes à tertianis; ſed quia diſtinguuntur tantumodò accidentaliter ſecundum aliqua accidentia, à quibus nomen deſſumunt.

Sufficiatque nobis tractatum de febribus condituris; ut quandò volunt iſti loqui de hemitriteo ex. gr. lipyria, latica, & conſimilibus, nos optimè, linguæ eorum notitiam habeamus, ne nobis eveniat id quod conſtruentibus turris Babel evenit, qui præ confuſione linguarum, à conſtructione deſiſtere coacti fuere.

Quot ridiculæ quæſtiones fuere penès ſciolos iſtos medicos, alios dicentes hanc eſſe febrem ſynochum, alios eſse febrem cauſonem ephemeram cum neque Lincei oculi poſſent diſcernere diſtinctionem, niſi poſtquam integrum curſum ſuum febris peregerit.

In utraque enim fit accenſio partis tenuioris cruoris (quam dicunt aliqui ſulphuream) quæ veluti flamma accenditur. Sed ſynochum fuiſſe ſolummodò in fine cognoſcetur; quia vel fuit acmaſtica febris in qua calor, & æſtus, &c. eodem tenore procedit. Vel epigmaſtica in qua calor, & ſitis aliaque ſymptomata ſemper accreſcunt. Vel paracmaſtica, in qua ſimiliter decreſcunt, &c.

Synochum itaque dividebant in legitimum, & ſpurium, mixtum ſcilicet alijs quiſquillijs; nam legitimum dicebant fieri ſolummodò à parte ſubtiliori cruoris, quæ flammam veluti conciperet, quæ interim in dies, ſi major, & major ſemper fuliginoſæ bilis copia in venis ſuccreviſſet; neque à vaſibus cordis propulſaretur; magis turgeſcens maſſa ſang. cum ſymptomatibus febris increſceret; vel è contra decreſceret.

Synochi cauſam Helmontius Archeum accuſat, & ait: *A cauſa occaſionali laceſſitus Archeus, veluti à ſpina, irritatur, & commovetur. Saliaque corroſiva acuta, ex indigeſtionibus producta, rationem ſpinæ habent, erga Archeum. Sic inflammationes ſpinæ rationem habent, & ſynochum cauſare poſſunt.*

Angli crudiorem chylum, hujus levis perturbationis factæ in maſſa ſang. auctorem ſynochi faciunt.

Febris autem ardentis nomen ad quamcumque ſpeciem tertianæ extendunt, quæ hæc duo habeat annexam, nempè ſitim, & calorem ingentem.

Univerſaliter verò ſub titulo tertiano veniunt, neque alia differentia intercedit, niſi ratione majoris, vel minoris maſsæ ſang. perturbatione, majoris, & minoris ebullitionis atque variæ aſsationis cruoris, propter quam copioſior, vel minus copioſior, vel craſſior bilis generatur, quæ varia ſymptomata pariat, pro locorum diverſitate ad quæ dirigitur.

Febris autem exquiſa ardens, ſeu Cauſo dicebatur illa quæ fieret à bile ſincera ab antiquis; ſed hoc debet eſse per noſtrum modum concipiendi, ſincera namque bilis nulibi reperitur, neque in folliculo ſuo hepatico.

Quare ſicut vinum Italicum, quod paucam aquam admixtam à furacibus agaſonibus Clanfurtum ad me ducentibus, & jurantibus eſse ſincerum, quia vinoſas ſuas habet qualitates in colore, odore, ſapore, ſic pariter bilis in his febribus exquiſita dici poteſt, quæ minus aliorum humorum admixtorum habet. Sincera enim in vaſibus cordis, impoſſibile eſt dari.

Critici adhùc cavillatores contendunt dicentes, neceſsariam eſse hanc exactam nominum diſtinctionem, & notitiam quo cura, & adminiſtratione remediorum; nam Galenus lib. 8. meth. docet quòd *febris ardentis duo debent eſſe remedia; alterum venæ ſectio, facta ſanguinis evacuatione uſque ad animi deliquium, quo ſuperveniente corpus refrigeretur. Alterum eſt copioſa ad clamoræ ſitis ſatietatem potio, ut ſic pariter corpus refrigeretur.*

Sed plurimæ admodum conditiones requirebantur.

Primo quod certi eſsemus quòd flos tantum ſanguinis, ſeu pars ejus tenuiſſima ad modum levis flammæ veluti paleæ ignis accenſa eſset, ideòque his refrigerijs facilè ad ſtatum naturalem deduci poſset.

Secundo quòd plethoria, copiaque ſanguinis adeſset.

Tertio juvenilis ætas.

Quarto quod cauſæ hujus cauſonidis vel ſynochi etiam, eſsent externæ.

Quinto febris eſset in ſuo vigore.

Sexto ſigna coctionis appareret.

Septimo patiens eſset frigidæ potioni aſsuetus.

Octauo quod firma viſcera habeat.

Nono quod corpus ſit euſarcum.

Decimo, quòd eſset viribus validis.

Undecimo, quod in primis vijs non adeſsent cruditatis.

Duodecimo, neque in viſceribus obſtructiones, tumores aut alia impedimenta.

Tertiodecimo, neque ventriculus, vel nervoſum genus debilia ſint.

Quæ conditiones omnes ſicuti ſi reperirentur, à judicioſis, & prudentibus medicis, concordi ſuffraggio certum & infalibile cauſonidis auxilium eſſe comprobarent.

Sed quia vix caſus in praxi talis obſervabitur; ideò concordi pariter ſuffraggio, hæc duo remedia noſtris ſæculis obſolevere; hoc prudenti conſilio ducti, quòd quandò equa ratione unum finem aſsequi poſsumus, ancipiti, & periculo pleno medicamento, tum certò, ac tuto auxilio, Eligibilius eſt hoc, quam illud.

Quare pro illo flameo veluti ardore palleæ, qui eſt in maſsa ſanguinea tolli poterit, tum partitis viciſſibus facta emiſſione ſanguinis, tum partitis vicibus potulentis refrigerantibus adhibitis.

Hoc idem ſentit Hippocratis lib. 1. de aff. qui expreſsè jubet in cauſonide, *ut potiones, ac ſorbitiones exhibeantur frequenter, & paulatim, frigidiſſima. Tum infuſa frigidiſſima per clyſterem injiciantur.*

Hac enim ratione ſumma illa pericula vitari poterunt, quæ ſi viſcera obſtructa, inflammata, vel aliter malè affecta incurri poſsent.

Tum quia ut diximus febres omnes tertianæ quibus duo illa ſymptomata annexa ſunt, ſub nomine ardentium venire poſsunt; nemo verò medicorum tam oculatus eſse poteſt, quod ſtatim ab initio ex ſiti ingentique calore cognoſcat cauſonem, vel ſynocham febrem niſi poſtquam brevi, & felici ratione ceſsaverit, quia levis, & veluti palleæ ignis in maſsa ſang. conceptus fuerit.

Ut plurimum enim ſic incipiunt tertianæ, imò illæ febres, quæ ad gradum malignitatis evehuntur.

Semper tamen in his ardentibus febribus uti poſ-

ſumus

sumus emulsionibus refrigerantibus; cum portione opiatorum granulis *laudani*. Spiritus acidis nitri, vitrioli. Vino granatorum vel succo. Rhibes quocumque modo. *Vel* succo fructuum maturorum. Uva grespina. Succo amerenarum vel vino. Onphacino *cum* cibis. Succo aurantiorum, citri, limonum.

Cucurbitæ latæ taleolæ dorso, & visceribus æstuantibus applicitæ. Portulaca sempervivam pulsantibus locis, palmis manuum, plantis pedum applicæ. Sed præ cæteris harum succus, cum aqua rosacea, & modico aceto partibus genitalibus applicitus, aliaque in tertianis quæ suo loco proposuimus, secura refrigerantia, &c.

Lypiria est de genere *febrium* ardentium tertianarum scilicet à prædominio bilis ortarum, atque ejus causa naturalis instrumeretaria solet esse inflammatio alicujus visceris interioris, sensibilis, membranosi ex. gratia ventriculi, uteri, vesicæ, intestinorum, &c.

Affligit igitur cum partium internarum summo æstu. Partium autem externarum sensu frigoris, & *algoris; dum tamen medicus*, & adstantes ægro quærenti testantur carnes exterius tepescere.

Et hæc duo sunt illa decantato pathognomonicos signa à veteribus lypiriæ. Nam præter hæc solent annexam habere linguam nigram, aridam, cum deliriis, vigilijs, & alijs in tertianis fieri solitis; sed æger *præcipuè* se algere conqueritur, ac tegi implorat.

Brevi tamen ad salutem, vel ad mortem propendet hæc febris, quia internarum inflammationum noxam diù natura sustinere non potest.

Lypiria itaque legitima fieri solet ab aliqua inflammatione ventriculi, vel partium circumstantium. Galenus verò 4. aph. com. 48. Tum 4. acutorum causam symptomatum affert dicendo, quòd *spiritus calorificus, cum conjuge massa sang. ex toto, undique accurentibus, sunt causa ut partis extremæ frigescant*. Sic penes Hippocratem ad hepatis inflammationem lypiriam sequutam fuisse legimus, in 4. de loc. aff. 8. Sic ad pulmonis phlegmonem in 2. de loc. aff. 2.

Hemetritei nomine venit penes Hippoc. 1. Epid. sect. 1. text. 29. febris quædam magis periculosa quam tertiana atque creditur esse quandam complicationem diversarum febrium, ob varias mineras, in diversis locis sitas.

Indè observatur veluti habere vatias accessiones, atque innordinatas, in una die. Debet igitur ex Hippocrate esse febris horrifica, acuta, continua, & non intermittens. Tertio potissimum die ingravescens, crebras habens in singulo die horrificas accessiones, intermedioque die remissior apparet. Hæc est hujus febris vera Idea; Hæc sunt ejus signa pathognomonica.

Alibi Hippocratis in 1. Epid. sect. 3. ait: *Sepè hemitriteum observavi in his, qui diuturnis morbis conflictati, rapiuntur ad tabem, dum a febre æstuat in bilem cruor, & ex diuturnitate morbi, spiritu resoluto, ac debilitate, datur ansa generationi excrementorum crudorum pituitosorum.*

Zac. verò Lusitanus vidit talem ægrum hemitriteo laborantem, qui facit inflata, cachetico modo urina rubra, siti pauca sudore nullo, ingenti stomachi fastidio, nausea, vomitu pituitoso ad hydropem tendebat, Quam sudoriferis curavit, decocto chinæ, viscera roborando, ac deobstruendo, pituitam, & succos lentos liquavit, & perhabitum, atque per insensibilem resolutionem dissolvit, & sic sanavit

Adrianus Spigelius in observ. anatom. observavit hanc ex inflammatione mesenterij factam. Vel ait fieri potest *a fermento quodam maligno, acri, membranas varias viscerum vellicante, massam sang. inquinante, & fermentante; nam fieri solent grassantibus febribus malignis, pestillentialibus.*

His tamen omnibus examinatis, non removemur, à nostra opinione, quod febrium omnium natura tertianaria, ignea, biliosa non sic; omnes enim veluti pro certo, & stabili fundamento super assationem cruoris factam à spiritu calorifico fundantur, & calorificam bilem pro causa immediata materiali, fundamentali agnoscunt; deindè ab alijs liquoribus, in varijs locis fermentescentibus, & subdominantibus, febris eadem, varia potest sortiri symptomata, in varijs locis.

Sic Hippocratis in 7. Epid. nostram confirmat opinionem, & dicit: *Uxori Theotimi, in hemitriteo anxietas aderat, & vomitus. Et simul horror incipiente febri, & sitis, progrediente verò tempore, calor ingens. Aquam mulsam bibit, vomuit, horror atque anxietas sedata sunt.*

Quibus sanè verbis nil aliud insinuare voluit, nisi quod hæc febris hemitriteus appellata, more tertianarum incipiente febri cum horrore, & siti, anxietas aderat, & vomitus, à quibus sublevata fuit post potu aquæ mulsæ vomitu facto. Quæ omnia adamussim correspondent consuetæ naturæ febrium tertianarum; sed per accidens tantum ratione ventriculi malè affecti à cæteris distingui debent hemitritei ab alijs febribus.

Quare non adeò solliciti esse debebimus, de investigationis nominis, quasi sit febris aliena à natura tertianaria; sed de solo loco magis affecto, à quo symptomata febris proveniunt cogitabimus, ut eis occurrere possimus.

Omnia tamen diriguntur ad sedationem tertianariæ, seu biliosæ febris, nempè ad sedationem Archei, & ad arcendam generationem bilis, per restitutum motum naturalem massæ sang., quod est fundamentum materiale omnium febrium, prout vbique ostensuri sumus.

Latica pariter bene examinata invenietur, quod non erit aliena, à natura tertianaria seu biliosa:

Hæc igitur febris, latica à veteribus dicta à latendo, quoad aspectum similis est quotidianæ; sed in hoc differt quod nullam habet declinationem, seu intermissionem; sed omotona, est similis hecticæ.

Ex Avicena enim 1. 4. tract. 2. cap. 28. *Continuò lentè, & sine molestia ægrum corripit,* (estque hoc signum pathognomonicum) *Fierique solet hæc febris, ex viscerum contumaci obstructione, mesenterii, lienis, pancreatis, &c.*

Hæc igitur febris decipere potest, quia ob lenitatem caloris hectici, seu continui, videri posset hectica; sed ob corporis summam extenuationem.

Attamen distinguitur.

Primo ex tactu cutis; in hectica enim cutis est sicca, & corrugata, ac dura. In latica est mollis, & humida.

Secundo, ex pulsu, qui in hectica durus est, in illa mollis.

Tertio, quia in hectica post unam, vel duas horas post cibum intenditur; sed latica exasperatur magis vesperi, & viget noctu.

Ab aliquibus hæc latica febris elode Græcè dicitur à sudore, quando cum corporis contabescentia, assiduus sudor profluit. Hæc à cerebro, seu à pituita Hippocratica fieri creditur, dum sua viscoditate, ac lentore, naturalia viscera obstruit,

ſtruit, & a ſuis muneribus naturalibus impedit.

Epialam jure meritò excluſit ab albo febrium Laurentius, atque ſomnium eſſe Avicennæ promulgavit; impoſſibile eſſe dicens febrem hanc habere ingens frigus in viſceribus, & partibus internis, & ſimul adeſſe ingentem calorem in partibus externis.

Febris enim conſenſu univerſorum eſt calor accenſus in corde, & proximis *locis* neceſſariò communicatus. Quare quòd in lipiria interiora urantur, & exteriora frigeant, poſſibile eſt; ſed quod per pulchram combinationem febrium, detur etiam febris in qua interiora frigeant notabiliter, & exteriora urantur, cum fabulis Promethei enumeretur, cujus hepar a vulture aſſiduo corroditur.

Syncopalis febris, ab annexo ſymptomate dicitur, quæ febris in piracolis, vel bilioſis cacheticis cum ſyncope annectitur, ob bilem moleſtantem ſupernum os ventriculi, & dicitur ſincopalis minuta.

Vel ſi fiata pituita acri ſalſa, moleſtante ſupernum os ventriculi, & ſyncopem inducente, dicebantur a veteribus humoroſa; ſed hæc quoque non eſt aliena a tertianarum natura; eratque febris antiquorum quæ interficere ſolebat, ducendo ad habitum cacheticum, & humores omnes corrumpendo, ſine nutritione frigefactis membris.

Hydropes etiam febres dicebantur, *ſcilicet* ſudorificæ in quibus, aſſiduis ſudoribus nudent ægri, & tamen nil alleviantur.

Aſſodes febris, ſcilicet anxioſa dicebatur in libris antiquorum, illa quæ crebris jactationibus, anxietatibus, inquietudinibus moleſtabat; ob affectum os ſupernum ventriculi, a materia auri, imitante, moleſtante hanc ventriculi partem valdè ſenſitivum. Vel etiam fieri ſolita eſt a fermento quodam aut re venenata, maligna ac præternaturali cum ventriculi imbecillitate.

Lypodes febris, ſcilicet ſingultuoſa, a continuo ſingultu adjuncto dicebatur, quæ pariter à materia os ſupernum ventriculi, & annexam partem membranoſam diaphragmatis ſtimulanti oriebatur.

Horrifica febris dicebatur, quæ crebris rigoribus infeſtabat, qualis in ſuppurationibus partium internarum; tum in febribus compoſitis, maligniſque ſupervenire ſolet.

Febris alba ſolet contingere virginibus, a retenta, vel imminuta evacuazione menſtrua, ac regurgitante per circulationem ab utero per venas mezentericas, & venæ portæ ad hepar, & per cavam ad cor.

Dum præ ſeri alb. acidi incraſſati craſſitie, menſtrua evacuatio quæ per uteri vaſa prodire debuiſſet, ſibi viam intercludit, fitque cauſa ut pituitoſo hoc colore, virgines abbicant, donec aperiantur illis, & fiant ampliores viæ per ætatem, vel per conſilium prudentis medici.

Febris hoc ſæpè continua ſolet eſſe, aliquando erratica ſemper verò eſt cum cachexia, ſeu malo habitu, diciturque morbus Virgineus, de quo ſuo loco &c.

Cathedralis febris appellanda venit illa, quæ a catarrho a capite deſcendente provenire ſolet; cujus pategnomonica ſigna ſunt, quia veſperi exacerbatur, calore tamen leni, & aliqua tuſſicula, vel anguſtia circa partes ſpiritales, ideoque ducere ſolita ad cachexiam, & affectus pulmonis, vitiata nutritione &c.

Capitis quodam affectu, vel turbatione, vel dolore, vel gravedine afficere ſolet. Quandoque circa veſperas potiſſimùm leves quædam horripilationes veluti ventus per cutem tranſiens manifeſtantur, acri aliquo calore increſcente uſque ad mediam noctem.

Febres denique plurimæ a variis cauſis, a variis ſymptomatibus ortæ, diverſis nominibus ab auctoribus inſignitas repetiemus, quas tamen omnes, ſi ad juſtam, & rectam trutinam perpendamus, a tertianaria natura aliena non eſſe comperiemus, ſcilicet a materia bilioſa, ſine qua febris eſſe non poteſt, & deindè a variorum liquorum mixtura, veluti a cauſis magis remotis.

Ideò Lactea febris dici ſolita, quæ ob *lactis* commotionem in ſingulis fermè puerperis circa quartum diem fieri obſervamus.

Purulenta febris illa quam Hippocrates 2. aph. 27 obſervavit.

Ulceroſa febris, vel fiſtuloſa, quæ materiam acrem irritantem fiſtulæ, *vel ulceris circulando*, in majori, vel minori quantitate ad cor demittit, ita ut ad tabem deducere poſſit, abſumpto atque corrupto omninò ſero alb. nutritio.

Conſimiles etiam febres quandoque fieri obſervantur ex latenti abſceſſu, & occulta corruptione ex. grat. ex tumore aliquo meſenterii, vel viſcerum non ſuppurato abſceſſu, quo deindè diſrupto, lypothimiæ, & alia ſubſequuntur ex Hippocrate 7. aph. 8.

In mulieribus a fœtu mortuo, a ſecundina relicta, ac putreſcente, in taniem abeunte, & ab utero, peculiares plurimæ febres obſervantur.

Aliæque plurimæ in viris occaſione genitalium; & potiſſimum febres a venenatis jaculis Cupidinis duplici incendio accenſæ, quæ magnam mortalium partem in cineres redegit.

Omnes tam ad tertianariam naturam rediguntur, bile admixta cum variis liquoribus, alvario corrupto ſero alb. provenientibus, ac malo in victu regimine.

Prognoſtica Febrium generica.

HIppocrates 2. aph. 26. *Febri convulſionem ſupervenire malum eſſe adindicavit.*

Talis enim convulſio, ſiccitatem præternaturalem in ſubſtantiis nervoſis introduci ſignificat præſente febri. Siccitas autem in febribus, mala conduplicat; & potiſſimùm in febri acuta, *in invenibus*, & aliis *conditionibus* fervidis, *convulſio* ferè ſemper lethalis *eſt*.

Nam ſignificatur exiccari partes ſpermaticas albas, nervoſas, penuria probi ſeri alb. ſpermaticarum partium nutritii, in quo nutritio liquore, dulci, blando, frigidiuſculo, & humido omnis ſpes repoſita eſt, quod bilis ignea acerrima frenari atque attemperari poſſit, membraque nutriri. Sed affecto ſero alb. ſpe omni evaneſcente maligna ſymptomata exurgunt, ut ſuo loco dicetur.

Hippocrates 2. aph. 28. *Febricitantium non omninò leviter corpora permanere in eodem ſtatu, & nihil dependere de carnoſa ſubſtantia. Vel magis quam pro ratione colliquari, malum. Illud enim morbi longitudinem, hoc infirmitatem virium oſtendit.*

Corporis igitur in eodem ſtatu perſeverantia, cum febri non mediocri, corporis denſitatem arguit, & frigiditatem humorum copiam, ideoque morbi longitudinem arguet: Extenuatio verò præter rationem humorum tenuitatem acredinem, vel malignitatem, corporis, & virium diſſolutionem oſtendit.

In febri igitur ad *appatentiam* leni, ſi *corpus* præter rationem *extenuetur*, magna morbi *malignitas* arguenda *eſt*. Nam quòd in vehementi *febre*, ſemper corpus extenuetur, & valdè conſumatur, ordinaria *res eſt*.

Macies itaque & extenuatio, potiſſimùm in facie Hippocratica dicta; quæ ſtatim primis diebus apparet,

sine causa manifesta , læthalis consuevit esse . Hæc autem primo invultu comparere solet , deindè circa partes oculorum ; deindè in ventre inferiori , quia magis circa has partes viget pinguedo , quem alibi.

Ideò Hippocrates in proximo aphorismo 35. ait ; *Partes ad umbilicum , & imum ventrem crassitudinem in omnibus morbis habere bonum est . Valde verò tenues , & eliquatas esse , malum .*

Hippocrates 3. aph. 6. ait : *Quando æstas sit veri similis , sudores in febribus multos expectare oportet .*

Hic aphorismus , legitur longè fructuosiòr , & clarior in libro de humoribus sic : *Quando æstas sit veri similis sudores in febribus , & febres faciles , & non peracutæ , neque linguis ob aridæ fiunt .*

Anni itaque tempora ad gignendos , tum ad solvendos morbos , maximam vim habent , potissimùm per sudores:

Dum ergo ætas sit veri similis , maximæ vigent causæ sudoris ; nam causa materialis est humiditas per vernalem constitutionem . Causa efficiens est calor æstivus , qui fermentatione excitata liquatos humores mecanica ratione per tubulos varii generis a massa sanguinea seccernit , & expellit per cutis porositatis forma sudoris . Per sudores autem febres majori ex parte judicantur .

Hippocrates 4. aph. 21. *Dejectiones nigræ , qualis sanguis niger , sponte prodeuntes , & cum febre , & sine febre postremæ .*

Usus est Hippocrates voce hypocorimata scilicet alvi excrementa, ut excluderet cæteras alvi excretiones , ex. gr. hemorrhoidibus , quæ sæpè salutariter contingunt .

Addit sanguini *atro* similia , qualis est , qui aliquando vena secta ater excernitur (qualem observasse Galenum legimus comentario tertio in sexto epid. *in quadam muliere , quam liquidæ pici assimilavit*) ut exciperet dejectiones , quæ cum multo sero , vel lympha dilutæ excernuntur , hæ enim tenuiores sunt , & aquosiores . Has enim salubriter excerni posse testatur Hippocrates sect. 3. conc. præn. sic : *Tenues nigrorum egestiones , nigerimis sunt meliores .*

Talesque prosunt maximè in ætate ante vigorem . Quæ ergo sanguini atro similes sunt , omnes semper malæ sunt ; quia necesse est causam habere præcedentem exustionem cruoris , seri verò alb. cum pedisequa lympha ingentem absumptionem , vel ignei fermentativi calorifici spiritus in massa sanguinea extinctionem vel saltem iminutionem notabilem (hæc enim duo constituunt duas differentias atræ , pessimæ bilis , pro ut ostendimus in inst. med. ref. capite de mulo melancolico) quæ singulæ differentiæ , casum læthalem constituunt .

Variegata quoque excrementa in citato loco detestatus est Hippocrates nam in malitia æqualia censentur in libris prænot. , si modo nigra modò viridia , modò flava sincera dejiciantur ; nam indomitæ , crudæ , & multiplicis materiæ indicium est , atque inconstantis in opere spiritus inæqualiter agentis ; neque in sua vehementia persistentis .

Ideoque in tertio com. præn. ait : *Malæ sunt omnes egestiones abundè coloratæ ; Sed cum medicamento non sunt malæ , sive nigræ , sive variegatæ . Namquiescentes educi indigebant , non molestantes . Sponte autem factæ signum est esse molestantes , atque naturam eas ad excretionem impellere .*

Vitalum igitur est æquè plures inter se diversos humores peccare , vel etiam unum tantùm , sed pessimum . Talis enim humor insuperabilis , vel venum est , vel naturam veneni sapit .

Quare Galenus has dejectiones in principio , semper pessimas esse scribit ; aliquando enim in declinatione , possunt criticè excerni , sed tamen cum difficili judicatione .

Sic *qui in Dealcis horto habitabat* (ait Hippocrates ibidem) *nigra dejicit , & urinas etiam nigras habuit , per plures dies , & tamen sanatus est .*

Tales autem humores non generantur , nisi præsentibus fervidissimis condictionibus , tum per magnam astationem duorum calidissimorum viscerum , cordis , & jectoris . Ideò in peste , & in febribus malignis æstivis, tales excretiones viscuntur .

In morbis itaque acutis , ac in extenuatis egris , si tales compariant , postridie moriuntur , ait in sequenti aphorismo.

Hippocrates . *Sed sanguinis nigri per sedem excretionem ex hemorhoidibus bonum esse docet proximo aphorismo 25.* ne decipiamur in prognostico , dum excrementa nigra per alvum , & sanguinem nigrum criticè per hemorhoidibus fluere observamus .

Hippocrates 4. aphor. 29. *Quibus in febribus sexta die rigoris fiunt , difficulter iudicantur ,*

Utitur Hippocrates voce discrita , quæ significat sine crisi , quia crisis protrahitur ; ostenditque naturæ conatum sesta die factum , in die scilicet pari ; quod malum est .

Natura enim (ut docet idem Hippocrates lib. 4. de morb.) non solet ritè , & rectè movere , nisi diebus temporibus , in quibus conformatur regulato motui Lunæ mensurno , in quibus natura bonos , vel malos dies criticos facere solet.

Significat ergo , a vi malesuor aspectuum , crisim in septima deturbari , atque in aliud tempus differi . Nam sicuti inter impares dies primæ septimanæ , septimus est primus , & veluti rex judicans , quia in eo , ut plurimùm crises fiunt , ad bonum . Ita sexta dies est omnium pessima , & tirano comparari solita ; quia hac die rarò fiunt crises bonæ , vel motus boni .

Imò omnis morbus , qui per pares dies movetur , (ut quartana) difficilimum habet judicium , sed quandoque recidivum , vel in alium morbum transitum facit , vel mortem adducit . Vel si crisis bona in tali die finæ , pro corvo albo habenda , & albo lapide signanda est .

Atque si rectiùs inspicias reperies , quod præveniente valida natura crisis sexta die incepit ; sed die septimo complementum suscepit. Sic habemus exemplum in 7. epid. *Philistidi Hermolidi uxoris , quæ die sexto riguit , & minxit multum , in septima deinde crisis perfecta celebrata fuit .*

Observavimus , & nos quòd rigores antecedere solent judicium , quod per sudorem fit , quando sudor criticus futurus est.

In febribus itaque sexta die rigor judicatorius , mobilem , tenuem icorem , partis sensitivas ad sui expulsionem stimulantem prænonstrare solet , qui deindè perfectè cum sudore , in declinatione febris in septima erupturus est . Secùs virtutem imbecillem , & crudam materiam imitantem ostendere solet .

Notandum interim est , quòd a motu dierum indicatoriorum , vel criticorum (qui in febribus certè observantur , & ab omni pendenti medico rigorosè pensitari debent) dependent motus morbondomnium acutorum , inflammationum potissimùm . Ita ut rationabili ratione dici possit a febri morbos omnes acutos dependere .

Atque

Atque febres non esse symptomata inflammationum (ut Galenici decantant , ignorata sanguinis circulatione) sed esse per se, & originativè causas , & fomenta inflammationum ; A febri namque incipiunt , & cum febre terminantur , non è contra .

Impossibile est enim aliquam magnam inflammationem fieri absque eo quod materia , quæ circulabatur in venis , non extravasetur , atque in ea parte impedimenta faciat , *quæ impediant* sanguinis circulationem , in tali parte inflammata .

Tandem impulsu , ac vigore spiritus calorifici massæ sanguineæ conjugati , maturata , & correcta materia inflammatoria , meliorique adducta materia nutritiva , & restaurativa partis inflamatæ , impossibile est , ne subsequatur sanitas ; quæ omnia necessariò fieri debent mediante motu febrili , atque circulationis massæ sanguineæ a spiritu impulsæ .

Hippocrates 4. aph. 30. *Quibus paroxismi fiunt , quacumque hora dimiserit febris . Si postridie eadem hora corripuerit , difficulter judicantur .*

Hanc magni ponderis sententiam repetit Hippocrates in lib. 3. de humor. 91. Galenici autem inconsideratè , & temerè aphorismum transfere volunt ad omnes febres continuas , quæ aliquam accessionem singulo die habere videntur , & *quas continuas* per subingressum paroxismorum vocant .

Cum tamen de illis tantùm intelligit Hippocrates , quæ quotidie invadunt . Ideoque ait : *Si sequenti die corripiat* . Hoc enim proprium quotidianarum febrium est .

Quotidianæ igitur juxta mentem Hippocratis sunt illæ febres quæ quotidie invadunt , eadem hora , quæ libro de nat. human. à *copia humoris bilioſi dependere docuit , magis quam tertiana ſimplex* . Quatenùs verò eadem hora repetit , indicat materiam , quæ priorem accessionem fecit , a materia sequentis febris , neque loco differt , neque natura , sed eundem habere robur , & energiam .

Quibus stantibus , (nempè materiæ morbificæ copia , & robore) impossibile est , ut a natura citò superari possit ; quare necesse est , morbum sine crisi vagari , vel malè judicari , vel longo tempore , & per multas recidivas , quæ sunt conditiones , judicii difficultatem constituentes .

Hoc autem non evenit quando febris diversis horis paroxismos habet , & exacerbationes ; hoc enim contingit , ob materiæ diversitatum , & foros diversos , quæ condictiones causam debiliorem arguunt , quæ naturæ faciliùs cedat .

Nam quæ postponunt horam periodi , bilis copiam non esse adeò ingentem arguunt ; ideoque naturæ faciliùs cedet .

Si erroneo modo paroxismus ingruat , & inconstans sit , declarat quod a firma , & robusta natura , non erit difficilè ut vincatur ; quia materia non sit adeò pertinax , & firma .

Judicium difficile hoc loco quod discritos nomine ab Hippocrate insignitur , propriè significat sine crisi , quasi dicere velit , errantem a sua recta meta , & termino solito poni à natura dierum criticorum , quare non nisi longo tempore finietur , & cum difficultate . Quamobrem timenda est recidiva vel decubitus ad partem aliquam , loco probæ crisis .

Observamus interim quod anticipatio accessionum solet morbi augmentum indicare ; sicuti postpositio declinationem ; attamen hoc perpetuum non est , nam anticipatio aliquando naturæ robur materiæ tenuitatem , & morbi vehementiam possunt indicare .

Postpositio vero virium debilitatem materiæ crassitiem , & morbi longitudinem . Ideoque etiam alia signa consideranda sunt .

Hippocrates 4. aph. 34. *Si a febri detento , tumore in faucibus non existente , suffocatio ex improviso supervenjat , lethale .*

Ratio quod mors sequatur est , quia cordis febrilis calor attemperari , atque eventillari non potest . Talisque affectus fit a convulsione , fibras musculorum gutturis constringente , ita ut aer debitè trahi non possit , & interim urgeant cordis refrigerium , & fumositates a massa sanguinea accensa , quæ exportari , ac evacuari indigent .

Ut enim cordis calorificus igniculus vivax servetur , quantum necessaria sit respiratio , omnibus palam est . Sine qua vita neque per duo momenta consistere posse observavit D. Boileus de vi elast. aeris .

Obs. quod nomine suffocationis intelligit Hippocrates difficilem respirationem ortopnoicam , non sensim factam a materia frigida catarhali , sed de repentè , quæ fit à repentina convulsione partium gutturis , vel venarum interuptione , aut apoplexia . Vel ab aura maligna , *ut in affectibus hystericis* .

Hippocrates igitur addit cum febre ; Valesius addit cum febre magna , quia neque apoplexia , neque hysterica passio fieri solet cum febri magna ; sed a gutturis inflammatione , seu siccitate convulsiva fit ista horendissima angina , in qua nihil oculis conspicui observare potest in faucibus , & tamen intra breve tempus cum dolore , & ortopnea interficiuntur .

Hippocrates 4. aph. 36. *Sudores febricitantibus boni , si inceperint die tertia quinta septima nona undecima quartadecima decima septima vigesima prima vigesima septima , trigesima prima trigesima quarta . Hi enim sudores morbos judicant . Qui autem non ita fiunt , laborem significant , morbi longitudinem , & recidivam .*

Monstrat hoc loco Hippocrates dies magis considerabiles , qui habentur in singulis morbis acutis , qui a febre dependent , seu a mensura motus Lunæ , & astrorum comensurantur , quique in diebus imparibus istis conspicui fiunt ; prout docuit etiam *Galenicis in libris* de diebus decret. , ostendens a motu Lunæ , & ejusdem constellationibus cum astris morborum acutorum motus proportionari .

Tum etiam peculiari libello ostendere allaboro , cum præceptore meo Argolo , de diebus criticis ; dessumentes historias Hippocratis sparsim in lib. Epid. & alibi , ostendemus , quod qui illis diebus judicati fuerunt , benè judicati convaluerunt , qui extra illos dies judicati fuere , recidivas , vel morbos longos passi sunt &c.

Probatur etiam ratione , quia sudores , vel excretiones ultra prædictos dies prodeuntes , extra naturæ ordinem prodeunt ; fiunt enim illis diebus , in quibus natura quiescere solet ; scilicet diebus paribus in quibus feriari solita est adversùs bilem , quæ causa febris est , & per consequens dat motus normam universis morbis acutis .

Insurgit enim natura adversùs bilem de tertio in tertium , nisi stimuletur a copiosiore bile quæ constituant febrem quotidianam continuam , ut antecedenter in explicatione aphorismi 29. ostendimus .

Non raro tamen judicationes in *die* antecedenti incipiunt , die scilicet pari , & in die sequenti , scilicet impari terminantur . *Sic Perules in Abderis quarta die ideò judicatus est per sudorem* , quia

mota fuit bilis ; atque judicium incepit tertia die 3. eprid. ægroto sexto , & septimo epid. & Uxor Elcomenis per mensium effluxum . Vegeta enim natura anticipat motum ex. gr. in tertia , vel quinta ut deindè in fine quartæ vel sextæ inveniat quietem .

Observabile est, quod numeravit decimumquartum diem, & non decimum tertium, vel decimum quintum, qui sunt imparis, sed hoc factum est ratione motus lunæ; scilicet primæ quadraturæ , quæ contingit circa septimum diem .

Docuerat ideò Hippocrates 4. aph. 24. quòd *octavus est primus secundæ septimanæ , undecimus autem est quartus . Sed quartus decimus est septimus secundæ septimanæ* , in quo acutorum morborum magis frequentis, & perfectæ magis fieri solent crises.

Quia tunc Luna ad oppositum locum pervenit , in quo fuerat primo diei decubitus , ideoque oppositum morbo effectum producit , si tamen ab initio cum malignis astris malè constellata non fuerit ; tunc enim vires sequi debet constellationum ; de quibus plura suo loco exarabimus .

Hippocrates 4. aph. 37. *Frigidi sudores , cum acuta quidem febre mortem ; cum mitiori morbi longitudinem ominatur .*

Frigidus ergo sudor periculo plenus est in acuta febre ; nam morbum insuperabilem ; vel extremam virium imbecillitatem arguit ; ideoque lethalis.

Nam vel fit ob inflammationem internam , occupato spiritu calorifico ad partes internas , & relictis externis . Vel vigore materiæ crassæ veneficæ spiritum suffocantis, ejus vias occludentis , vim & calorem suorum diffundere prohibentis .

Sudor verò frigidus cum febri mitiori , multitudinem materiæ arguit , non tamen vires debiles , ideoque morbi longitudinem ominatur (prout observavit *Hippocrates 1. epid.*) crudam scilicet , & multam materiam frigidam aqueam , seri alb. cum pedisequa limpha .

Sudor autem , qui mortem portendit , frigidus esse debet, in toto corpore, vel in toto capite , & circa cervicem potissimum . Tunc enim affectum esse cerebrum significat ; juxta illud Hippocrates in sequenti aphorismo : *Ubi sudor , ibi morbus , seu sedes morbi* ; quare cerebro sic malè affecto , cum vita nutritionem pessundari necesse est . Nullus enim dari potest in corpore liquor , præter serum alb. qui à temperare, atque dulcificare possit bilem in acuta febre undique debacantem .

Hippocrates 4. aph. 43. *Febres quæcumque non intermittentes tertia die vehementiores fiunt , magis periculosæ . Quocumque autem modo intermittant , periculum abesse significatur* . Quam doctrinam reperit 7. aph. 62. tum primo epid. 3.

Non asserit hoc loco Hippocrates febres omnes intermittentes carere periculo, (prout aliqui scholi medici interpretantur) hoc enim falsum esse, in singulos dies observamus.

Plurimæ enim febres , ab initio intermittentes , etiam quartanæ , temporis progressu continuas fieri , & ægros interimere observantur ; prout ante nos observavit Hippocrates lib. 7. epid. sect. 2. dicens : *Æstate cholericæ affectiones , & febris intermittentes fiunt ; & quibus horrores accedunt , quæ quandoque malignæ fiunt , & ad acutos morbos perveniunt .*

Si autem aphorismum exponere vellint , quod quandiu febres intermiserint, periculo careant . Talis prædicendi modus , indignus esset Hippocrate ; atque similis esset ei , quem a nostris frequenter audimus . Ægrum non morturum ; nisi aliquid aliud mali accidat. Certum est , enim quod si æger mori debeat , aliquid mali ulteriùs supervenire ei oportet .

Quare Hippocrates copulativè intelligendas est , & in uno sensu ; ita ut dicat ; *Febris quæ continua fuerint , & tertio die exacerbabantur ; si ad aliquam intermissionem devenerit ; jam nullum ampliùs periculum adesse significatur .*

In cujus rei testimonium observamus Hippocratem non asserere in universali , quod febres quocumque modo desinentes , omni periculo carreant ; Quia sæpè ægri in febribus ad infebricitatione deveniunt, deindè febrem redeunte , tandem moriuntur ut quamplurimis ægris epydemiorum accidisse legimus , de quorum numero fuit Hermocrates , tertio epid. , qui bis sine febre factus , tandem interiit .

Sed intelligit in particulari de febre illa continua quæ tertia die priùs vehementior fiebat , & deindè intermittat , seu declinet , licet non omninò cesset ; sed eo modo quo febres , periodicæ intermittunt , vel declinant ; tum febrem ad salutem vergere signum est .

Et sic ex. gr. quotidiana , quæ erat continua , vel etiam quartana continua , si reddeat ad suum quartanarium paroxismum , periculum tollit.

Ideoque dicit quocumque modo intermiserint scilicet tertianario, vel quartanario modo declinantes, periculum tollunt.

Secùs si sine febre debere esse intellexisset, usus fuisset verbo apyretos , scilicet sine febre , ut sint sine periculo . Et tamen utitur nomine dialepsis , quæ est intermissio , & non integra cessatio a febri .

Sufficit ergo , ut febres istæ declinent , vel quoad apparentiam febris , quæ tertio quoque die vehementior fiebat , sine febri ægrotanti videantur , dum re ipsa innotescat medico prudenti , quòd continua duret , usque ad integram sanationem . Non datur enim status medius , in quo sint cum febre , & sine febri .

Rationem verò subjungimus , cur talem felicem prognosticum profere possumus . Tunc etiam per hanc intermissionem , seu declinationem indicatur , materiam morbificam a spiritu domitum fuisse , & relegatam procul a corde , in vasibus minoribus . Quare spes affulget , quod in dies melius domita, & subacta, tandem viam ad egressum adinveniax.

Interim per hanc febris declinationem , vel intervallum , spiritus alleviatus , recolligens vires suas , naturales functiones suas, nutritionis , ac restaurationis meliùs obire potest , quas afflictus obire non poterat, & sic vires recreantur, ventriculi concoctione , & nutritione in meliùs progrediente , spes est , ut probo chylo genito , spiritus cum massa sang. ad suum naturalem motum ac statum deducatur.

Si verò obiicias, quòd Parius lib. 3. epid. sectione tertia, ex febre continua in intermittentem conversa tandem obierit . Respondeo , quod id non naturæ morbi , sed erroribus in victu tribuendum est . Ideò Hippocrates in fine narrationis historiæ subjungit : Edulliis malis , & vitiosis utebatur .

His etiam doctrinis Hippocrates colligere possumus , quod per febres intermittentes , nemo occiditur , nisi istæ in continuam transeant .

Hippocrates 4. aph. 44. *Quibus febris longæ , hispubercula ad articulos , vel dolores , fiunt .*

Sicuti breves morbi evacuatione finiri solent , ita longi per abscessum judicari consuevere . Febres itaque, vel terminantur per evacuationem vel per abscessum; quia verò articuli paratissimi sunt ad recipiẽdũ;

ideò

ideò ad eos finiuntur facilè febres per abſeſſum.

Et quia febres longæ aliæ ſunt per ſe, vt quartana. Aliæ ſunt longæ per accidens, ut ſunt illæ quæ ex morbis acutis decidentes dicuntur, de quibus hoc loco Hippocratis dicere intendit. Et de quibus in librum prognoſt. ait: *Ubi ultra 20. diem prorogatur febris, ſine malis ſignis, timendus eſt, ne fiat abſeſſus, potiſſimum ad infernos articulos.*

Indicatur enim, quòd virtus ſit robuſta; ſed materia ſit multa, lenta, quæ neque integrè evacuari, neque abſolutè concoqui poſſit.

Quibus quoque verbis monere voluit Hippocratis medicum, in febribus longis, ut evacuando per alvum, urinas, ſudores, vel alia quacumque ratione, futurum abſeſsum præcaveat.

Vera autem ratio cur in febribus longis futuri ſint decubitus ad articulos eſt; quia febres longæ, à materia frigida craſsa foventur; nempè à ſero alb. acido incraſsato, quod naturaliter tempore ſanitatis, ad articulos irrigandos fertur. Quod ſi morboſum fuerit, acidum, incraſsatum, præternaturale, tunc ad articulos tranſmiſsum, tumefactiones, & dolores articulares adducit; provt capite de podagra, & dolor. artic. in mea praxi oſtendi.

Hipp. 4. aph. 46. *Si rigor incidat febri non intermittenti, debili jam ægro lethale.*

Omne validum ſymptoma, quod ſuperveniat in febri continua, ægro jam debili exiſtente, lethale. Ex. gr. delyrium, convulſio, difficilis reſpiratio, ſi non videat, ſi non audiat, &c. Talis igitur rigor ſuperveniens fractis viribus, ſymptomaticus eſt, atque indicat naturam aggredi; ſed ſuperare non poſſe morbum.

Rigor itaque iſte, non ſolum ut ſignum malum eſt in tali febre continua, viribus jam fractis; ſed etiam malum eſt ratione cauſæ, quia ſcilicet magis naturam debilitate, & quaſsat.

Potiſſimum in ſenibus obſervavi, quod in febri, vel in morbo acuto ſuperveniens rigor, jam debilitatos interficit. Meus parens 63. ætatis ſuæ agens, febri quartana laborans, robuſtus incedens, deceptus à calore febrili, circa finem Aprilis mutat veſtes hyemales, in tericeam æſtivam, ſed frigido turbine ex improviſo exorto, corripitur pleuritide, quartana à ſuo motu non ceſsante ſua ſolita hora horripilationes excitabat. Fuitque notabile, quod in eadem hora in qua acceſsere horripilationes, tremens fatiſceſſit, à duobus malis, viribus fractis.

Hoc idem videre mihi contigit in duobus tertiana longa laborantibus ſenibus, in quibus tertiana jam facta fuerat continua; ſed dabat ſigna acceſſionis ſuæ factis horripilationibus. In quibus etiam, hora tertianæ ſolita revertentes horripilationes, animam efflare coegerunt, provt etiam prædixeram.

Nam præter ſtabilem mineram in uno loco intermittentem tertianam foventem, materia febrilis in venis magnis cordis, continuam febrem concitabat. Fiebatque horripilatio in eadem hora ſolita acceſſionis, aggrediente natura materiam in morbifica minera ſtabulante, eamque ſuperare impotente.

Hipp. 4. aph. 47. *Excretiones in febribus non intermittentibus lividæ, & ſanguinolentæ, & graveolentiæ, & biliosæ, omnes malæ ſunt. At probè ſeccedentes (nempè critice) bonæ ſunt.*

Excretiones igitur factæ in febribus non intermittentibus, quæ valdè diſtant à ſtatu ſanitatis, omnes malæ ſunt. Probè autem, ſeu commodè prodire dicuntur illæ, quæ cum præcedente coctione ſiunt, vel cum levamine, atque dolorem ſedant.

Hæc enim prava excrementa, aliquando judicant morbos ſi poſt coctionem appareant. Ideò in ſuperiori aphoriſmo 22. ait: *Si bilis atra ſurſum, vel deorſum prodierit, in principio morbi læthales;* inſinuare volens, quod ſi poſtea appareant, non ſemper ſunt læthales.

Probè igitur ſeccedentes ſcilicet juvantes, etiam ſi aliàs videantur pravæ, bonæ ſunt. Aliqua enim quæ bona eſse apparent, ſed re vera talia non ſunt, (quia ſunt ſine levamine) mala adjudicanda ſunt; facta ſcilicet per naturæ irritationem.

Hippocratis 4. aphor. 48. *In febribus non intermittentibus, ſi exteriora frigeant, interiora urantur, & ſitim habeant, læthale.*

Ardor partium internarum, cum externarum partium algore atque ſiti; Ingens incendium, internique viſceris inflammationem oſtendit. Dixit verò in febri non intermittente, quia in febri intermittente non eſset læthale; imò hoc fræquenter in principio paroxiſmorum contingere ſolet.

Imo quandoque in febri intermittente fit lypothimia, cum refrigeratione partium externarum, ex humoribus mordacibus, tunc ad os ventriculi impetum facientibus, & tamen læthalis affectus adjudicandus non eſt.

Hippocratis 4. aphoriſmo 49. *In febre non intermittente, ſi labium, vel ſupercilium, vel oculus, vel naſus pervertatur. Si non videat; ſi non audiat; jam debili corpore exiſtente; in propinquo mors eſt.*

Proſp. Martian. in com. ait: Expoſitores Galenum ſequuti, dictarum partium perverſiones ad convulſionem referunt, cum tamen ad reſſolutionem potiùs pertinere mihi videantur.

Convulſio enim in motu conſiſtere ſolet, in his verò immobilitas obſervatur. Tum quia convulſionis cauſa, ſin tam angusto loco cooptari non conſuevit, ut tenues tantum muſculi, & pars exigua convulſione tentetur.

A reſſolutione ergo potiùs dependet; quæ duplici ratione evenire ſolet. Vel ob exolutionem ſpirituum; vel ob ſpirituum animalium influxum interceptum. Interceptus quidem ſpirituum animalium influxus cognoſcitur ab aliis ſymptomatibus graviſſimis cerebri, quod eſt officina ſeri alb. & ſpirituum ſimul animalium.

Exolutio autem ſpiritus animalis contingit ab exolutione ſpiritus Vitalis, ob ingentes cordis motus, labores, in fermentationis opere, reſſoluto ſpiritu Vitali, ſimulque depravata maſſa ſang. quæ ſuppeditare debebat, probam materiam, ut inde probum confici poſſet ſerum alb. cum conjuge ſpiritu animali in cerebro.

Non negamus tamen, quod hæc etiam convulſivo modo in condictionibus juvenilis ætatis, temperamenti bilioſi, &c. contingere non poſſint.

Sed ſolumodò inſinuamus, quod rationabile potiùs eſt, iſthæc fieri paralytico modo, quam convulſivo. Convulſio enim potiùs excitari ſolet à vehementi ſpiritus actione, & vigente morbo. Sed exolutio fit potiùs à remiſſa jam ſpiritus actione, quæ ſupponitur (in ægro jam morti proximo, extincta fermè facultate, atque natura victa. Ideòque in omnibus fermè morituris, ex morbo cronico, poſtremis horis aliqua horum contingunt.

Hippocratis 4. aphor. 50. *In febre non intermittente difficultas reſpirandi, & delyrium, lethale.*

Delyrium cum ſpirandi difficultate copulatim eſſe debent ſimul cum febri acuta continua;

cuncenim indicatur, vel *inflammatum* esse septum transversum, vel aliam partem habentem consensum, cum partibus *spiritalibus*; ideoque respirationis difficultas *insurgit*. Tales igitur partes sunt hepar, pulmo, & partes thoracis, vel etiam oscu-lum supernum ventriculi, quod omninò contiguum est, imò annexum diaphragmati.

Non tamen quælibet dictarum partium inflammatio *delyrium* parit; sed quæ tantumodò magna *est*, & vehemens. Ideòque hæc duo symptomata unita, ad magnam tantùm inflammationem subsequi observantur. E contrà verò benè spirare, mente constare, ac benè se habere ad oblata, bonum signum est, non paruam vim ad salutem hæc habent.

Hipp. 4. aph. 51. *In febribus absessus, qui non soluuntur ad primas judicationes, morbi longitudinem ominantur.*

Sensus est, quòd absessus, qui primis diebus judicatoriis non soluunt febres, ex toto, vel magna ex parte, sunt acritici; ideòque morbi longitudinem ominantur; signum est enim ab ingenti copia materiæ morbosæ fieri; *quæ dum à facultate* regi non possit, necessariò morbus in longum tempus protrahi debet.

Nomine tamen absessus penes Hippocratem significatur quicumque naturæ motus, sive per effluxionem, & excretionem alicuius *humoris* molestantis. Sive per decubitum *ad aliquam* partem De utroque enim verificatur sententia.

Talis etenim motus, non potest esse criticus, quia sustulliset omninò febrem, quare debuit esse symptomaticus, vel medius, factus à causa morbi copiosa, viribus verò *debilibus existentibus*; a quibus necessariò morbi longitudo consurgit.

Hippocratis 4. aph 52. *Quicumque in febribus (vel etiam in quo vis morbo acuto cum febri) lachrymas voluntarias fundunt, nullum est inconveniens. Involuntariæ autem lachrymæ malæ.*

Naturales lachrymæ, quæ scilicet cum condictionibus naturalibus, & ex voluntate proveniunt, nil mali ominantur. Sunt enim cerebri, & oculorum affectiones; quæ solent indicare hominem benè mente constare, ac deplorare suas miserias. At involuntariæ lachrymæ præternaturales sunt, & insuetæ, ideò malæ in febribus seu morbis acutis.

Sed lachrymarum natura, intimiùs à nobis perpendenda est, etiam quoad animi affectus varios à quibus movetur Ira, dolore, amore extrema gaudii occupare gaudens. Singularis affectus, qui inter cætera animalia soli homini competit, non secùs ac risus; provt notavit Aristot. lib. de natur. animal.

Lachrymæ sunt pueris, & impotentibus inditæ à provida natura humano generi, ut ad sui status comiserationem, & auxilium homines, & Deum ipsum implorarent.

Quibus tamen abutuntur in aliorum perniciem subdulæ puellæ internum risum suum occultantes, monitu Ouidii lib. 2 de remed. Amor.

Neve puellarum lachrymis moveare caveto
Ut flerent oculos erudiere suos.

A variis itaque cordis motibus, spiritu impulsore existente, proveniunt lachrymæ, commoto cerebro, & excusso abeo tenuiore, aqueosiore lymphæ portione salibus admixta, quæ naturali cursu destinata erat ad oculos, oculorumque glandulas humidas servandas, & irrigandas.

Talisque *liquor* est lympha pedissequa seri albuginei, quæ per peculiarem ineffabilem spiritus motum, tempore illachrymationis per sua vasa lymphatica descendit, quæ *inibi* copiosa reperiuntur.

Pessimum igitur signum est, lachrymæ fluentes, involuntariæ in febribus, & in morbis acutis. Nam cerebrum malè affectum esse, serum alb. cum pedissequa lympha præternaturalem acorem, vel salinam condictionem irritatium adeptum esse significat.

Quare cessat spes, ut isti succi aquei, frigidi, mites, accurrere possint ad cordis, & massæ sang. incendium, saltem mitigandum. Nisi igitur criticè fluant, scilicet cum alijs salutaribus signis (provt quandòque in futura critica hemorhagia contingit) detestabiles, & veluti symptomaticæ reputandæ; quia magnam cerebri intemperiem, substantiæ, & liquorum ejus colliquationem; virtutisque imbecillitatem arguunt.

Hippoc. 1. aph. 53. *Quibus in febre circa dentes viscosa adnascuntur, his febres vehementiores fiunt.*

Habet lentor circa dentes duas præcipuas causas; magnum scilicet calorem, & materiam lymphaticam, ab eo incrassatam.

Lymphæ igitur, seu aquæ tenuiori parte resoluta, portio acidi crassi, præternaturalis seri alb. à calore loci ingenti, facilimè in substantiam viscosam incrassatur.

Quare suspicari rationabiliter debemus, quod etiam circa viscera, & ubicumque naturaliter affluit serum alb., cum pedissequa lympha, hoc modo præternaturaliter affectum, ne incrassetur; indè obstructiones, atque impedimenta spiritui, & massæ sanguineæ magis, magisque increscant, à quibus febris vehementia semper major, & major fiat.

Spiritus enim calorificus, simul cum massa sang. vbi circulando ad aliquam partem liberum transitum non adinvenit, arietat, calorem, & febrem majorem concitat; provt clarè patet in inflammationibus.

Quare nos dictum Hippocratis dilatamus; consideratione facta non solum circa dentes! (vbi prima initia jaceri solent) sed circa omnis oris, linguæ, & gutturis partes; in quibus pariter distribuuntur copiosa talia vasa lymphatica salivalia, hoc contingere dicentes; Et unum, & idem prognosticum esse de lympha scil. varia ratione incrassata circa dentes, linguam fauces, inviscantem, albidum colorem nigrum vel lividum cum ariditatem inducentem.

Hippocratis enim considerato hoc principio tacet augmentum, quod indicatur à febri vehementiori. Quare dixerit: *Quibus in febribus viscosa circa dentes inceperint, febrem in horas vehementiorem fieri significant.*

Quod si talia viscosa, ad alias etiam partes oris, & varia ratione alterentur, febrem adhuc vehementiorem fieri arguimus; habito respectu majoris, vel minoris gradus, incrassationis, vel combustionis factæ à calores prognosticum augendo, vel imminuendo.

Hippocratis 4. aph. 54. *Quibus diù tusses ficcæ, paululum irritantes, in febribus ardentibus fiunt, non admodum siticulosi sunt.*

Causam insinuat Hippocratis cur aliquando in febri ardente, sitis non correspondeat ardori, qui alias pathognomonicum signum est ejus.

Causa autem est, quia tusses universaliter, in febribus ardentibus concitatæ humectant os. Ideò enim fiunt tusses; quia descendit ad os irrigandum, serum alb., quod frigidum aqueum cum pedissequa lympha existens, ejus portio per laryngem ad trachearn irrigandam, non satis affluenter descendens in proportione ad ingentem siccitatem, à febri ardente, circa partis spiritalis introductam, à qua tussis sicca concitatur:

Parti-

Partibus itaque oris hoc modò humectatis, sitis imminuitur. Sitis enim, à siccitate dicitur. Dicit tamen Hippocratis *non admodum siticulosos fieri*, scilicet comparativè, & pro ratione febris.

Tales etenim febres, quæ junctam habent lenem quandam destillationem materiæ serosæ de capite, minus etiam vehementes esse solent, incendia enim, à decidentibus desuper aquis extingui, ne dum mitigari possunt.

Hipp. 4. aph. 55. *Ex bubonibus, febres omnes malæ, præter ephemeras.*

Ostendere vult Hippocratis, hoc satis notabili aphorismo, qui sint glandularum tumores benigni, & qui maligni. Nomine verò bubonis intelligit universaliter Hipp. quicumque tumor in inguine, sub axillis, vel vetrò aures, &c. quia per hos tumores, expurgari solet universum corpus; qui si fuerint boni, & critici, cessat febris.

Sed si cum bubone febris ingens vexet; signum est perfectam crisim factam non fuisse; sed adhuc copiosiorem materiæ portionem in vasibus cordis fermentescentem restitare; quæ febrem malam constituat.

Et tunc non est bubo, qui febrem causet, symptomaticam, vulgò appellatam; sed talis febris est essentialis, & per se stans quia mineram habet in vasibus magnis cordis, cujus tantumodò portio ad bubonem faciendum transmittitur. Id quòd potissimum circa parotides adamussim observare contingit.

Ita ut verum sit dictum Hipp. in hac parte, quod bubones omnes, qui cum febre acuta ingenti observantur, omnes maligni sunt.

Certum est interim, quod bubo semper critica transmissio est (perfecta vel imperfecta,) & quod impossibile est, quod sine præcedente materia prava in vasibus magnis contenta, irritante fermentante oriatur bubo.

Quare stultum est credere generari in illa parte materiam; deindè quandò sufficiens augmentum habuerit; tunc ut maturetur fermentationem concitare, & sic febrem, seu febrilem materiam cordi communicare.

Tunc enim certum est, quod febris symptomatica dicenda esset, & bubo non esset factus per decubitum. Sed res in contrarium evenit, nam materia prava, quæ in venis magnis molestabat, per decubitum ad locum glandulosum transmittitur. Atque (in hoc totus rei cardo consistit) facto hoc critico modo decubitu perfecto, vel imperfecto, verificatur dictum Hippoc.

Si etenim tota materia prava per decubitum circa locum glandulosum reposita fuerit, tunc febris essentialis & magnis stypata symptomatibus, remittit, & veluti aliam induit naturam, mitem, placidam quam Hippocratis. Ephemeram, præ sua miti natura appellat; quia est febris, veluti immaterialis, ex paucis tantumodò residuis materiæ pravæ in vasibus magnis, spiritum calorificum lacessentibus excitata.

Ideòque Hippocratis lib. 2. epid. sect. 3. detestatur bubones, *qui post febri facti, in progressu decrescunt, manente febri acuta* (seu sine maturatione) *decrescunt retrocedentes per viam, per quam facti fuerunt*, dum per venas circulantes reasorbetur materia.

Quos etiam tumores crudos adaperire docet *ne resforveantur*. Talesque comparere solent in febribus pestilentibus, vel malignis, vel saltem tabo Gallico inquinatis.

Sed nemo hanc infallibilem veritatem asequi poterit perfectè; nisi qui firmiter teneat febrem omnium naturam unicam esse, ideòque febrem bubonum à principio ad finem unicam esse; sed hæc à conditionibus variis, ephemeræ nomen, vel malæ, seu malignæ, & læthalis adipiscitur.

Hippoc. 4. aph. 56. *Febricitanti sudor supervenions, febre non remittente malum. Prorogatur enim morbus, & copiosam humiditatem significat.*

Loquitur Hippocratis de calido sudore potissimum, quia *frigidus sudor, cum acuta febre mortem, cum mitiori morbi longitudinem significare dixit superius aphorismo* 37. Sudor igitur calidus, cum acuta febre, si cætera non male habeant, longitudinem morbi significant.

Talisque sudor, *non solumodò ratione signi* malus adjudicandus est; sed etiam ratione causæ scilicet non solum naturam à multitudine materiæ esse aggravatam. Sed quia plurimo spiritu cum hac materiæ portione cruda, frigida exhalante, vires imminuuntur, & sic prorogatur concoctio.

Talis itaque materia solet esse frigida aquea, salina acida, seri alb. incrassati, simul cum pedisequa lympha; à quibus non sit mirum, si prorogetur morbus, ab *his enim mortificatur spiritus calorificus*, & bilis tenuis volatilitas incrassatur, ne possit citò resolvi, & febri terminum ponere.

Hippocratis 4. aphor. 57. *A convulsione, vel tetano detento, febris superveniens, solvit morbum.*

Certa res est, quòd sepè sepiùs morbus ab alio morbo tollitur. Sic febres ab ictero, vel doloribus in aliqua parte factis tolluntur. Sic paralysis tollit apoplexiam, &c. Febris pariter convulsioni, vel tetano adveniens, morbi causam auferens, remedium esse solet. Febris enim tunc contrarii rationem habet.

Sed notandum est, quod mens Hippocratis est loqui de *spasmo dicto, seu contractione illa facta circa principium* nervorum in collo, quæ proprio nomine appellatur tetanus 5. aph. 17. & 20. Qui advenire solet à causa frigida, humida replente nervosas partes circa collum, easque indurante, ac tendente, æqua omninò ratione, ut evenit in funibus à pluvia madefactis, quæ indurantur, ac tenduntur, *ideoque solet advenire itinerantibus, dum collum à nivis frigore, vel pluvia obsidetur.*

Et non loquitur Hippocratis de motibus convulsivis factis, potiùs factis ab exiccatione, vel ab insigni irritatione facta in partibus nervosis à febri (pro quibus deindè sanandis, mille phantasticas, & ridiculas chymeras, in scriptis veterum exaratas reperimus) scimus enim quod Hippocratis 2. aphor. 26. *febrem convulsioni supervenire approbavit*, non convulsionem febri. Tum aphorismo sequenti 66. & 67. *convulsiones febribus acutis supervenientes detestatus est*, potissimum 4. aph. 49.

E contra verò *calidum, tetanos, & convulsiones à causa frigida ortas, tollere docet* 5. aph. 22.

Nec non 5. aphor. 70. *A quartana capios superveniens convulsiones liberat*, quia causam frigidam febris tollit. Calor enim febrilis magnam vim habet attenuandi, incidendi resolvendi materias frigidas, nervosis partibus impactas, non verò materias biliosas.

Hipp. 4. aph. 58. *A febre ardente detento, rigore superveniente, solutio fit*

Rigor ab acri, calida exhalatione commota super partes sentientes excitari consuevit, & quandoque febres vehementes continuæ, facto rigore judicantur. Illæ potissimum in quibus bilis meracior est causa *febris* (ut in causone). Causon enim ferè semper, dato indicio rigoris judicatur, in die critica, vel indicat orta.

In

In alijs autem febribus Hippoc. 4. aph. 29. *Rigores sexta die detestatus est; sed in causone, quocumque die rigor superveniat, commendatur*, Tales enim rigores in alijs febribus acritici, atque difficulter judicantes reputantur. Imò superiùs aphorismo 46. *Si rigor superveniat; febre non deficiente, lethale* signum *esse* pronunciavit.

In causone itaque quoniam bilis agilima in toto corpore abundat, quandò fit rigor, per modum transmissionis substantiæ halituosæ, volatilis, motum bilis circa superficiem, seu circa paniculum carnosum fieri ostenditur, cum febris solutione, ut plurimùm sudorifera, materia tenui exalante.

In cæteris febribus, duplici modo rigor non judicatorius consequi potest.

Primò, quando materia frigida, simul cum bile peccat, cujus portio tenuior, in halitum soluta, versus superficiem moveatur, vbi rigorem facit; Reliqua verò portio major, in loco remanens accensa, est causa ut febris solutio, non subsequatur.

Secundò modo, humor in aliqua parte existens, *dum ad interiora convertitur*; seu dum alicui parti internæ insinuatur, potest rigorem excitare; provt experientia in principio inflammationum internarum ostendere solet.

A quo rigore tantum abest ut solvatur febris; ut potiùs longè major, & acutior euadat. Quod in causone evenire non potest; quia dum eadem materia bilioſa in toto corpore fervere suponimus, non potest in aliqua parte, inæqualem illum sensum caloris, & frigoris introducere, in quo essentia rigoris consistit.

Rigor ergo *in causone*, necessario humoris motum ad superficiem corporis præsuponit; ideòque febris solutio fieri solet. Nequaquam verò hoc in aliis febribus contingit; nisi signa præcedant coctionis, atque in die critica, rigor fiat, qui naturæ dominium, super materiam morbificam ostendat. Secùs pro symptomate, & præcone futuri majoris mali accipiatur.

Rigor autem febri ardenti adveniens, morbi causam victam, & jam per sudorem evacuandam significat, ideòque morbi solutionem promittit.

Supponit interim Hippocratis non adesse alia signa, neque symptomata mala, atque virium robur interesse, & circa diem criticam fieri.

Ut plurimum igitur futurum sudorem indicat; quandòque tamen vomitum, vel alvi fluorem criticum movit.

Observabile est etiam naturæ genium in causone. Gaudet enim ut medicus in febri ardente tantam gelidæ potionis copiam admittat, ut rigoris quandam speciem in ægro introducat, similem illi, quam juvenes, sani experiuntur tempore æstatis, qui post haustum frigidæ copiosum sentiunt, cum quodam levi rigore, æstum imminui, & per ambitum frigidiculum sudore moveri.

Hippocratis 4. aph. 59. *Tertiana exquisita, in septem circuitibus judicatur, cum longissima est.*

Exquisita tertiana Hippocratis est illa, quæ ab humore bilioso sincero, tenui, mobili, qui alteri frigido glutinoso sero alb. non admiscetur; sed suam naturam servat.

Hæc cum levioribus horripilationibus invadere solet. Calor ejus est quidem acris, & cum ingenti siti; sed accessio duodecim horas non transgreditur atque intermittens, ad integram infebricitationem devenire solet, cum sudore. Sine malis symptomatibus; benignus, levis morbus, causam tenuem, facilè removibilem habens; ideòque ad summum in 14. terminatur, scilicet in septimo paroxismo.

Nota verò tertiana dicitur, quæ à bile cum sero alb. frigido humore glutinoso (pituita Hippocratica) admixta provenit. Hæc longiorem accessionem habet, cum longo rigore incipiens. Neque exactè intermittens, ad longum tempus se se extendere consuevit, nempè vltrà decimaquartam diem.

Hippocratis 4. aph. 60. *Quibus in febribus aures obsurduerunt, his sanguis ex naribus fluens, vel alvus exturbata, morbum solvit.*

Surditas de qua loquitur Hippocratis non debet esse à longo tempore, & confirmata, à causa frigida, sed debet fieri in febribus, ex raptu humorum tenuium ad caput.

Hæc itaque surditas, vel critica est, vel symptomatica. Utroque modo fit à massa sang. copiosa bile referta, ad caput elevata.

Per talem igitur hemorhagiam factam, materia peccans evacuabitur. Vel per consuetas vias hepatis cholidocas massa sang. deonerabitur à bile per intestina, facto alvi fluore bilioso, & sic surditas solvetur, vel proxima derivatione facta, vel procul facta revulsione.

Hinc est, quòd tali surditate in febri apparente, licet medico tentare solutionem, sive per emissionem sanguinis per nares, sive per medicamentum, quod bilem per alvum ducat.

Notandum tamen est, quòd hæc surditas in febribus, aliquandò simpliciter sanguinis à naribus futuram profusionem inducat, aliquibus alijs symptomatibus concomitata. Aliquando parotidem, quando hæc critica futura est. Sed quando est symptomatica, delyrium, vel affectum soporiferum portendit; de qua re suo loco verba fecimus, &c.

Interim observamus quod quandoque solvuntur etiam tales surditates per decubitum factum ad partes inferiores, & earum artus, vel facto absessu.

Hippocrates 4. aph. 61. *Febricitanti, nisi in diebus imparibus dimiseris febris, reverti solet.*

Experientia ostendit, quod morbi omnes acuti (scilicet à febri dependentes) in diebus imparibus solvuntur. Hujusque ratio est, motus naturalis bilis, quæ de tertio in tertium movetur; provt clarè constat ex motu facto in febribus tertianis, sive simplicibus, sive duplicibus.

Quia verò quidquid movetur, necessario ab alio moveri debet; certum & infallibile est, quod à spiritu nostro sensitivo, unico movente humorum, moveri debet bilis à minera, in qua disposita, & cumulata fuerat.

Deinde certum quoque esse debet, quòd spiritus noster sensitivus moveri debet à spiritu astrali, seu à cœlesti influentia; quia commensuratus motus est, & regularis, & per consequens, solo motu cœli, & astrorum (non à Casu, vel à stulta indeterminata mensura) regulari potest.

Motus autem astrorum ab Angelo movetur. Angelus autem movet, juxta Ideam & exemplar conspectum in mente Verbi Dei, à quo, per quem, & in quo omnia sunt, fiunt, & conservantur; primus motor, omnia movens existens.

Contrariumque dicere, & quod dentur in sublunaribus motus incerti, à Fato stulto, & incerta Fortuna venientes, pessimum, & hereticale blasphema est; provt in nostris libris physicis de motu ostendimus, divinam Ideam, conceptum Platonis commentantes.

His igitur stantibus, ex diebus observabilibus in acutis, alij sunt verè pares, alij impares, alij medij inter hos.

Pares

Pares absolutè sunt 2. 6. 8. 10. 18. 22. Impares absolutè sunt 3. 5. 7. 9. 11. 17. 21. Dies verò medii, qui de utriusque natura participant, sunt 4. 14. 20. 40. qui ratione quidem numeri, verè pares sunt; sed ratione septimanæ, impares dici debent; secunda etenim septimana, incipit a die octava.

Septimanæ autem regulantur a Luna astris configurata; quæ aliquando aliquot *horis* motum anticipitat, & mensuram excedit; aliquando postponit, & retardat; pro quo certo *indicio* ferendo plurimum inservire poterit commentum nostrum supra doctrinam Galeni de diebus criticis.

Hippocrates igitur hoc loco de paribus diebus absolutè intelligit, & non de his, qui sub paribus continentur. Dies autem critici, absolutè debent esse impares, vel ratione numeri. Vel ratione septimanæ, prout docuit in 2. aph. 24.

Sed quandò non a prædominio bilis; sed pituitæ movetur spiritus (ut fit in quartanis) tunc dies pares fiunt critici; sed tunc affectus non meretur nomen acuti, de quo hoc loco intelligit Hippocrates.

Et tunc quoque imparibus diebus crises contingere absurdum non est; quia in illis diebus, in quibus humor moveri solet, in illis pariter, & non in aliis debent crises fieri; ut benè docuit Hippocrates in primo epid.

Sed quia fermè omnes morbi qui judicantur paribus diebus sunt difficilis, & non perfecti judicii, ideo recidivare solent in diebus quoque paribus, in quibus naturaliter movetur pituita cum mulo tardigrado melancolico, agasone existente Saturno.

Sic in *Lariſſa virginibus die ſanguis per nares largiter effluxit ſalubriter &c.* Valesius tamen rigorosè vult Hippocratem esse interpretandum, ita ut nisi in diebus judicatoriis febris reliquerit, reverti debeat. Sed tamen Hippocrates. 3. prognost. hunc aphorismum ampliorem facit, dicens: *Febres quæ neque in diebus judicatoriis neque cum ſignis decretoriis receſſerunt, revertuntur ſolent.*

Hippocrates 4. aph. 62. *Quibus in febre morbus regius ſupervenit ante diem ſeptimum, malus eſt; niſi confluxus humorum per alvum fiat.*

Non solùm uterus; sed quicumque decubitus facti fuerint ante diem septimum, mali adjudicandi sunt, veluti facti per vim ab irritata natura, ante diem criticum, seu ante perfectam maturationem, quæ tamen fluente alvo, non est opus, ut expectetur.

Cruda namque excrementa per alvum fluere (& potissimùm biliosa, quibus circà duodenum naturalis via aperta est) semper commodum est, & semper veluti via regia, & ampla, a natura parata proftat.

Ideoque observamus frequentes fieri diarheas, superabundante acri materia biliosa, inservientibus intestinis, pro canali excretorio, nulla expectata maturatione.

Decubitus itaque qui non judicant, sunt mali, ergo interus ante septimum diem malus est. Quod autem uterus sit decubitus quidam, seu recessus materiæ infestatis partes internas, factus ad ambitum, seu ad cutem; oculis ipsis patet.

Sed si fiat ante septimum diem, habet rationem motus symptomatici, facti a materia cruda, immatura, & irritante; in die non legitimo, & critico, in quo perfecta maturatio speranda est.

Talis igitur uterus ratione signi semper malus est, at ratione causæ non semper malus est; aliquando enim ante diem septimum bonum esse uterum Hippocratis docuit, si vigor præcesserit tunc enim robur naturæ expellentis a partis internis, ad externas significatur 6. epid.

Quando verò in 4. aph. 36. docuit, quòd *ſudor (vel etiam conſimiles morbi) eſt bonus tertia, & quinta die &c.* ideò bonus *dicendus* est, quia saltem evacuat, & imminuit copiam materiæ, adeò ut perfectam postmodum crisim sperare *possimus* in die septimo.

Verumtamen uterus fieri *solet* per imperfectum decubitum, mota tantummodò portione materiæ irritantis, de loco ad locum, sine evacuatione.

Quare a tali utero, seu materia cruda, ad partes externas transmissa, vix bonum quid sperare poterimus; Imò timere rationabile est, ne fiat cachexia, quæ deindè ducat ad hydropem.

Sic pariter lib. de judicationibus Hippocratis, *icterum cum ſingulis quinta die advenientem, lethalem pronunciavit*; quoniam fieri consuevit cum jecoris inflammatione ingenti, ob copiam bilis stagnantis.

Indè ratio deducitur, & concludimus quod in febre icterus quocumque die superveniat, modò bilis in vasibus suis colidocis non detineatur, sed liberè fluere ad alvum possit, detestandus non est.

Hippocrates 4. aph. 63. *Quibus in febribus quotidie rigores fiunt; quotidie febres ſolvuntur.*

Rigores propriè dicti, distinguuntur ab horrore, & refrigeratione, quæ febres periodicas præcedere solet.

Atque febres illæ, quas Galeneci appellant Hemitritei (putantes quod ex diversæ materiæ concursu constituatur hermaphroditica febris duplicis naturæ; quotidianæ scilicet a pituita, & tertiæ a bile) habent hoc quod ad intermissionem non deveniunt, præterea neque quotidie rigores habent: ideò sub hac sententia non comprehenduntur.

Excluduntur pariter aliæ febres quæcumque tertiæ quartanæ continuæ, quæ quotidiè incertis temporibus exacerbari videntur. Quare præsens sententia verificatur solummodò de illis febribus, quæ singulo die, eadem fermè ratione cum rigore invadunt; quas propriè duas tertias esse dicimus.

Ratio autem est, quia quando rigor fit quotidie, signum est accessionem tam unius, quam sequentis diei, ab eadem materia biliosa, uniformiter mota dependere, licet a duplici minera, ad easdem partes sentientes deferatur; quare pariter æqua ratione febrem ad intermissionem devenire, necesse est.

Quando autem uno die febris cum rigore, altero die sine rigore, vel cum horrore invadit; signum est materiam esse diversam, locum diversum, & vias diversas, quales tales febres, non est necesse ut solvantur quotidiè.

Medicus igitur, ex rigore quotidiano, quotidianam quoque febris solutionem arguere potest. Nam sicuti in continua, & ardente febre, superiùs docuit Hippocrates, quod *rigor comparens*; *ſolutionem morbi adducit*. Sic in intermittente rigor particularem accessionem, seu saltem partem morbi solvendam esse ostendit.

Rigor itaque indicat materiam febris esse bilem tenuem, ac fermè sinceram, mobilem, non admodum crassam neque commixtam cum sero alb. acido incrassato, quod est causa horroris, atque refrigerationis intensæ; tum prorogationis paroxismi febrilis, imò totius febris.

Hinc experientia ostendit, quod post hunc quotidianum rigorem, aliquis sudor, vel aliqua alia evacuatio a tali materia tenui, mobili fieri consuevit; nisi fortè committatur aliquis error in victa.

Vel si quandoque post *istum* rigorem febris non solvatur, culpanda est virium notabilis imbecillitas ratione ex. gr. ætatis, temperamenti, & conditionum &c. vel latens aliqua malignitas.

Debet verò rigor esse ordinatus; *inordinatus* enim non necessariò febrem solvit. Sic observamus passim in Epid. multos rigoribus correptos sine febris solutione, quia inordinatè advenerant &c.

Hippo-

Hippocrates 4. aph. 64. *Quibus in febribus die septima vel nona, vel undecima vel quarta decima icterus supervenerit, bonum est, nisi dextrum hypocondrium durum sit, alioquin non bonum.*

Est aphorismus iste, veluti continuatio aphorismi præcedentis 62. Scilicet sicut icterus in febre ante diem septimum malum est; ita factus in die septima nona undecima, quarta decima bonum est. Et ratio est; quia isti dies omnes, habent tacitam quandam rationem septimi.

Diximus enim superiùs, quod natura bilis est moveri de tertio in tertium, & hanc esse veram causam cur in diebus imparibus judicentur morbi acuti in tertia quinta septima nona 11. &c. Ita ut motus bilis ad expulsionem imperfectam prima die incipiens, potest perfici in tertia atque terminari; sicuti evenit frequenter in Sinoca.

Motus bilis ad expulsionem imperfectam, tertia die incipiens, potest in nona (quæ est septima a die 3o. perfici. Motus bilis ad expulsionem imperfectam quinta die incipiens, potest in undecima, (quæ est septima a die quinta) perfici.

Restant *solummodò dubium de die 14.* quomodo possit dici impar dies, in quo bilis moveatur; Dubii tamen solutio habetur a Hippocrate 2. aph. 24. qui expressis verbis docuit, quod *secunda septimana incipit numerari, à die octavo.* Qua ratione dies quartodecimus numeratur pro septimo.

Rationabile est igitur quòd in dictis diebus destinatis motui bilis, incipiant ejus maturationes, præparationes, atque concoctiones, quæ deindè perficiantur in septima.

Icterus itaque prædictis diebus adveniens, sine duritie hyppocondrii, criticus esse solet, tum rectè, & secundum naturam, bilem peccantem moveri signum est.

Mollities quoque hypocondrii dexteri, robur jecoris non impediti præmonstrat, neque obstructi, neque inflammati; ideòque motum bilis criticum, & salutarem non impedire valet.

Si enim dexterum hypocondrium durum fiat, tunc indicatur crisim imperfectam factam fuisse, præ jecoris impedimentis, obstructione, ac tumore.

Nam licet fieret morbus, per hunc criticum decubitum, remanente duritie hypocondrii sive dexteri, sive sinistri, timor semper restat, ne fiat cachexia, inde hydrops. At hydropes factos post acutos morbos; pessimos, & lethales esse observavit Hippocrates in lib. progn., & potissimùm indurato hepate.

Cæterùm lib. de Judicati Hippocrates observavit, quod *ubi in febre ardente icterus accedit, illi non solent amplius exudare*, quia nempè bilis fuit incrassata, a mixtura seri alb. acidi, quare non est ampliùs facilis resolutionis, neque evacuationis per sudorem, sed heret, veluti ligata in ambitu.

Admirabile hoc vinculum bilis, quod ab antigonista sero alb. contrariæ naturæ provenit, est vera causa admirabilium phænomenum, ac mutationum in febribus. Et nisi principia nostra de sero alb., ejus ortum, naturam, vasa excretoria in lib. instit. med. rec. lustraverit, impossibile erit exactam symptomatum febris notitiam habere.

Hippocrates 4. aph. 65. *In febribus circa ventrem æstus vehemens, & oris ventriculi dolor (cardiagmos.) malum.*

Quòd bilis ad os ventriculi confluat, & etiam ibi dolores, atque molestias efficiat; dummodò nullo alio affectu ventriculus infestetur, non est admodum malum (Hoc enim symptoma familiare in tertiis salutaribus, sepissimè observabile est, etiam cum nausea, subversione, & vomitu) quoniam bilis naturalis via est, exonerari circa intestinum duodenum, inde brevi via ad stomachum assurgere, ut per superiora; vel inferiora, cum aliis in stomacho repertis deiciatur.

Sed tunc bilis stomacho infensissima est, quando non per talem portam, & viam ordinariam, veluti amica ad stomachum properat; Sed veluti fur tentat perfodere ventriculum. Scilicet dum inter tunicas, per vasa ejus inseritur, & effectum inflammatorium constituit, à quo cardiogmos excitatur ichore acri bilis, ad os ventriculi confluente.

Hoc autem cognosci potest ex febre, quæ vehemens esse solet, & inflammatoria, cum vehementi viscerum æstu.

Bilis enim quæ per consuetam viam ad ventriculum confluit; magnum hunc æstum inducere non consuevit. Neque quantumvis acris, in loco aperto & non concluso incalescens, poterit vehementem, ac violentum æstum concitare; ut facit piirius pulvis, vel alius spiritus in angusto loco.

Quare concludimus, quòd in febri cardiogmos, cum partibus circa ventriculum admodum incalescentibus, signum est inflammationis, vel saltem phlogosis ventriculi; quare talis æger malè se habet.

Notandum tamen est, quod hæc duo symptomata criticè aliquando advenire possunt, & cum bono exitu; sed tunc bona signa præcedere solent; neque perseverando diù durant; sicut bilis jam infixa in tunicis ventriculi.

Qua de causa universaliter omnem anxietudinem sine vomitu damnavit Hippocrates, quia bilis in tunicis infixa, non ita facilè educi potest, neque extra stomachum feri, ut expurgetur.

Hippocrates 4. aph. 66. *In febribus acutis, convulsiones, & circa viscera dolores vehementes, malum.*

Convulsio igitur, & circa viscera vehemens dolor, in acute febri, magnum morbum arguunt, nam viscus aliquod valdè ægrotare, & simul cerebrum compati ominatur.

Talis igitur febris acuta, per duo hæc læthalia symptomata indicare solet ingentem inflammationem subesse: Si potissimùm statim a principio hæc fiant.

Imò si post aliquod tempus per decubitum ad viscera hæc duo symptomata fiant, adhuc pejus est, viribus jam prostratis.

Convulsio autem quæcumque graviter cerebrum, & partes nervosas quatit. Dolor autem vehemens circa viscera, inflammationem, vel intemperiem validam arguit; ad quam ut plurimùm abscessum subsequi, & indipus fieri consuevit; prout Hip. 7. aph. 22. *a doloribus circa ventrem pus frequenter fieri observavit.*

Hippocrates 4. aph. 67. *In febribus ex somno pavores, vel convulsiones, malum.*

In his fermè omnibus aphorismis, intelligit Hippocrate hæc symptomata contingere cum febri acuta.

Pavor igitur, vel convulsio per somnum facta, gravem cerebri affectionem arguit; ideoque mala. Indicatur enim malignum insidiantem cerebro humorem ascendisse ad caput, gravem in cerebro affectionem facturum.

Tales convulsiones, & pavores per somnum pueris potissimùm familiares sunt, ob lactis corruptionem. Vel ob corruptionem verminosam in visceribus.

Vel concepta aliqua acidiuscula acredine in substantia dulci, molli cerebri a succo nervoso, seu a sero alb. (quod naturaliter dulce deberet esse) propter quam principium nervorum imitatur ad contractiones, seu motus convulsivos inter dormiendum.

Vel etiam conceptis horrificis fantasmatibus à veneficis, malignis evaporationibus a visceribus meteorizantibus, a quibus horrifica idola in phantasia, præci-

præcipitia, pavores, ac timores ſuſcitantur.

Non negamus tamen quod hæc quoque adultis inter dormiendum quandoque contingunt, qui cerebro calido, & humido gaudent; quos Galenus habere interuptos, phantaſmatibus plenos ſomnos habere obſervavit.

Quando igitur in acuta febre *hæc* accidunt, mala ſunt dupliciter. Primò *quia* accidunt eo tempore, quo æger quieſcere deberet, & quietem interturbant. Secundo quia exhalatione parentes elevari argnimuſa materia prava hoſtili, quæ febrem concitat.

In Coacis autem obſervavit Hippocrates, quòd *concutiuntur, & timent homines ſani inter dormiendum dum bilis per carotides ad cerebrum aſcendit*. Sed talis turbuleatus motus citò ceſſat, & evigilante homine, ac reſtitutâ naturalis ſanguinis circulatione, quieſcunt omnia, corde pacificato.

Hippocrates 4 aph. 68. *In febribus ſpiritus offendens, malum. Convulſionem enim ſignificat.*

Prof. Martianus in comentario ait: Spiritum offendentem appellat Hippocrates eum qui in inſpirur tione intercipitur, ſeu ille, qui dum pectus dilatata in medio motu quieſcit, & veluti novum inſultum natura facere cogitur.

Tale reſpirationis genus, pueris lugentibus familiare eſt, quoniam inſtrumenta reſpirationi inſervientia, ſicuti etiam alia omnia, ad animalem facultatem pertinentia imbecillima habent.

Pectoris autem dilatatio a muſculis dependet, qui benè, & naturaliter ſe habentes, pectus æqualiter, & quantum opus eſt, ad voluntatis, & naturæ indigentis imperium attollunt, ac dilatant.

Si igitur motus iſte interrumpatur invitò, cauſa referenda eſt, in principium quodam convulſionis, ſeu potiùs motus convulſivi, cui paulò poſt perfecta convulſio ſubſequetur.

Tale itaque ſymptoma, affine eſt ſingultui, facto a ventriculo, ita ut dici poſſit ſingultus pectoris, uterque *enim præcipuè a diaphragmate procedit*, pro ut ſuo loco oſtendi, capite de ſingultu.

In febribus igitur acutis, ſpiritus offendens conſequi ſolet ſiccitatem in partibus ſpiritalibus a febri introductam.

Maximi autem momenti ſemper exiſtimavit Hip. bonam reſpirationem factam in acutis, atque plurimùm confert ad ſalutem, vel mortem, firmioreſque enim, & pauciores fieri debent reſpirationes, quam pulſus, magiſque obſervabiles ſunt, ad rectè, & naturaliter procedant.

Hippocrates 4. aph. 69. *Quibus urinæ craſſæ, grumoſæ paucæ (in febribus acutis) copia ex hi ſuccedens tenuis, juvat. Tales autem maximè prodeunt, quibus ab initio, vel brevi, ſubſidentiam (hypoſtaſim) continent.*

Proſp. Mart. in com. ait: Urinæ a principio tenues, quando natura materiæ morbificæ concotionem aggreditur, paulatim craſſeſcere incipiunt. Nam ſicuti tenuitas cruditatis; ita craſſities coctionis eſt argumentum.

Tenuitas autem urinarum, ſemper cruditatem atteſtatur, non tamen quælibet craſſities coctionem ſignificat. Aliquando enim urina craſſa, eſt pejor tenui, atque a concoctione remotior.

Cujus naturæ eſt ea, quam in præſenti aphoriſmo Hippocrates craſſam, grumoſamque vocat. Hæc enim magnam humorum perturbationem, cum ingenti fervore ominatur, quem grumeſcentia teſtatur.

Grumoſa namque urina eſt ea, in cujus fundo corpuſcula quædam craſſiora polentæ ad inſtar continentur (quæ ſunt portiones ſeri alb. acorem adepti, & per caloris vehementiam incraſſati, atque in formam pultis coacti)

Dixit Hippocrates paucas, ut omnem excretionis ſalutaris ſpem tolleret; *nihil* enim paucum, poteſt eſſe criticum.

Talis ergo urina craſſa, ab ea quæ per concoctionem talis facta eſt, in tribus diſcriminatur.

Primo quia a morbi principio aparet, neque tenuis præceſſit.

Secundo, quia ſedimentum habet inæquale, grumoſum; Concocta verò urina, habet æquale, & leve.

Tertio, quia urina concocta, copioſa mingitur, vel ſaltem in quantitate mediocri. Hæc verò pauca ſupponitur.

Si ergo hæ urinæ ſunt malæ, quia craſſæ ſunt, & paucæ; ut ad bonas accedant, tenuiores, & copioſiores fieri neceſſe eſt; Sic enim fervorem internum, & humorum perturbationem remitti, indicabunt; ſolo earum vitio ad ſimplicem cruditatem redacto.

Copioſæ tamen prodire debent; ſæpè enim urinæ craſſæ in tenues mutantur, morbo interim in pejus ruente; quia ſcilicet humores in venis conturbati, in aliquod viſcus confluunt, & congregantur; tunc enim urinæ attenuantur, *quia nihil materiæ morbificæ*, cum eis excernitur, quod craſſitudinem faciat.

Idque potiſſimùm ex eo cognoſcitur quia tenues ſimul, & paucæ minguntur. Si enim copioſæ eſſent culpari poſſet, quod tenuitas, a copia contingat, & quod humores, qui mediocrem craſſitudinem urinæ præſtare potuiſſent, ſint tenues.

Si in mediocri quantitate excreta fuiſſet, adeò craſſeſieri non potuiſſet. Et hoc pacto tenuis copioſa urina, media quodammodo eſt, inter exactè crudam (quæ ex Hippocrate 1. epid. ſect. 2. *dolores, diuturnitatem, mortem, vel recidivum eminari ſolet*) & optimam, quæ ſecuritatem, & celeritatem judicationis præoſtendit.

Ideoque Hippocrates *in aphoriſmo erit, hujuſmodi urinarum mutationem*, non morbi mutationem aſſere, ſed tantummodo prodeſſe.

Et hoc ſumma quidem ratione; quia ſicuti perſeverante humorum agitatione; atque interno fervore, impoſſibile eſt aliquam concoctionem fieri (quæ in mutua attemperatione conſiſtit, & quiete perficitur) *ita his ſedatis, concoctio quædam ſperari poteſt, quæ morbo finem imponat.*

Hæc autem ſedari debere indicabuntur, a ſedimento, quod non longè poſtea in urina apparebit. Ideò Hippocrates in fine ſubiungit: *Tales maximè prodeſſunt, quibus ab initio, vel brevi hypoſtaſim continebunt. Quæ ſubſidentia*, ſeu hypoſtaſis naturæ dominium ſupra materiam morbificam ominatur; ſcilicet probum ſpermaticorum membrorum nutritionem, hypoſtaſis enim nihil aliud eſt, niſi quod reſiduum eſt a membrorum nutritione incraſſatum ſemen alb. album.

Hippocrates 4. aph. 70. *Quibus in febribus urinæ conturbatæ, quales jumentorum, his capitis dolores adſunt, vel aderunt.*

Urina conturbata qualis jumentorum, magnam confuſionem humorum in venis ſignificare ſolet, ideoque capitis dolorem præſentem, vel futurum præmonſtrat.

Urina itaque jumentorum ſimilis dicitur illa, quæ albedinem cum craſſitie habet, & non clareſcit; taliſque a parere ſolet in magnis capitis affectibus ex. grat. in phrenitide, læthargo &c. Ideoque ſcripſit, Hippocrates lib. 7. epid. *urinas denſas, & conturbatas, certum ſignum eſſe capitis doloris, eandem convulſionis, & mortis.*

Tunc enim capitis dolor præcedere ſolet, indè ſubſequitur convulſio, cum jam deſperata res eſt.

Solet etiam hæc aparere *in* peſtilentibus, vel

mali-

malignis febribus, venenum sapientibus.

Cujus quidem ratio est, quia tunc ingentem confusionem, & turbationem in massa sanguinea introductam esse significat; adeò ut spiritus fermentator non possit eam regulare, sicut faciebat tempore sanitatis, quando sanguinis, & chyli excrementa, ad sua naturalia incernicula deponere poterat scilicet materiam lymphaticam, culinarum lotricem, urinosam ad renes, ichorem biliosum, & fellerum ad hepar, incrassatum acidum serum alb. frigidum aquium ad Cienem; ut per hæc naturalia singulis emunctoria expurgarentur.

Si igitur contingat, ut data occasione fermentationis febrilis, simul triumviratus liquor massam sanguineam constituentium, in vasibus magnis cordis confundantur, tunc cum fluida lymphatica parte aquosa simul liquores confusi, & mixti ad renes feruntur.

Inter quos liquores potissimùm fit albedine conspicuum serum alb. corruptum, admixtum, quod est vera, & legitima causa illius crassæ albedinis, subjugalis dictæ.

Cujus rei certum experimentum hoc modo collegi. *Accepi urinam hominis sani, atque ignem posui*, ut benè incalesceret, non tamen ebulliret; deindè accepi cocleare unum, vel alterum seri alb. (quod post venæ sectionem cujusdam supernatabat cruori in matula, forma aquæ) quo instillato, magis vel minus urina fiebat magis, vel minus crassa, magis vel minus alba, ita ut exactè *jumentorum* urinam æmularetur.

Quare hoc valdè considerabile in febribus esse conjici, quod urinarum hæc confusio ideò pessima adjudicanda est; quia varium summam prostrationem præsentem, vel futuram denunciat.

Dum enim trium viratus massæ sanguineæ (cruor, serum alb. & lympha) simul confusi sunt, & commixti, necessaria membrorum nutritio, & facultas naturalis necessariò concidere debet, & sic vita, quæ sine nutritionis assidua restauratione esse non potest, deficere cogitur,

Certa autem res est, in nostris instit. méd. ref. probata, quod nutritio, & restauratio partium albarum spermaticarum nervosarum (in quibus vires nostræ consistunt) corrupto jam sero alb. perit, neque amplius celebrari potest.

Imminens ergo exitium, significant urinæ istæ jumentorum, diu perseverantes (nisi citò a spiritu fermentatore excrementa ante dicta, ad sua singula emunctoria relegentur, & excernantur) quia tunc ipes omnis adimitur, quod febriles succi, possint a blanda, mulierosa, dulci natura, ac mixtura seri alb. demulceri, attemperari, concoqui.

Omnis enim attemperatio, & concoctio acrium, & præternaturalium liquorum, dependet a valido spiritu non solùm; sed a mixtura seri alb. mitis, dulcis (prout passim in praxi nostra, tum in chyrurgia, capite de confectione puris ostendimus) quæ sero alb. acido, incrassato, corrupto existente, sperari non potest.

Certum quoque indicium sunt, hæ ruinæ subiugales Hippocrates, cephalalgiæ præsentis, vel futuræ non solum; sed delirii, affectuum somnolentorum capitis.

Et ratio est, quia valdè contra minato sero alb. in magnis vasibus cordis, impossibile est, ut non contaminetur etiam serum alb. in cerebro, vel contaminatum non sit; indè necesse est, ut manifestentur symptomata læthalia cerebri.

Urina igitur turbata mustum confusum ex multis naturis, crudum, indigestum representat. Habentur vero passim ab Hippocrate exempla urinæ turbatæ, in quibus semper capitis læthalia symptomata manifestata sunt, corruptionem seri alb. testantia.

S. c in 7. epid. *in Evalcide famula cum multo tempore urinæ turbidæ prodiissent, phrænetica mortua est. Alios verò delirantes, somnitulosos obiisse reperies.*

Notandum tamen est, quod urina turbata quandoque exit; sed post modicum tempus clarescit; & tunc minus malum est; neque necesse est, ut fiant capitis affectus &c.

Sed Hippocrates hoc aphorismo intelligit de urinis turbatis perseverantibus, quæ præsentis, vel futuros cerebri affectus ominantur.

Quando igitur præ magna turbatione, quæ fit in crisi urinæ turbatæ dejiciuntur, non sunt adeò formidandæ si paulò post clarescant, & reliqua signa salutaria compareant.

Circumspicere etiam oportet, an fiant tales a causa externa accidentali; vel a vitio renum vesicæ, vel alio, per ulcera enim purulenta quandoque urinæ tales fiunt.

Urina etiam quandoque dejicitur clara, sed posita turbatur; quod tamen contingit a frigore externo, a quo variæ particulæ quæ erant attenuatæ a calore, & simul confusæ, ideoque de se indicium non præbebant; A frigore postmodum incrassatæ, ramosæ factæ, invicem jam complicatæ manifestantur; ideoque si iterum ad ignis calorem ponantur, attenuantur, & charescunt; indè sepè initium concoctionis humorum arguimus, & quod bona copia materiæ peccantis, per urinam expurgetur, quæ est causa, ut tales urinæ crassæ comparverint.

Sed quia invaluit penes Neotericos opinio sequentes Willisium, quod tales urinæ conturbatæ, subiugales, proveniant a succo nutritio ab eo dicto, quod nihil aliud est quam chylus; ideò reliquum nobis erit, ut ostendamus clarè, quod lis nostra versatur circa nomina varia.

Certa namque res est, quod chylus ex triplici substantia constat, quæ simul ac pervenerit ad vivificum fermentum cordis in partes suas seccedit (veluti lac per coagulum in loco calido) atque pars terrestrior crassior, abit in cruorem, pars butyrosior tenuior, abit in serum alb. pars aquosior, & veluti amborum vehiculum, seccedit in serum urinosum; hæc tria postmodum habent sua peculiaria incernicula &c.

Observamus igitur, quod chylus statim mutat naturam, & non amplius chylus, sed ex. gr. serum alb. propriè dici promeretur, (quod est illud decantatum a Vvillisio pro succo nutritio, seu chylo) & sic sufficere debet nobis ad ostendendum, quod chylus non est ille qui urinam turbare possit; sed solummodò serum alb. quod ex chylo ortum duxit; & destinatum erat pro succo nutritio spermaticorum omnium membrorum.

Quod autem tale serum alb. corruptum, simul cum peditequa lympha, seu sero urinoso ad renes indè ad vesicam ferantur, ad urinam turbandam, & non cruor; causa est mecanica structura vasorum renum, quæ cruori negant ingressum, sed sero urinoso cum comite sero alb. aqueo additum præbet; ideò nisi in statu morboso, urinæ cruentæ conspiciuntur.

Hippocrates 4. aph. 71. *Quibus septima die crisis fit; iis nubecula rubra 4. die in urina apparet, & alia secundum rationem.*

Prosequitur Hippocrates loqui de morbis acutis, seu ab acuta febri dependentibus, quorum tempus proprium in quo signa coctionis apparent, dicit esse diem quartum. Tempus verò crisis eorumdem esse diem septimum.

Id vero quod de urinæ nubecula dicitur, in universis excretionibus, dici potest, nam quarta die indicia crisis in septima pramonstrat.

Quibus igitur die septima futura est crisis bona,

die

die 4. urina rubram habebit nubeculam,& alia ſecundum rationem &c. nam concoctio debet præcedere criſim.

Primò namque natura concoquit, deindè ſeparat, demùm expellit. Concoctio autem non fit ſubito, ſed paulatim, ideoque in 4. die, aliquod concoctionis ſignum in urina apparebit, quod perfectam criſim in 7. futuram indicet, qualis eſt nubecula rubra.

Notandum tamen eſt, quòd nomen *Eritron*, ſeu rubrum, non eſt intelligendum ſanguineum, eſſet enim coruus albus in urinis; ſed quòd ad aparentium rubrum ſit. Sicuti ad aparentiam dicimus mare Eritreum rubrum eſſe; vel mare nigrum &c. cum tamen horum aquæ realiter albicant.

Sic etiam urina rubra craſſa, efficit ut ad aparentiam nubecula rubra compareat, non quod rubra ſit.

Notandum eſt quod Hip. id quod dicit de prima ſeptimana, idem intelligit de aliis ſeptimanis; nam ubi 4. die aparent ſigna coctionis, die ſeptima morbus iudicatur. Vbi die undecima aparent morbus iudicatur in decimaquarta. Vbi die decima ſeptima morbus in 20. indicatur.

Hip. 4. aph. 71. *Pellucidæ autem albæ urinæ, malæ ſunt, maximè in phrænenticis.*

Continuatio præcedentis aphoriſmi eſt hæc ſententia; poſtquam enim urinam cum nubecula rubra commendavit, veluti principium coctionis. Nunc oppoſitam urinam pellucidam, diaphanam, albam, & per conſequens ſine ulla nubecula, quacumque die deteſtatur, potiſſimùm in febribus cum phrænitide.

Signum eſt enim partem craſſiorem maſſæ ſang. ſcilicet cruorem feruentem (qui urinas abundè ruffas, & coloratas efficere ſolet) ad ſuperiora meteorizare, atque impetum ſuum habere; aquoſiorem verò tantumodò maſſæ ſang. partem, ad vias urinæ properare.

Vniuerſaliter autem in prognoſticis ſcripſit Hip. quòd *tales urinæ pellucidæ, tenues, & per conſequens aquoſæ albæ, in febribus morbi longitudinem portendere, ſi virtus ſit fortis, ſecùs humorum cruditatem ominatur.*

Notandum itaque eſt cum Cardano; quòd tales urinæ aquoſæ, a variis cauſis dependere ſolent. Primo a potulentis aquoſis. Secondo ab obſtructionibus, & impedimentis in glandulis abdominis, & circa vaſa percolatoria renum, quorum cauſa craſſior reſtitat, & aquoſior tantum pars percolari poteſt.

Tertiò vehemens renum intemperies calida, & ſicca. Quarto alicuius viſceris, & potiſſimùm lieuis frigida intemperies.

Quinto quia alio tranferantur excrementa, quæ urinam tingere potuiſſent, (vt fit in hoc caſu phrænitidis). Minus autem malum eſt, ut talis fiat urina. a cauſis accidentalibus, quam a cauſis illis, quæ efficiunt febrem, ut eſt aſſatus cruor in phrænitide, vel alia interna inflammatione.

Hip. 4. aph. 73. *In febribus, quibus hypocondria elevata murmurant, dolore lumborum ſuperveniente, his alui humectantur, niſi flatus eruperint, vel urinæ copia ſupervenerit.*

Alibi Hip. in Coac. prænot. ait. *In febribus doleri hypocondriorum ſubmurmuranti, ſi lumborum dolor ſuperuenerit, ventrem ut plurimùm humectat, niſi flatus eruperint, vel urinæ copia effluxerit.*

Dolor itaque in hypocondrio, cum leuiborboriſmo, ad inteſtina, & viſcera ad hypocondria ſpectantia pertinere poteſt; qui ſi ortum ducat a flatu, deorsùm crumpens, nil mali efficere ſolet.

Sed ſi fuerit a materia commota, & agitata, fermenteſcente, hæc per renes, indè per veſicam expurgabitur.

Vel per vaſa meſenterica ad inteſtina de lapſa per alvum expurgabitur. Dixit *in febribus* quia ſepè obſervantur tales dolores in hypocondriacis affectibus ſine febri, qui fiunt ſine ulla evacuatione; quoniam infixam materiam habent circa hypocondria, quæ hinc indè non commouetur,

Dolor itaque hypocondrii, vel eſt criticus, vel ſymptomaticus. Febris autem calor attenuatos humores dirigere ſolet ad alvum, vel urinam.

Equè verò lumborum dolor alui fluorem, vel urinæ multitudinem præmonſtrare poteſt, propter vaſa & ductus meſenterii alligatos lumbis, ſeu proximè renibus.

Sed ſi tenuis, mobilis, & parva fuerit materia, & virtus valida, tunc in flatus ſoluta, per infernam portam, ſibillando exire conſueuit, cum riſu ægri, & adſtantium applaudentium quod tumore hypocondrii ceſſato, mons parturierit ridiculum murem.

Hip. 4. aph. 74. *In febribus, quibus ſpes eſt abſeſſum fore ad articulos, eos ab abſeſſu liberat, urina multa, craſſa, & alba, qualis in febribus cum laſſitudine quartum die in quibuſdam fieri incipit. Quòd ſi etiam ex naribus ſanguis eruperit, breui admodum ſolutio fit.*

Docet hoc loco Hip. qua ratione futurus abſeſſus in febribus remoueri poſſit, & quibus evacuationibus, nempè per urinam, & hemorragium.

Febres itaque in quibus ſperari poteſt abſeſſus, ſunt febres diuturnæ, a materia craſſa, frigida, torpida factæ. Nempè a ſero alb. acido, incraſſato, quòd criticè ſolet ad articulos relegari, ad quos naturalem, & ordinariam habet propenſionem, & manſionem titulo ſynoviæ.

Diverſi igitur conſuevit talis metaſtaſis, & abſeſſus ad articulos per duplicem excrectionem; ſed potiſſimùm per urinam multam, craſſam, albam; quæ propria eſt ſeri alb. acidi incraſſati, albeſcentis, ab emunctoriis, & ſeu incerniculis glandularum meſenterii & aliarum, ad renes criticè demiſſi.

Quòd ſi etiam maſſa ſang. per copioſum fluorem a naribus, a tali ſero alb. (quod erat cauſa febris cronicæ) deoneretur; adhùc certior ſpes aderit, quòd abſeſſus ad articulos diverti poſſit.

Obſervabile enim eſt, quòd abſeſſus facti ad articulos ex. gr. podagra, iſchiadici dolores, vel articulares, ſolent a cerebro (ſeri alb. fonte) provenire, prout cap. proprio oſtendimus.

Ideòque per hemorrhagias a naribus potiùs quam per hemorhoidas uni, vel alias quaſcumque ſanguinis euacuationes, tolli conſuevere; ſic enim deoneratur cerebrum mali fons.

Obſervavimus enim quod podagrici, & alii doloribus articularibus conflictati, ſuis iuvenilibus annis, capite intemperato, ac humido præditi, deſtillationibus obnoxii, fluoribus ſanguinis a naribus fræquenter tentati fuerunt.

Et licet ſpecie rubicunda cruoris talis excretio per nares compareat; in ea tamen prævalet ſerum alb. præternaturale, acre, ſalinum, irritans, prout quilibet collecto tali ſanguine naribus fluente, metum certificari poterit per guſtum, & alia experimenta in inſt. med. ref. indigitate.

Indè facilè explicare poterimus textum Hip. 4. epid. 2. ſec. 6. ubi ait: *Splenis elevationes, niſi in articulos finierint; vel ſanguis a naribus fluens, vel profluens urina tollere poterit.*

Æqua enim facilitate ſerum alb. præternaturale, per urinam, vel per narium hemorrhagiam evacuari poteſt.

Febres igitur in quibus ſperatur abſeſſus præter vllam dubitationem fiunt cronicæ, & factæ a multa mixtura ſeri alb. acidi incraſſati, ligantis bilem, atque criſim, tum ſanationem prorogantis.

Febres enim, quæ a ſincera bile fiunt, acutæ ſunt, & motum ſuum citiſſimè perficiunt, ac reſolvuntur ſine abceſſibus.

Obſ. quòd Hip. lib. de humoribus, febrem quartam *Laſſitudinoſam* appellat, fortaſſis ad hunc aphoriſmum reſpectum habens cronici affectus.

Obſ. etiam quod Hip. non dicit, quod *urina ſola multa, craſſa, alba, ab obſeſſu liberat*; ſed dicit, quod *brevius, & certius ab obſeſſu liberat ſi etiam ex naribus ſanguis eruperit*, quaſi innuere voluerit. Si pars craſſior ſeri alb. præternaturalis per urinas evacuetur, pars verò tenuior, icoroſior per ſanguinis à naribus fluorem profundatur, tunc brevi admodum ſolutio fiet.

Hip. 5 aph. 17. dixit quòd *frigidum rigores febriles inducit*. Libro verò primo de morb. ſcripſit, *ad rigorem, neceſſariò febrem ſubſequi*; ſed ſano modo intelligendus eſt; Nam rigor verè febrilis ad quem calor ſubſequitur, non a materia frigida provenit; ſed a materia calida, ſuper fibrillas ſenſitivas mota.

Quare in illis qui ex. gr nudi hyeme incedunt, non excitatur rigor verè febrilis; ſed ſenſus quidam moleſtus valdè ſimilis ei, qui fit per rigorem febrilem, dum partes ſentientes, & fibrillæ cutis a particulis nitroſis, ſalinis, acuminatis aeris pulſantur, & vellicantur, *facta indè fuga caloris*.

Sed quia ſpiritus ſenſitivus calorificus, diſtinguere reſcit hunc rigoris ſenſum diſtinctum ab alio, repræſentat animæ rigorem febrilem, veluti a frigore factum, vel e contra rigorem ab externo frigore factum, veluti febrilem delineat.

Hip. ideò aph. ſequenti 21. notat, quod *vulceribus frigidum eſt mordax, & quod rigores febriles facit*, ſcilicet ſimiles illis, qui in febribus contingunt, quibus non ſubſequitur calor, ob antedictam rationem particularum nitroſarum aeris, fibrillas ſenſitivas mordicantium, & potiſſimum in detectis partibus ulceratis; ad quas immediatè aer impetum facit.

Obſ. quòd aph. ſequenti 22. *calidum ſolvere poſſe rigores dixit*, ſine additione rigoris febrilis vel alterius, varios eſſe rigores indigitans.

Hip 5. aph. 55. *Utero gerentes, a febribus correptæ, & vehementer extenuatæ abſque occaſione manifeſta, difficulter, & periculoſe pariunt, vel abortientes periclitantur.*

Abſque cauſa manifeſta extenuari intelliguntur utero gerentes febri correptæ; quando neque dolores; neque vigiliæ; neque inſignes evacuationes intercedunt, aut alia conſimilia, a quibus ſerum alb. ſpermaticarum albarum partium nutricium ſolet depravari, ut ſic corpora magnoperè extenuari contingat; de quibus Hip. 1. prog. tex. 8. mentionem fecit.

Talem igitur extenuationem, ſummam virium imbecillitatem adducere obſervavit 2. aph. 28.

Qua ſtante imbecillitate, facta a defectu probi ſeri alb. ſufficientis ad nutritionem matris, & fœtus; tunc fœtum corrumpi contingit, & matrem periclitari rationabile eſt.

Vel etiam ſi fœtus uſque ad exactum geſtationis tempus conſervetur, difficulter ſaltem, ob virium imbecillitatem fœtus, & matris in lucem prodibit, & cum periculo.

Omnes itaque affectiones, quæ gravidis contingunt, quæ notabiliter imminuunt, vel depravant ſerum alb. nutritium matris, & fœtus (prout in antrographia oſtendimus) vim notabilem habent emaciandi, ac debilitandi matrem, tum fœtum, eumque corumpendi, ut fiat abortus, vel difficilis partus.

Quare medicus debet totis viribus incumbere, ad reſtaurationem ſeri alb, ut ſufficiat nutricioni matris, & fœtus. Niſi enim mater, & fœtus robuſti ſint, felix partus vix ſuccedere nequibit.

Robur autem virium, a ſola proba nutritione membrorum ſpermaticorum, a ſero alb. facta provenire, ex noſtris principiis certum, & infallibile eſt.

Hip. 6 aph. 26. *Quibus in febre ardente tremores fiunt, delyrium ſolvit.*

Neoterici prudentiores legunt, *Poſt tremorem in febri ardente, delyrium ſupervenit*; ne decipiantur medici credentes, concordare hunc aphoriſmum cum illo 4. aph. 58. qui ait: *In acuta febre rigor ſupervenies, ſolvit febrem ardentem.*

Differunt enim toto cœlo rigor, & tremor. Tantùm enim abeſt, quod tremor ſolvat febrem, ut quinimò ſit maioris mali, ſcilicet proximi delyrii indicium; & fortè convulſionis.

Tremor itaque ex malignis acribus exhalationibus a bile elevatis in tranſitu, radices neruorum velicantibus fit, ſed quia tenuiſſima ſubſtantia mobilis eſt, non ſtabilitur ibidem, ſecùs faceret convulſiones, ſed ſuperiùs aſcendens ad cerebri ſubſtantiam, delyrium facit, ceſſante interim tremore, ob materiam translatam.

Obſ. quòd tremor fit variis de cauſis. Nam in ſenibus fit defectu ſpiritus, qui ſubſtantias nervoſas iuxta indigentiam inflare poſſit.

Fit in magna pondera ſuſtinentibus baiulis; reluctantibus viribus inæqualibus ponderi. Fit in moritu ris, & ſpirituum ſummo diſpendio facto.

Fit ſimul cum horrore in febribus quartanis, ex magno, & inæquali motu ſpiritus calorifici, ſenſitivi a centro ad circumferentiam moti, & viceverſa facto motu a circumferentia ad centrum, factoque ſenſu analogo tremori, excitato ab ingenti frigore hyemis.

Fit a præſentia cuiuſcumque corporis impenſe frigidi, luctantis cum ſpiritu noſtro ſenſitivo calorifico.

Fit ab exalationibus acribus, malignis, nervos velicantibus; & hic eſt tremor de quo loquitur hoc loco Hip. qui velut ſpecies quædam convulſionis eſt, & præco delyrii, vel etiam phrænitidis.

Ideò in omni fermè phrænitide præcedere, vel ſubſequi ſolet tremor; & Hip. ſcripſit in Coac. *Phræneticis vehementes affectiones tremulas eſſe.*

Convulſio quoque cum delirio, & tremore affines eſſe ſolent, & ſe invicem concomitantur.

Hip. 6. aph. 44. *Quibus ex urinæ ſtillicidio vellulus ſupervenit, in ſeptem diebus pereunt, niſi febre ſuperveniente, urina abunde fluxerit.*

Quo exemplo monere voluit Hip. quòd quandoque febris habet rationem ſalutaris auxilii, potiſſimùm in morbis factis a materia frigida craſſa.

Inſurgens enim ſpiritus ſenſitivus calorificus, talem materiam ſolvere, liquare, atque attenuare poteſt.

Hoc idem evenit in ſtranguria facta a materia cruda craſſa, ſine inflammatione, ſuperveniente enim volvulo hi pereunt, niſi febris ſupervenerit, quæ attenuet, liquefaciat materiam illam frigidam, craſſam, & per urinam copioſam deiiciat.

Hip. 6. aph. 50. *Quibus præciſum fuerit cerebrum, his neceſſe eſt febrem, & bilis vomitum ſupervenire.*

Bilis quidem vomitus, ſtatim vel prima die ſupervenire ſolet, ob nervi ſexti paris conſenſum cerebri cum ventriculo; a quo excitato convulſivo motu in ventriculo, & partibus vicinis nervoſis, fit vomitus, & ſubverſio.

Sed febris non eſt neceſſe, vt ſtatim prima die excitetur; ſed ſufficit, ut poſt tertiam diem inſurgat, ſcilicet quandò vulnus inflammari incipit.

Idem contingit in aliis vulneribus, in quibus febris non inſurgit, niſi quando incipiunt inflammari, ut clarè conſtare poſſit, quod febrilis materiæ motus, ad partem vulneratam eſt cauſa inflammationis.

Et non eſt (ut vulgus medicorum putat) inflammatio cauſa febris. Niſi enim priùs materia fervens, inflammatoria proveniat de corde per arterias ad partem vulneratam, in æternum nulla fiet inflammatio.

Vulnus autem eſt ſpina Helmontii, ſeu cauſa occaſionalis,

sionalis, ut insurgat iratus Archeus, cum coniuge massa sang. ad inflammandum vulnus.

Expresè igitur Hid. lib. de loc. in hom. ait.

Aprœcisione cerebri, febris non corripit, citius quam tribus vel quatuor diebus; & si quis statim primis diebus post vulnus, a febri corripiatur, non a vulnere; sed ab alia causa febris procedit. Lib. vero 4. de morbis ait: *Vulnera die impari inflammantur, dierum vero imparium primus, est tertius.*

Lib. autem secundo prædictionum sect. 2. tractans de vulneribus capitis ait: *Optimum est, neque febrire eum qui vulnus in capite habet, neque inflammationem, neque dolorem pati. Quo verò tardior febris advenerit in vulnere capitis, maius periculum subest. Periclitantur enim, ne ex materia retenta suppuratio fiat, quæ exitum extra cerebrum non habens, inflammationem maiorem faciat.*

Hip. 6. aph. 51. *Quibus sanis dolores de repente fiunt in capite, & statim muti fiunt, ac stertunt, in septimis diebus pereunt, nisi febris apprehenderit.*

Ex materiæ peccantis commotione fit in sanis repentinus capitis dolor, deindè apoplexia, sopor, stertor; principum scilicet facultatum oppressio; & animalis spiritus veluti suppressio.

Verba illa *nisi febris supervenerit*, duplicem habent sensum. Primo quod febris superveniens solvat affectum. Secundo quod æger non moriatur intra illud spacium, nam paulò post mori potest.

Vtroque modo vera est sententia. Imò Hip. lib. 2. de morbis scripsit, quòd *adveniente in his febre, plerumque evadunt.*

Febris tamen hæc neque debet esse magna, neque parua; sed mediocris; magna enim vires dissolvit. Parua non est sufficiens ad attenuandam materiam crassam frigidam seri alb. incerebro concrescentem, eamque attenuatam, & liquatam, de loco movere non potest.

Quamobrem docemur hoc aphorismo, febrem insignes vires habere calefaciendi, *liquandi*, *attenuandi*, ac movendi pituitosas frigidas, crassas materias, scilicet serum alb. præternaturale, acidum incrassatum stagnans.

Hisp. 6. aph. 54. *In acutis passionibus, quæ cum febre sunt, luctuosæ respirationes malæ.*

Luctuosæ respirationes, alio nomine dicuntur suspirioſæ respirationes, quales in pueris plorantibus observantur; quæ si cum febre acuta fiant, indicant magnam viscerum oppressionem, vel malignitatem insignem partibus spiritalibus insidiantem, & cor opprimentem, vires frangentem, quare malæ, imò pessimæ adjudicandæ sunt, si potissimùm cum aliis malis signis copulentur.

Hip. 7. aph. 31. *Quibus febricitantibus in urinis hipostases fiunt crassiori farinæ similes, longam fore infirmitatem significant.*

Ne decipiatur medicus, dum mala reppresentatur urina, debet ante omnia animadvertere, an circa renes, & partes urinarias sit aliquis affectus.

Nisi enim adsit, tunc hipostasis farinacea, crassa, facta causa febris, significat febrem fieri a materia cruda crassa, ideoque morbi longitudinem prædicere.

Superiùs ostendimus a quo fiant urinæ crassæ, albicantes, sine metaphysicis speculationibus, & sine metamorphosibus vulgi.

Vrina enim ostendit id quod continetur in venis quod duplex est, nempè cruor, & serum alb., nam serum vrinosum, tertius liquor est massæ sang. sed non nutritius, nam pro subiecto, & materia urinæ destinatus est, diciturque lympha.

Cruor alimentalis, a ferveſcente in febre sero vrinoso, salino irrigatus, dat ei tincturam suam rubicundam, vel saltem saturo colore flavescentem, quæ non fit a bile, quæ nullam habet inclinationem ad incernicularenum, & ideò nulla urina amaricat.

Serum alb. iuxta variam incrassationem, & varias alterationes, quas subit, simul cum pedisequa lympha, seu sero urinoso, varia ratione albescentes vel crassas, farinæ similes urinas constituit.

Cuius rei maximum testimonium constituimus sumpta urina clara sanorum, & posita ad ignem, ut efferveſcat; nam deindè instillatis plus minus guttulis seri alb. (nempè illius aquæ quæ supernatat cruori densato in mutula, post venæ factam sectionem) fiet urina magis vel minus crassa, magis vel minus albicans, magis vel minus farinacea.

Si igitur in urina febricitantis hominis observetur tale sedimentum, signum est peccare in venis serum alb. acidum, incrassatum, humorem scilicet frigidum, crudum, difficulter solubilem, veram, & vnicam causam morborum cronicorum; prout in universa nostra praxi, claro sermone ostendimus.

Hip. 7. aph. 32. *Quibus autem hipostases biliosæ, ab initio verò tenues apparuerint, acutum morbum significant.*

Hæc sententia est continuatio præcedentis aphorismi, in quo de urinis *hipostasim habentibus crassiori* farinæ *similibus* loquutus est.

Nunc de urinis hipostasim habentibus biliosis sermonem instituit, atque contraria ratione docet, tales urinas acutum morbum significare.

Hipostases igitur, de quibus loquitur Hip. sunt illæ quæ colore cloro, seu flavo infectæ, oculis nostris apparent. Talis enim color naturaliter provenit a cruore nutritio nimis assato, cujus portio amara a nobis fel, vel bilis dicitur.

Nil mirum igitur, si ab assato cruore, febris acuta proveniat, Bilis enim contraria ratione sei alb. frigidi, crassi antedicti, tenuis, mobilis existens, est causa acuti morbi.

Dicit verò quòd ab initio tales urinæ debent comparere quoad *substantiam tenues*, seu lucidæ; diaphanæ, ut morbi acutiem indicent.

Tales autem urinæ hoc modo fiunt: Serum urinosum, quod in massa sang. tertium constituit liquorem, nihil aliud est, nisi aqua, cujus consueta semper natura est, ab igne aufugere, tenuissimis aliis vndique sibi viam faciens.

Hæc potissimum per proxima, & proportionata collatoria renum properanter secernitur fugiens ab igneo calore cordis, ideoque statim ab initio morbi magis aquea, tenuis, diaphana comparet.

Sed progrediente morbo; atque massa sang. hoc suo diluente, aqueo liquore immunito, magis, magisque comburitur, bilis copia adaugetur, atque acutior fit affectus.

Hujus exemplum habemus penes Hip. *in Bithone cui similes ab initio tenues, urinæ aqueæ, decolores &c.*

Si autem urinæ statim a principio crassæ, biliosæ, coloratæ, in progressu de repentè fiant decolores cum febri acuta, factum fuisse raptum ad caput, atque cephalagias ominatur.

Observandum tamen est in contemplatione urinarum quale sit ægri temperamentum, ætas, habitus corporis, aliæque circumstantiæ.

Nam in temperamento, & condictionibus fervidis, biliosis, urinæ coloratiores, & tenuiores reddi solent; cum hipostasi quoque tenujori.

E contra in temperamento, & condictionibus frigidis, pituitosis, minus coloratæ urinæ solent esse, magisque crassæ cum hipostasi copiosiori, & crassiori.

Hip. 7. aph. 33. *Quibus urinæ distantes fiunt in febribus iis vehemens in corpore turbatio est.*

Nomen distincotos, scilicet distans, vel divulsum, quo usus fuit Hip. fuit pomum Paridis, atque Discor-

dix, per quem auctores in varias sententias distracti fuere.

Quare nos quoque nostris principiis herentes, nostram afferemus sententiam.

In urinis itaque tres partes consideramus, aqueam scilicet fluidam. Secundo partem illam in medio partis aquæ natantem, quam appellamus suspensum vel nubeculam. Tertiò partem in imò residentem, quam propriè hipostasim dicimus.

Quibus pensitatis; neque aquea pars ab invicem distans esse potest; neque hipostasis; sed solummodò id quod in medio suspensum natat.

De hoc igitur intelligit Hip. & dicit: *Quibus in febribus suspensum in urinis distans, divulsum, & veluti laceratum in varias partes fuerit, vehementem in corpore turbationem adesse significatur*, scilicet ingentem fermentationem, & Ebullitionem in massa sang.

Propter quam spiritus sensitivus fermentatur, non potest languidus, naturali ratione sequestrare crassum a tenui, purum ab impuro, & excrementa æqualia concocta, & modificata reddere, suosque alimentales in nasibus magnis confusos, naturali ratione separare.

Quare tales urinæ solent præcedere, & præcones esse proximè venturæ urinæ confusæ, crassæ albæ, subjugalis. Ambo enim ingentem in corpore, seu in massa sang, turbationem indicant; Ambo a corrupto turbato, & præternaturali fero alb. proveniunt, prout ex dictis superiùs colligi potest sufficienter.

Hip. 7. aph. 62. *Febres non intermittentes, si per tertiam diem vehementiores fiunt, periculosæ. Quocumque verò modo intermittant, significant periculum abesse.*

Hæc est integra repetitio aphorismi 43. sectionis 4. præcedentis, quem satis fusè explicavimus; ideò ad eandem explicationem recolendam lectorem remittimus.

Hip. 7. aph. 63. *Quibus febres longæ, his tubercula, vel ad articulos dolores fiunt.*

Aphorismus pariter iste, iisdem omninò verbis in sect 4 aph. 44. exprimitur; eiusque expositionem quoque inibi exaravimus.

Hip 7 aph. 64. *Quibus tubercula ad articulos, vel dolores ex febribus longis fiunt, hi pluribus utuntur cibis.*

Hunc aphorismum explicatum a nobis reperies, ubi de dieta in febribus verba facimus.

Hip. 7. aph. 69. *Excretiones in febribus non intermittentibus, lividæ, & cruentæ, & biliosæ, & gravolentes, omnes malæ sunt. At vitæ succedentes, bonæ sunt. Sic etiam per alvum, & vesicam, & ubicumque quid succedens restiteris non purgatum, malum.*

Hunc aphorismum explicatum superiùs invenies sect. 4. aph. 47.

Hip. 7. aph. 72. *In febribus non intermittentibus, si externa quidem sint frigida, interna verò urantur, & sitim habeant, lethale.*

Hic pariter aphorismus superius in com. sect. 4. aph. 48. explicatus est.

Hip. 7. aph. 73. *In febre non intermittente, si labium, vel nasus, vel oculus, vel supercilium distorqueatur; si non videat, si non audiat, iam debilis existens, quidquid horum fiet, lethale.*

Etiam hic aphorismus superius in com. nostro 4. aph. 49. enucleatus est.

Ex libris prænotionum Hipocratis hæc prognostica pro febribus habentur.

VErsu 54. Dentibus stridere in febribus, quibus non est familiare (id est pueris) furiosum est. Convulsivum enim motum musculorum crotaphites maxillam moventium ominatur; factum a vaporibus acribus, a minera morbosa elevatis ad cerebrum, & ad principium nervorum, per somnum. Pueris verò quia nervosum genus est imbecille, ideò eis familiare est, & nihil timoris infert.

Versu 58. *Floccos carpere, manibus gesticulari, cum febri atrita, lethale.*

Signum est enim ægrum mente non constare; tum a suffusione quadam turbulenta, species quasdam incongruas repræsentari; a vaporibus scilicet variè figuratis, & coloratis, a massa sanguinea præternaturaliter fermentescente elevatis, & ad cerebrum ascendentibus. Quæ quidem lethalia signa etiam alibi adjudicata fuerunt ab Hip. 4. acut. vers. 123.

Versu 59. *Bona spiratio magnam vim habet ad salutem in omnibus acutis affectionibus cum febre.*

Indicatur enim neque inviscеribus adesse inflammationem cordi proximam. Neque interponi impedimenta circulationi, circa vasa magna, & quadruplicia pulmonum. Febrisque mineram procul a partibus nobilibus residere.

Versu 134. *Si quid divini in his morbis (cum febri acuta) inest, prænoscere oportet.*

Prof. Martian. incom. ait: Per divinum in morbis, intelligit Hip. *influxus, qui de cælo veniunt*; ut etiam docuit lib. de morbo sacro Vers. 355. dicens: *Hic morbus ab iisdem causis oritur, a quibus etiam alii morbi fiunt, nempe a sole, luna, & astris; quorum gratia morbi endemici, vel alii, peculiaribus symptomatibus, a consueta, & naturali sua constitutione recedunt.*

Indè monstra in arte contingunt, quorum ratio nulla alia quam cælestis influentiæ afferri quiditativè poterit.

Sic Hip. in 4. epid. narrat de quadam admirabili tempestate, in qua *morbi omnes in octava iudicabantur* (hoc autem contrectæ naturæ morborum acutorum adversatur.)

Observavit præterea quòd quandoque *cum salutaribus signis (ob influentiæ malignitatem) malignæbantur de repentè*. E contra in alia cæli benigna constitutione observavit, quod *morbi qui videbantur præcipites, ac maligni, de repentè, ac brevi ad salutem terminabantur.*

Hoc ergo divinum quod in morbis inest, prognostica minùs certa reddere potest. Et solus ille qui constellationum vires per longam sui, & aliorum experientiam caluerit, poterit magis certum judicium, & prognosticum horum afferre.

Vers. 137. *Alui egestio in acutis optima est mollis, coherens, & secundum horam solitam tempore sanitatis. Neque graviter olens; correspondens copiæ ingestorum. Sic enim paucum recessum a statu naturali factum esse significatur.*

Vers. 163. *Optima urina in acutis est, quæ albam subsidentiam, lævem, æqualem habet.*

Urina autem æqualis bonitatis, per totum morbi cursum, securitatem, & morbi brevitatem præsagitur; est enim materiæ benignæ indicium, quæ naturæ obediens sit,

Vers. 315. *Computandi sunt dies in acutis per quaternarios,*

narios, & septenarios, etiam in mulieribus a partu.

Sensus Hip. est, quod semper a die inceptionis febris, vel morbi acuti. sunt computandi dies, & non a die ex.gr. partus (sicuti placet Galeno, & eius asseclis) sepè enim a partu nil patiuntur per plures dies, etiam per 20. dies, deindè febris acuta supervenit, quæ a die sui ortus computari debet, & non á die partus.

Hac pariter ratione computavit dies Hip. in hystoria *Epycratis uxoris primo epid. sect. 3. Tum Philinæ uxoris, & Dromadæ uxoris, ibidem.*

Ex libro primo Proreticorum Hipocratis prognostica in febribus, & morbis acutis.

VErs. 5. *Densæ linguæ resiccatæ, phrænetica.*

Siccitas linguæ solet esse, acutis morbis consueta, & communis; sed densitas phrænitidi peculiaris est, ob ingentem humorum affluxum ad caput, ardens, & linguæ humiditates absumens.

Vers. 8. *Insomnia in phræneticis manifesta, bona.*

Quando scilicet ægri narrant insomnia visa, signum est levis, & salutaris phrænitidis.

Vers. 9. *Qui relinquuntur in hypocondrio ardores, febri refrigerata, mali sunt.*

Signum est enim, totum materiam morbificam, ad illam partem se recepisse.

Vers. 11. *Prædebilitatorum desipientiæ faciles pessimæ.*

Spirituum enim imbecillitatem arguunt; ideò a quacumque leni occasione perturbantur.

Vers. 12. *Phrænetici paucibili, strepitum edentes, tremuli.*

Prosp. Martian. legit. *Parum; & rarò bibere soni-tum descendentis potus inguture audivi.*

Tremores, seu motus veluti convulsivos in phrænetícis fieri, malum est. Graviter enim affectum esse nervosum genus ominatur.

Talis tremores atrabiliariis deliriis esse familiares dixit paulò post, vers. 20. scilicet affecto non solùm cruore; sed etiam fero alb., acida qualitate nervis hostilli, genitoque mulo melancolico.

Præsente igitur atra bile, magna inflammationis vehementia significatur, propter quam potum non postulant, licet causa sitifera urgeat, mens enim adeò alienatur, ut obiectum etiam vehementissimum sitis, non sentiant. Sine verò atra bile delirantes meliùs habent, neque paucibili sunt.

Arefactis faucium fibrillis nervosis, fit strepitus descendentis potus, ut docuit in Coac. prænot. vers 72.

Talis quoque strepitus descendentis potus, ob ingentem atrabiliariam exiccationem faucium in iam iam moribundis audiri solet, qui extremam etiam naturalis facultatis imbecillitatem significat.

Vers. 52. *Si enterema adsit in urina, dolor circa femur dissipato; mentis emotionem indicat.*

Prosp. Martian. legit: *Si nubecula seu suspensum in urina appareat; dum decubitus facilus materiæ morbificæ circa femur disparet, signum est materiam decubitus levem, relictæ ignobiliori, ad nobiliorem partem, seu ad caput ascendere, ibique delíria excitare.*

Vers. 59. *Alui intercepta, in febribus acutis, parva, nigra, veluti caprarum stercora ad necessitatem egestiones, malæ.*

Prosp. Martian. ait, talem alui adstrictionem ab interno viscerum calore, ac veluti inflammatione dependere. In parvulas enim sphærulas conglobari alui-na excrementa, proprium est eorum quibus intestina tenuia, igneæ veluti siccitate uruntur. In crassioribus enim intestinis fierent sphærulæ majores.

Vers. 61. *Quibus lumborum dolor diutinus in febribus; cum ardore fastidioso, ac nauseabundo; si sudaciuncula accedat, fortè his tremores fiunt, & vix veluti in rigore humilis.*

Prosp. Martian. ait: Talem lumborum dolorem debere esse stabilem, & non variare, ut in aliis febribus solet. Tunc enim ab aliqua inflammatione ibi existente, dependere significatur.

Cujus rei certum testimonium est, ardor cum anxietate, & nausea, communicata affectione ipsi ventriculo, vicinitatis, tum societatis ratione, & communione nervorum, prout manifestè fieri observamus in nephritede.

Vers. 70. *In febribus perniciosa, absque signis levia facta, mortem proximam ominantur.*

Notum est etiam vulgaribus, ac plebeis, quòd æger læthaliter affectus, si de repentè meliùs habere videatur, non longè post moritur, & appellant hoc Itali: *Il miglioramento della morte.*

Quod contingit, *quia natura, veluti victa, cedit* morbo; quamobrem cessante spiritu sensitivo calorifico, a nisibus suis, cessant symptomatu, calorque febrilis ideò remittitur; quia spiritus calorificus imminuitur, & in auras resolvitur.

Vers. 71. *In acutis biliosis affectibus, præalbæ egestiones, vel spumosæ malæ.*

Bile enim valdè exaltata, ac prædominante in acutis si suæ præsentiæ signa non exhibeat, per albas dejectiones, tunc indicatur vias excretionum non invenire, sed in corpore detineri, imò alicui parti infixam esse, & ibi mineram suam constituere.

Itaut quidquid bilis, ex naturali assatione cruoris generatur, & per hepar, & vasa cholidoca circa duodenum intestinum demittitur, ut per alvum excernatur, cum aluinis excrementis, hoc flauo felleo succo tinctis si nihil è corpore prodeat; sed in vno loco congregetur; tunc malum est.

Spumosæ quoque egestiones malæ sunt; spuma enim ingentem in viscéribus agitationem fieri, & in humoribus perturbationem vigere ominatur.

Vers. 72. *Malæ etiam urinæ similes (scilicet albæ spumosæ) quibus hepar doloro sum est.*

Ob prædictas omninò rationes, retardatæ bilis in corpore, & non excretæ.

Vers. 77. *Sitis in acutis præter rationem soluta malum. Tum urinæ, quæ præter rationem concoctæ apparent, malæ sunt.*

Concoctio enim fieri debet sensim, & non de repentè; ideoque dixit Hip. *præter rationem*. Intelligere etiam voluit per hoc verbum præter rationem, de valdè acuta febri, magais symptomatibus concomitata.

Nam de leviori febre, ac leviori morbo acuto scriptum alibi ab Hip. reperies, quòd *urinæ quæ cum signis coctionis fuerint, a morbi principio usque in finem, bonæ*: Nam ait in Coacis: *Urina optima est in qua resident album, leve, æquale per totum tempus, donec morbus judicetur.*

Vers. 102. *A ventre tenuia prodeuntia; non sentiente ægro, qui apud se est, lathale.*

Hoc symptoma læthale solumodò est; quando à summa virium imbecillitate dependet; Ideoque duas conditiones apposuit Hip. quod æger non delirat; tunc enim excusabilis esset. Secundo quod prodeuntia sint tenuja.

Quandò enim a paralysi musculorum sedis, ægro inscio fæces aluinæ prodeunt, solent esse aliquo modò figurata, & non liquida; eo magis quia tunc torpente præparalysi expultrice, fæces tardè expelluntur.

Vers. 104. *Vomitiones exiguæ biliosæ, male; tum aliis, tum insuper si vigilaverint.*

Comota namque bile, & per exiguas vomitiones non purgata, habet rationem materiæ turgentis, hinc indè agitatæ, quæ urgentibus vigiliis, & capite imbecilli existente, facilè ad cerebrum assurgit, & ibi sedem figit, communicato per consensum affectu stomachi, cerebro.

Vers. 142. *Alui circumtensio, ad necessitatem liquida demittens, citò intumescens, habet quid convulsorium.*

Liquida hic ad necessitatem excreta dicuntur illa aluina excrementa; quæ ægro deyciendi necessitatem inferunt, sine medicamentis; tunc enim est symptoma intestinorum dysentericum.

Quod cum magna in ventre agitatione factum (ideoque cum alui circumtensione, & repentina intumescentia) significat nervosas vniversi ventris fibrillas, affici, & potissimum fibrillas nervosorum intestinorum, quare affectus principio nervorum, atque nervoso generi communicatur, indè exoriuntur convulsivi motus.

Vers. 198. *In acutis, quæ modicè ferociter mente moventur, melancolica sunt. Si verò a muliebrium purgationem retentione fuerint, ferinæ sunt.*

Prosp. Martian. in com. ait: Sensus Hip est, quod *phrænetici, qui ad exiguum tempus ferociter delirant, mox quiescunt, inde rursus delirant, a melancolito succo, qui nundùm exactè incaluit hoc provenire signum est.*

Et hoc, ob ejusdem humoris condictionem, qui cum sit crassæ substantiæ, & frigidioris naturæ; neque facilè, neque citò in totum accenditur; sed postquam ignem ex actè concepit, illum diutiùs retinet, uritque vehementiùs; inde ferina deliramenta excitantur. Quare in Coac. prænot. legimus, vers. 110. *Mentis emetiones modicè feroces, ferinæ fiunt.*

Subjungit Hip. quod *si a menstruis suppressis hæc phrænitis fiat; statim deliria ferina fieri observantur;* quoniam est humor, primò per moram corruptus in utero, qui deindè in capite inflammationem inducit atrabiliariam, quæ deterior existens, graviora symptomata parit, novam corruptionem contrahens; ideoque statim ab initio phrænitidem ferinam concitat.

Vers. 267. *Ex terminoso, subsidentia limosa, sublivida, mala; Fortè dexterum præcordium dolet; & exolvuntur; Fortè absessus juxta aures fient.*

Prosp. Martian. legit. Qui a torminibus intestinorum urinas mengunt, subsidentiam limosam, & sublividam habentes, malè habent; nam his fortè hepar affectum est.

Signum est igitur materiam commotam fuisse in intestinis cum torminibus; quibus cessatis, materia prava conversa fuerit ab intestinis, per venas mesentericas, & per venam portæ ab hepate progressum fecisse ad venam cavam, inde ad dexterum ventriculum cordis, postea ad urinam, ideoque in urina, subsidentia limosa, sublivida; sine signis coctionis, & acritica comparet.

Ex libris Coac. prænot. Hipocratis sectione prima Prognostica in febribus, & morbis acutis.

VErs. 10. *Ex dorso horrores frequentes, & citò transeuntes, ægrè tolli vari possunt. Vrinæ enim intercepionem dolorosam ominantur; insuper exudare his pessimum est.*

Prosp. Martian. in com. ait: Periodici horrores febrium, potiùs in partibus exterioribus, ortum suum habent, & ibi etiam magis manifestantur, ex. gr. incubitis, in fæmoribus, prout observavit Hip. 6. epid. sect. 3. ubi ait.

At invasio fræquens facta in dorso, cum cita caloris, & refrigerationis vicissitudine, magnum malum testatur; Judicat enim circa has partes horore affectas, materiam pravam congregari, quæ qualitate non solum, sed etiam motu peccat.

Vno verbo in hoc loco inflammatio constituitur, in qua humores crassi, modò ad interiora convertuntur, modò foras expanduntur.

Duo igitur sumptomata tunc consurgunt, anxietas, internarum inflammationum propria, & urinæ suppressio; ob compressionem factam vigore inflammationis, nervis spinalis medulæ, (quæ ad sensum partibus urinæ excretioni inservientibus, distribuuntur.)

Cujus rei testimonium est, quia eadem compræssione nervis facta, ob spinæ luxationem, urinam suprimi observavit Hip. lib. de artic.

Addit *dolorosam*, ad differentiam ejus, quæ sine inflammatione fit. His malis si insuper sudatiuncula superveniat, humorum copiam, atque caloris exolutionem præsagiri poterimus; quæ pessima tunc signa sunt, & proximæ mortis.

Vers. 15. *Qui in decima septima die rigorem habuit, & duodecima quarta insuper rigverit, malignum est.*

Quo seriùs symptomata in acuto morbo superveniunt, eo periculosiora existunt, motus enim tarditatem, & morbi longitudinem significant; in qua facile est, ut errores committantur, & natura tandiù resistere non possit.

Alibi enim docuit Hip. 4. aph. 46. quòd *rigores supervenientes in febri acuta, ægro iam debili, lathales.*

Vers. 18. *Horrore affecti, multum insuper exudantes difficili morbo implicantur.*

Horridæ febres, crassorum frigidorum humorum præsentiam testari solent. E contra verò tenujum præsentiam testantur ac volatilium, sudor copiosus.

Quare ex hoc duplicis naturæ humore, affectus a malo veluti oritur, qui tardi gradus, recalcitrans, serò, & difficulter judicatur, inde morbus difficilis, vel mors, vel longitudo saltem significatur iuxta illud in secundo epid. sect. 1. *Critica non judicantia, partim læthalia, partim difficilis iudicii sunt.*

Vers. 19. *Quibus sexta die rigores fiunt, hi ægrè judicantur.*

Rigor sexta die apparens, vel morbum per pares dies moveri. Vel die non critica naturam irritatam tentare noxii expulsionem significat. Vtraque verò juditii difficultatem importat.

Vers. 29. *Rigor cum opistotono, necat in acutis.*

Prosp. Martian. in com. ait: Causa hujus est, quia respirationis usus, per rigorem augetur. In opistotono verò respiratio difficilior redditur, quare opistotonos ad interitum augetur, hoc duplici malo.

Sed tamen verificatur hæc sententia in morbis acutis, nam in aliis non esset inconveniens, quod opistotonus a frigidis sucus ortus, per rigorem febrilem, & subsequentem calorem sanaretur, discussa frigida materia. Sicuti evenit in tetano, ex Hipocrate 4. aph. 57.

Vers. 52. *Anxietudines in diebus iudicatoriis, si sine sudore perfrigerentur; Tum omnes qui sine sudor perfrigerantur absque indicatione, male habent.*

Prosp. Martian. legit, *qui cum inquietudine in diebus iudicatoriis, sine sudore refrigerantur, ita ut febre carere videantur, malum.*

Imò omnes qui sine sudore non judicati refrigeran-

tur,

tur, malæ habent. Qua Coaca Hip. refrigerationis infidelitatem, quæ imperitis, solutæ fibris speciem præleferebat aperit.

Anxietas igitur materiæ agitationem in venis viscerum ominatur. Perfrigeratio, infida cessatio caloris febrilis est, cui nisi evacuatio per sudorem sequatur, ad interiora se recepisse materiam significat; dum per sudorem critice evacuari debuisset.

Vniversaliter etiam, quicumque sine sudore, vel sine ulla alia critica evacuatione, febris cessasse videtur; sed in visceribus anxietates adsint, malum est. Hoc idem expressis verbis in Proreticis Hip. protulit sic: *Qui in diebus iudicatoriis cum anxietate, absque sudore perfrigerantur, malè habent.*

Vers. 73. *Quibus cum febre ardente, tumores somnolenti torpidi fiunt; his dolor in latus superveniens sydérationis, ac resolutionis modo occidit.*

Febris ardens, vel fit à sincera bile, vel mixta, cum pituita, quam salsam appellabant veteres; de qua in hac Coaca loquitur Hip. quam aliquando per abscessus ad aures (quos tumores soporosos hoc loco appellat Hip.) iudicari observamus.

Si ergo recurrente parotide, materia ad pectus, & pulmones convertatur, æger necabitur instar eorum, quos apoplexia, vel interceptio venarum occidit; scilicet ingenti, ac maligna inflammatione suborta, obstructione, atque impedimentis, in multiplicibus vasibus pulmonum. Moriuntur igitur isti, veluti apoplectici; nempe stertentes suffocantur.

Factum verò esse materiæ parotidis ad partes spiritales decubitum, testatur lateris dolor superveniens, quo observato, medicus stertorem jam apoplectico modo imminentem, prædicere potest.

Vers. 77. *Qui in potibus substrepunt, & submurmurant in siccis, & qui difficulter deglutiunt, spiritu tussiente, pernitiosè habent in acutis perfrigeratis.*

Symptomata hæc omnia, ab unica substantiæ humidæ consumptione proveniunt; in his qui perniciosè habent.

Potus namque descendens strepitum facit; quia ob siccitatem fibrarum gulæ, fieri non potest naturalis motus musculorum gulæ, atque peristalticus deglutitionis; sed gula aperta, sine tali deglutitionis motu, veluti per instrumentum cavum potus propria gravitate descendit, cum quodam strepitu.

Submurmurant etiam in siccis, hoc est absque sumptione potulentorum, quia fauces ob siccitatem sunt corrugatæ atque exasperatæ; spirituque egrediens per angustam viam, sonitum facere, & submurmurare dicitur.

Difficulter etiam deglutiunt, causa ejusdem siccitatis Tussis etiam fit, ob gutturis exiccationem, angustiam, & asperitatem, dum spiritum attrahunt; id quod non contingit, quando molli gutture, recta que via spiritus incedere potest.

Subjunxit *ex acuto morbo refrigeratis*, scilicet post humidi consumptionem, ad quam caloris extinctio consequitur.

Vers. 90. *In longis pernicioſis morbis, ſedis dolor lethalis eſt.*

Prosp. Martian. in com. ait: Pro sedis dolore exulcerationem intestinorum circa sedem, ab acribus humoribus inductum, interpretatus Duretus.

Ego pro abscessu interpretor, qui in longis, & pernicioſis morbis aliquando contingit, qui diutiùs tollerari non potest.

Talis enim abscessus licet ad suppurationem adeveniat cura bene procedere videatur, affert interitum; & naturam victam esse a morbo significatur.

Critica quidem, sed imperfecta fit ad has partes ignobiles expulsio; sed iam debili natura existente præ longo pernicioso morbo, non potest bene regere tales humores, qui ideò maligne corrumpuntur (& hæc est causa cur ex morbis acutis, diù procrastinatis fere omnes intereunt.)

Propria igitur potiùs gravitate descendentes tales humores, circa sedem firmati, ubi est sentina, & veluti cloaca excrementorum, malignos abscessus ibi constituunt, & ut plurimum diarheas in mortem terminantes concitant.

Vers. 105. *In acutis, motus iactatio, somnus turbulentus, quibusdam convulsionem ominatur.*

Quia prædicta duo symptomata in morbis acutis circa animalem facultatem, nervosis partibus inservientem versantur; si copulata affligant ægrum, verendum est, ne prædictorum humorum perturbatio nervosum principium petat, ac deinde subsequatur convulsio, in quibusdam tamen.

Vers. 107. *Turbulentæ cum ferocia excitationes a somno, mentem emoventes malæ sunt; itemque convulsoriæ, tùm alias, tum cum sudoribus.*

Humores atrabilarii prompte nervosum genus invadunt, & si copia magis lædant, quam qualitate, apoplecticos affectus concitant. Si verò potiùs acri qualitate infestent, convulsiones faciunt.

Ferox igitur delirium, factum dum excitatur æger a somno, si momentaneum fit, signum tantumodò est, quod incipiat exuri materia suliginosa, & deferatur ad spiritus animales turbandos; nam postquam bona pars exusta, & iam in cerebro firmata fuerit, iam delirium continuum excitabit; quod interficiet; si insuper sudores accedant.

Differentia inter somnos turbulentos, & excitationes turbulentas a somno, est sulummodò secundum magis, vel minus. In utroque enim eadem spiritus animalis perturbatio viget; sed in prima leviori, faciliùs evanescunt expergefactis omnes immagines, & sedato spiritu, æger quiescit, & mentis compos fit.

Sed in secundo etiam depulso somno, per aliquod temporis spacium, perturbatio mentis perseverat, quare ægri electo exiliunt, vel alia mente alienati agunt, & post longius tempus ad se reddeunt.

Vers. 110. *Delyria cum ſopore, convulſoria.*

Convulsionis essentia, in irritatione consistit, quam acris materia nervoso generi infere solet. Bilis autem sola, quia tenuis, mobilis, atque volatilis est, convulsionem excitare non solet, nisi alius humor (pituita Hippocratica) ei associetur, qui quandam ei crassitudinem, & remoram ei elargiatur.

In phrænitide ergo, tum in aliis deliriis a simplici bile excitatis, non fit convulsio, nisi concurrat materia crassior, quæ est serum alb. acidum corruptum.

Feritas itaque in deliriis signum est convulsionis, & præsentiæ materiæ adustæ. Sopor delirio iunctus, pituitæ præsentiam significat; quæ bilem ligare; atque incrassare valet.

Certo namque constat, quòd bilis cum nervoso genere nihil convenit, ab eo penitùs aliena; sed consortio facto, & veluti manu ducta a pituita Hippocratica; seu a nostro sero alb., tunc bilis ingressum habet ad partes nervosas; nervi enim, & partes omnes spermaticæ agnoscunt pro suo nutritio serum alb., prout fusè in instit. med. ref. ostendimus.

Vers. 145. *Qui circa exacerbationes tussiunt, & parum exudant, malignè habent: Ad latus dolore, ac suffocatione accedente, hi suppurantur.*

Indicatur per hæc, humorum copia ingens, tum febrilem materiam, veluti mineram in partibus spiritalibus residere. Vel a maligna destillatione dependere talem tussim, cum sudore facto, a natura aggravata.

Accedente verò ad latus dolore, ac suffocatione, hi suppurantur, dum cum tussi suffocari videntur, præ angustia; tunc quòd plus influat ad pulmonem

quam

quam per ſputum expurgari poſſit (ut obſervavit Hip. lib. de loc. in hom.) quare materia ad latus affixa ſuppurationem facit, dolor enim indicat materiam circa latus agglutinatum putreſcere.

Hunc caſum deſcribit Hip. lib. primo de morbis ſic: *Fiunt ſuppurati, ſi pituita de capite delapſa ad latus agglutinata fuerit, & putruerit. Tunc enim latus, ut pluritsum inflammatur, & patitur eadem, quæ ex pleuritide ſuppuratis &c.*

Verſ. 160. *In febribus ſecundum venam quæ eſt in collo pulſus, ac dolor, in dyſenteriam deſinit.*

Propter Martian. in com. ait: Venæ quæ in collo eſt pulſus, & dolor, plenitudinis in capite, & deſcendentis humoris à cerebro ſignum eſt, a quo dyſenteria excitatur, & febris ſolutio contingere ſolet.

Humor peccans, a prædominio calidus eſt, ideoque venæ pulſant. Caput metropolis pituitæ eſt. Hæc a calore febrili ſalſa, & acris facta, conſtituit humorem compoſitum ex acri, ſalſa, calida ſubſtantia, quod pro vero, legitimo, & ordinario humore dyſenteriam efficiente agnovit Hip. lib. de affect. ſic: *Dyſenteria fit, dum bilis, & pituita ad venas, & alvum, de cerebro decubuerit. Ægrotat quidem cruor, & corruptus ſeccedit; ægrotat, & inteſtinum, raditur, & exulceratur.*

Acrimonia tamen quam bilis præſtat, non eſt ſufficiens exulcerare, ob præterlabentem, & fugacem tenuitatem, ſed indiget a pituita incraſſari, ut ſic parti ulcerandæ diutiùs hærens, ulcus introduci poſſit.

Verſ. 170. *In febribus ardentibus, ſi aurium ſonitus accedant, cum viſus hebetudine, & gravitate ſecundum nares, melancolice modo ab atræbile moventur, niſi ſanguis erumpat.*

Proſp. Martian in com. ait: Aurium ſonitus, viſus habetudo, narium gravitas, capitis plenitudinem aeſtantur, quæ hemorrhagiam criticam præcedere ſolet, & ſic capitis plenitudo tollitur.

His ergo præcedentibus, ſi hemorrhagia à naribus non ſequatur, expectandum eſt delyrium melancolicum, factum a cruore craſſo, nigro, terreo; ideoque fit viſus hebetudo, & non coloris ſplendidi ante oculus obverſantur, qui bilem teſtentur.

Idem quoque ſignificat narium gravitas, ob materiam gravem, ad nares deſcendentem; bilis enim quia levis eſt, potiùs ad meninges accedens, dolores capitis excitaret.

Verſ. 365. *Lingua, quæ in principio quidem inhorruit, in colore verò permanet, progreſſu verò temporis exaſperatur, liveſcit, & rumpitur, lethalis eſt. Si verò valde nigreſcat, in decima quarta die iudicium futurum eminatur. Periculoſiſſima autem eſt nigra, & cum viore pallida.*

Proſp. Martian. in com. ait: Lingua horrida dicitur a ſimilitudine horroris febrilis, in quo corpis inæqualiter frigeſcit, & incaleſcit.

Sic lingua inæqualiter affecta, juxta ſiccitatem, & humiditatem. [Prout etiam conſtat ex lib. 3. de morbis] hæc in progreſſu temporis induratur, exaſperatur, craſſeſit, & nigreſcit.

Si itaque hæc fiant ab initio, citiores iudicationes fient; ſi poſterius, tardiores, & læthales iudicationes ſubſequentur.

Horrida igitur lingua a principio, nulla facta in ejus calore mutatione, humidi ſui exiccationem, atque conſumptionem ſignificat, ab interno incendio per venas linguæ communicato, & non per vapores, quare febris urens, & maligna expectanda eſt; quæ humiditates, & fermenta viſcerum, & membrorum ſubvertat. Tandem lingua cum livore rumpetur, ac findetur, adaucta ſiccitate.

Intra diem decimum quartum criſis fieri ſolet, ob celerem motum præindicatum ab initio. Subiungit, quod *periculoſiſſima eſt lingua clora*, ſummum enim incendium intrinſecum ominatur. Nigra verò fit a cruoris uſtione.

Clora fit a bile flava, vitellina dicta; admixto cruore cum pituita, ſcilicet cum ſero alb. præternaturali incraſſato; quod nutritioni partium ſpermaticarum ineptum, eis perniciosum fit, ex Hip. 6. epid. ſect. 6.

Verſ. 392. *Vocis interceptiones, ſuperigentibus læthales; tales autem leviter caput dolent.*

Proſp. Martian. in com. ait: Quando rigor ſupervenit ei qui voce privatus eſt, rigor cauſam aphoniæ diſcutiendo poteſt eſſe ſalutaris.

Sed ſi poſt rigorem aphonia ſuperveniat, ſignum eſt materiam agitatam per rigorem ad organa vocis ſeceſſiſſe; ideoque caſus læthalis eſt; nam affectus iam partibus ſpiritalibus, atque vitalibus communicatus eſt.

Coacarum prænot. Hipocratis ſectionis ſecundæ prognoſtica de febribus, & morbis acutis.

Verſ. 55. *Pulſus in hypocondrio dextero cum tumultu, mentis emotorius eſt; & potiſſimum ſi oculi fræquenter moveantur.*

Pulſum in hypocondrio dextero cum tumultu, conſuevit delirium portendere; quia vel fit a materia ſpirituoſa, vaſa repente. Vel ab inflammatione aliquod viſcus occupante.

Cum tumultu verò debet eſſe, ut caput invadere poſſit. Majus verò erit delirium, ſi oculi fræquenter dimoveantur. In libris enim prognoſt. dixit talem motum frequentem oculorum, *maniæ timorem præſtare; prout evenit Cydis filio, & Hermoptolemi uxori, lib. 7. epid.* hi enim cum hujuſmodi oculorum motu, ac intuitu, tandem maniaci facti ſunt.

Nomine pulſus intelligit hoc loco Hip. arteriarum motum conſpicuum, ita ut non modo tactu ſed etiam viſu appareant. Iſtæ potiſſimum in temporibus aparent, quia ibi ſanguis tenuior, cum ſpiritu copioſo, ad meninges elevatur.

Proſp. Mart. addit: Si meas obſervationes in medium adducere licet; ſepiùs obſervavi eos quibus non acutè febrientibus, arteriæ jugulares pulſare oculis conſpiciebantur, diutiùs ſemper ægrotare.

Pulſus itaque juxta Hip. ſanguinis tenujoris copiam præſuponit, quæ a ſpiritu calorifico, flatuoſo, impellatur. Ideò vix fieri poterit, qui ad caput non aſcendat, a febrili calore magis incaleſcens, quare mirum non ſit, ſi delirii ſignum fermè indubitatum evadat; adeoque certum; ut ſi hiſtorias Epydemiorum perturramus paucos invenias ægros, quibus in aliqua parte pulſus hujuſmodi cum febre acuta aparuerit, qui non deliraverint.

Sic lib. 7. epid. ſect. 1. Theodori uxor, cum pulſa intemperibus deliravit. Servus in extrema cauſona, cui venarum pulſationes erant circa umbilicum (lib. 4. epid.) & ipſe deliravit. Sylenus, cui palpitatio aſſidua erat hypocondrii (lib. primo epid. ſect. 3.) delirio correptus eſt.

Pulſus igitur prædicti, in aliqua corporis parte, cum acuta febre comparentes, delirium timendum eſſe futurum ſignificant, potiſſimùm ſi concurrant ea,

quæ

quæ humorum ad caput raptum ostendant; quale est potissimum id quod in præsenti coaca proponitur, scilicet tumultuatio, atque contentio insueta ægri cum familiaribus, & adstantibus.

Si autem in pulsu cujuslibet partis id evenire solet, tanto magis id timendum erit in hypocondrio dextero, quod ad delirium producendum, semper paratissimum est; imò ad phrænitidem dispositum est, ut constet ex lib. 4. epid. vers. 348.

Vers. 56. *Cum pulsu hipocondrii dexteri, oris ventriculi dolor, febre perfrigerata, malum. Tum aliàs, tum si insuper insudaverint.*

Prosp. Martian. in com. ait: Febrilis caloris remissio atque externarum corporis partium tepor, seu refrigeratio, cum hypondriorii dexteri pulsu, materiæ copiam testantur, quæ visceri infixa, inflammationem ibi constituit; quam oris ventriculi dolor concomitari solet, quatenus ab hepate inflammato ichor quidam acris ad os ventriculi transmittitur, qui cardialgiam parit.

Neque mirum si nulla affectione in ipso ventriculo existente; sed in hepate, tantus dolor in ventriculi orificio persentiatur; nam præter experientiam.

Hip. hoc confirmat lib. 4. de morbis sic: *Postquam comedit, & bibit homo aliquid amari, quodque aliàs biliosum, ac leve est; copiosior fit bilis in hepate, & dolet id quod pueri vocant cor.*

Et ratio est, quia cum lobus eius superior totum ventriculum amplectatur, dum causa calorifica eum lobum obsidet, dolorem circa ventriculi regionem parit.

Vno verbo, hæc tria symptomata copulata, pulsus hypocondrii dexteri. Caloris febrilis remissio, seu refrigeratio externa (in proportione ad internam æstuantem) & cardialgia, seu oris ventriculi dolor, hepatis inflammationem, cum humorum copia constituunt, quæ morbum periculosum ominantur. Potissimum si sudaciunculæ accedant, quæ naturæ oppressionem a materiæ copia significent.

Vers. 72. *Quibus de repentè dum sine febri sunt, præcordii, oris ventriculi dolor, tum circa crura, & infernas partes, & alvus in tumorem elevata est, solvit vena sectio, & alui fluxio. His febrire nocuum est, longæ enim, & vehementes febres succederent, & tusses, & spiritus difficultas, & singultus fierent. His itaque ad solutionem tendentibus, dolor fortis coxarum, vel crurum, vel puris sputum, vel oculorum privatio succedit.*

Prosp. Mart. in com. ait: Necesse est affirmare hos dolores, a copioso humorum affluxu dependere, ob ventris tumorem, tum ob tot partium dolores. Materia igitur copiosa sanguinea, seu plethora venæ sect. Vel cacochymia purgatione tollenda est. Verumtamen in interna inflammatione cum febri, periculosa est purgatio, prout docuit libro 4. acut. vers. 31.

In hac autem coaca monet, quod febrire his nocuum est; quia talis febris esset maligna, vel diuturna, ob humorum copiam maligna quidem, quia observavit Hip. lib. 1. prædict. Quod *febres ex hypocondriorum dolore maligna sunt*; his enim succedunt tussis, astma, singultus, quæ omnia inflammati hepatis symptomata existunt; quare cum tumore, dolore, materiæ copia pravæ existente, impossibile est, ut saltem visceris phlogosis non adsit.

Familiare autem est morbis, quia copia materiæ, & circa partes nobiles fiunt, si in longum producantur, vt faciant abscessus ad coxas, vel ad crura, iuxta Hip. 4. aph. 32 & 33.

Vers. 82. *Iuxta venirem in febre palpitationes, mentis emotionem inducunt.*

Prosp. Martian. in com. ait: Palpitationes a spiritu flatulento concluso fieri, ex Galeno certum est. Siue verò concluso sit in interstitiis musculorum, sive in venis. Generatur autem hic spiritus per febres a calore vehementi, dum tenuiores humorum partes, in halitum vertuntur; qui si cum humoribus ad superiora evehatur, indè delirium excitatur; nisi ab hemorragia tale delirium avertatur.

Vers. 94. *Dolores ex lumbis diuturniores, qui febris tertiæ modo exacerbantur, grumosum sanguinem egerere faciunt.*

Item. *Dolores in lumbis, sanguinis fluxionem inducunt.*

Item. *Ex lumborum dolore, sanguinis fluxiones large fiunt.*

Item. *Quibus ex lumborum dolore, recursus ad caput, & manus torpidæ, & oris ventriculi dolores, & aurium sonitus, his sanguis largè profluet; sed & alui, bis deorsum erumpunt, & mens turbata est, ut plurimùm.*

Item. *Ex dorsi dolore ægritudinis principia difficilia sunt.*

Item. *In dolore lumborum pertinaci, & ampliore alui subductione, averatro spumosa vomere multa prodest.*

Prosp. Martian. in com. ait: Superiùs in Coac. sect. 1. vers. 159. docuit Hip. quod quandoque in febribus tertiis dolores lumborum in eodem circuitu exacerbantur de tertio in tertium, si contingat quod febris fiat continua, sine accessionibus rigoris &c. sufficere potest talis dolor lumborum tertio quoque die accedens, ad ostendendum paroxismum febrilem. Mutata ergo tertia intermittente, in continuam, sanguinis grumosi, tunc excretio contingere solet.

Nomine doloris lumborum, intelligit magnos, & non leves, qui solent in omnibus febribus adesse, & per verbum illud (diuturniores) intellit proportionaliter ad morbum acutum, dolores diutius perseverantes.

Lumborum ergo dolor magnus, humorum multitudinem arguit, magna vasa lumborum, & eorum ramificationes perseverantem. Quæ multitudo est causa, ut febris ex intermittente fiat continua. Tunc igitur sanguinis grumosi excretio expectanda est, per inferiora; sanguis enim crassus grumosus, non facilè ad superiora petit.

Tum igitur ratione causæ, scilicet ratione multitudinis sanguinis crassioris, tum ratione loci, scilicet atteriæ magnæ, & venæ cavæ, ac ramorum lumbalium sanguinis excretio per inferiora expectanda est. Ideoque vulgatum est, quod dolores lumborum sanguiflui sunt, & potissimum in mulieribus.

Ad sanguinis verò grumosi excretionem, tria potissimum requirnntur. Primo sanguinis dispositio ad concrescendum; atque talis est cruor qui sero alb. acido admiscetur. Cruor enim natura sua fibris caret, & difficultet coit.

Secundo ne statim e vena egressus exeernatur, sed in aliqua cavitate, aliquantulum moretur.

Tertio talis sanguinis excretio, copiosa esse debet; nam si in pauca quantitate sit, a loci humiditate diluetur, vel feresçet, & putresçet, potiùs quam in grunos coire possit.

Hæc itaque omnia in præsenti Coaca concurrunt; nam primo mixtura seri alb. crassi acidi frigidi, a doloris pertinacia, & diuturnitate colligitur.

Secundo a loco, scilicet amplo magnorum truncorum, ramorum, & vasorum in quibus facilè sanguinis particulæ ramosiores retardari possunt, donec concresçant.

Tertio cognoscitur a copia excretionis; dolore interim lumborum constante, ac perseverantt; nam lumborum dolor solus, copiosam excretionem indicare potest; prout paulò post Hip. insinuavir: *Ex lumborum dolore, hemorrhagiæ largæ.*

Si igitur humores crassitudinem habentes, & natura-

turaliter deorsum vergentes adsint ; natura per trunc. cum aortæ, & arteriam cæliacam, ac mesentericam, ducit ad alvum talem sanguinem expurgandum. Vel in mulieribus ducit ad uterum, ut potè viam expeditiorem, ac naturæ magis consuetam.

Vers. 100. *Ex dolore dorsi ægritudines incipientes, difficiles.*

Prosp. Martian. in com. ait: Morbi a dolore dorsi incoantes, duplici ratione sunt difficiles.

Primo quia materiæ copiam subesse significatur, ob affectæ partis condictionem, quæ multæ materiæ est capax, & ob vasorum amplitudinem. Ab exigua enim causa non dolerent.

Secundo quia partes principales facilimè in consensum trahuntur. Spiritales quidem vicinitate. Animales nervorum multitudine, ob anexam spinalem medulam, quorum ratione convulsiones, & deliria frequenter supervenium. In vigote verò morbi minus mala hæc essent; tunc enim omnia fortiora.

Vers. 111. *Diuturni circa lumbos, & ilia dolores, & ad hypocondria dolores, si ægri cibos averserentur, una cum febre, his dolor intentus, ad caput progressus, derepente ipsos occidit convulsorio modo.* Infra verò ait:

Lumborum dolor, cum cardialgia, & excretione violenta, habet quid convulsorium.

Prosp. Mart. in com. ait: Tanti momenti est in morbis, ad naturalem facultatem pertinentibus, ciborum aversio, ut hæc sola morbos malignos, & lxthales a benignis, & salutaribus distinguere possit; ut etiam ex præsenti Coaca colligi potest; in qua dolores lumborum, illium, & hypocondriorum, qui secùs indiferentes essent, ad salutem, vel ad mortem; si his ciborum aversio accedat, omnis spes salutis adimitur.

Indicatur enim causam morbificam prædictis partibus esse infixam, cujus portio ad os ventriculi confluens, appetentiam destruit, & recursum habens ad caput, dolorem ingentem excitans, celerimè ipsos occidit, ibidem motibus convulsivis excitatis.

Coacarum prænot. Hipocratis sectionis tertiæ prognostica de febribus, & morbis acutis.

VErs. 79. *Dolores circa latus in febribus, tenuitur consistentes, citra notas, venæ sectio lædet; sive cibum aversetur æger, sive hypocondrium sublime habuerit. Et in perfrigeratione, non sine febre torpidos, sanguinis detractio lædit, & se melius habere putantes, moriuntur.*

Prosp. Mart. in com. ait: Dolores circa latera (non veram pleuritidem) fieri sepissimè a materia tenui, biliosa ventriculum obsidente certissimum est.

Ideoque in prima sect. Coac. vers. 83. ait: *Quibus in febre, dolore lateris fiente, alvus multa aquosa, ac biliosa egerit, hi alleviantur tali excretione.*

Isti igitur febricitantes ab hoc lateris dolore oppressos, a phlebotomia plurimum læduntur. Primo quia vigente cacochymia biliosa, venæ sectio lædit; nam si talia educantur, qualia peccant, confert, & facilè ferunt, & e contram ex Hip. primo aphorismo secundo.

Secondo lædit venæ sectio, quia humor noxius tenuitate peccat, & per venæ sectionem potiùs acuitur, & tenujor redditur, febrisque adaugetur, quæ succos massæ sang. comburit, atque biliosa cacochymia adaugetur, acriori, ac biliosiori massa sang. facta.

Tertio per venæ sectionem ventriculus magis debilitatur, & acribus humoribus repletur; Id quod cognosci potest a hypothimiis, atque a vomitibus fieri soliris, post venæ sectionem. Quare semper affecto ventriculo, medici prudentes, a venæ sectione abstinent.

Dixit tenuiter consistentes (ut hunc affectum distingueret a vera pleuritide) quia isti laterum dolores, re vera excitantur, a materia acri in ventriculo existente; per modum exalationum.

Ideoque addit sine signis, hoc est sine pathognomonicis signis, quæ veram pleuritidem significare solent.

Addit sive cibum aversetur æger (ob materiam illam os ventriculi infestantem, quæsitim inducere, & appetentium tollere consuevit) sive hypocondrium sublime habuerit, ob hepatis vasa bile repleta, quæ transmittunt bilem ad ventriculum.

Perè ac dixisset, sive materia hæc biliosa, sedem iam diù in ventriculo habeat, sive ab hepate perductum colidocum, ad ventriculum transmittatur, vel alia quacumque via, semper venæ sectio prudenti medico suspecta esse debet.

Vers. 392. *Solutionis alvi repentinæ, præter rationem accedentes in ægro a febribus diuturnis consumpto, simul cum voce tremula, læthale.*

Prosp. Martian. in com. ait: Hoc contingere solet illis, quibus facultas nutritiva, atque alimenti distributio vitiata est; & absque alia causa manifesta præcedenti, alvus derepentè solvatur. Tunc enim magna virium exolutio subsequitur, aqua deindè tremor vocis; imò aliquandò vocis privatio contingit nempè ob spiritus imbecillitatem, vocalia instrumenta moventis, & ob materiæ nutritivæ defectum.

Vers. 394. prosequitur Hip. dicere: *Talibus meliores sunt tenues nigrorum egestiones horridæ, & maximè in ætate ante vigorem.*

Prof. Martian. in com. ait: Longo tempore a febre extenuatis, alui solutiones semper suspectæ sunt, si signa effractarum virium concurrant. Nunc easdem cum nigris, & aquosis comparans, illas perpetuò læthales, has quandoque salubriter procedere docet, potissimùm in juvenibus.

Ratio autem est, quia excretiones omnes (etiam quæ pessimæ reputantur) si cum virium tollerantia contingant, aliquando salutares esse possunt.

Sic observavit Hip. 4. aph. 47. Quòd *excretiones in febribus non intermittentibus, lividæ, cruentæ, gravolentes, & biliosæ omnes, malæ quidem sunt; sed probè seccedentes sunt bonæ &c.* signum est enim humorem noxium inveniisse viam ad exeundum. Notum verò est illud Hip. si talia deyciantur qualia oportet, confert, & leviter ferunt.

Pravæ solumodo nigræ excretiones, ex atra bile adiudicandæ sunt; quia pessimam supponunt causam, per hanc evacuationem non removibilem.

Atra autem bilis, aslatulque humor, tenuis esse non solet, ex Hip. 4. aph. 23 & 31. Sed in hac Coaca Hip. vult ut nigræ excretiones sint tenues, & quod adsint vires juveniles, ac vegetæ.

Hip. 6. epid. sect. 2. ait: *Febres in quibus exulcerantur labia, forcassis intermittentis sunt.*

Nam febrile paroxismo recedente, a fuliginosa tenui materia, tenerima cutis labiorum affici solet.

Hip. 3. progn. ait: *Fauces exulceratæ cum febri acuta, horrendæ sunt.*

Ratio autem est, quia fauces assiduò irrigari solent, a plurima lympha; ideò si tanta sit lymphæ carentia,

ut fauces exulcerari cogantur, tunc massam sang. torre fieri signum est.

Hip. in Coac. sect. 1. Vers. 65. Observavit quòd *quibus in febribus venæ in temporibus pulsant; sed facies sana est, & hypocondrium non molle, diuturnum morbum significant, & non desinentem citrà multi sanguinis ex naribus effluxum, vel singultum, vel convulsionem, vel coxendicum dolorem.*

Hip. lib. 1. de morb. ait: *morbi ex necessitate interimentis sunt; si utero gerens peripneumonia, vel febri ardente corripiatur. Dubii morbi ut perdant, vel non, sunt peripneumoniæ, vel febris ardens in aliis &c.*

Hip. lib. de aff. *Febris ardens, phrænitis, hyeme fortissimi fiunt, & frequentes; æstate verò minùs frequentes, & molliores.*

Hip. lib. 1. progn. 15. *Decubitus ægrorum, qui deorsum prolabuntur ad pedes valdè periculosus est.*

Summam enim debilitatem facultatis animalis ominatur; ideoque solum in proximè morituris observatur; est enim proprium de mortui corporis, deorsum feri.

Hip. 3. epid. sect. 1. tex. 9. *Iudicantia non iudicantia, partim læthalia sunt, partim difficilis indicationis.*

Iudicantia enim statim ab initio aparere non debent; sed post peractam coctionem. Nam ab initio comparentia, pravam humorum qualitatem, & irritationem significant, vel naturam debilem, impotentem humores regere, aut concoquere, & suo apto tempore expellere. Quare significatur hæc symptomaticè expelli.

Prognostica diversorum auctorum.

GAlen. lib. de motu musculorum cap. 4. in sententia Hip. *decubitum acutè febrientium, in alterum latus commendat.* Nam robor virtutis animalis, corpus firmantis arguit.

Et si enim decumbens homo, super uno latere, quiescere ad sensum videatur, revera non omninò quiescit, sed fit motus musculorum, tonicus appellatus, in quo operantur musculi, hinc indè trahendo; animali, rectrice facultate, corporis molem regente, ac sustentante, tacito quodam motu; nam mortuum corpus, si in latere collocaveris, ne minimo quidem tempore, in latus manebit; sed pronum, vel supinum decidit. Idem contingere observamus in valdè delassatis a labore hominibus.

Plura autem commoda, ex decubito in hoc, vel in illo latere contingunt. Nam commodum est ex Avi. 3. 1. doct. 2. cap. 9. *in latere dextero primum somnum capere, ut supernum os ventriculi claudatur, ad meliorem concoctionem.*

Elaborato verò iam chylo in sinistro latere decubitus est oportunior; quia compræssione iecoris facta tunc chylus promptius ex stomacho delabitur. Idcòque sumpto medicamento validè purgante per aluum, decubitus in latere sinistro interdicitur.

Sani qui in latere sinistro dormiunt, quia tunc os ventriculi supernum (quod exquisitissimo sensu præditum est) comprimitur, somni interruptiones, & turbationes patiuntur, quandoque nauseam, & vomitum.

Ex decubitu autem supino plura damna contingunt, nam a capite fluxiones, promptiùs ad pares infernas feruntur, relicta consueta via, nempe per nares, palatum (ubi insidet glandula pinealis, cum infundibulo catarhi) atque partes anteriores.

Quare sic dormientes periclitantur de apoplexia, paralysi, & decubitu catarhi ad spinalem medulam; vel ejus nervos, vel etiam ad renes, & instrumenta urinæ.

Quare in defluxionibus solummodo factis ad oculos, supinus decubitus commendari potest, ad fluxionem avertendam.

Ætius tetrab. 2. serm. 1, *Stillam sanguinis in quarta in acutis affectibus detestatur.* Quia iudicatoria non iudicantia semper læthalia; naturam enim aggravatam, & non potentem excernere significant.

Sanctorius in statica sua observavit, quòd *in febri acuta, si contingat extremorum frigiditas, nisi interius incalescant lethale signum, & causa est; impedita enim transpiratione, fit mors.*

Zechius observavit, *etiam febres intermittentes longas in senibus læthales esse.* Memini quòd Exc. D. Beccari Montagnanæ senex febri longa intermittenti obiit, scilicet die 63. a decubitu, magno testimonio quòd in senibus etiam mites febres, & sine multo calore; tum intermittentes, debilem facultatem Vitalem prosternere possunt.

Thomas Willis de febribus cap 4. Observat, quòd *febris tertia si intra modicum tempus terminetur, est medicina; per eam enim crassæ materiæ attenuantur, & viscerum obstructiones atque impedimenta removentur, totumque eventilatur.*

Sed si diutiùs protrahatur, ad instar vini nimis fermentescentis, massa sang. vapescit, vel acorem contrahit, fiuntque plurima mala &c. spiritus etiam vitalis calorificus plurimum imminuitur evaporans; massa sang. ab assumptis in stomacho debili malè concoquente parum reficitur, ac restauratur, sed vapida, acrior, & salsa in dies fit, atque minus circulationi proportionata, & apta.

Mors itaque contingit, quia massa sang. sicuti in statu sano convertit, & deducit chylum a stomacho procedentem ad cor, in probum succum nutritium.

Ita in statu febrili, illum alterare non potest, & in probum, nutritium succum deducere (ideòque febricitantes in dies emaciantur) sed in pravum succum alterat, & corrumpit, nutriendis membris ineptum, atque morbosum fomitem febri præstantem quare vires labuntur, & languente expultrice, excrementa a corpore abscedere non possunt, ut fiat crisis; inde mors subsequitur.

Thomas Vvillis pariter observavit, quod *febres, quæ omnibus accidentibus carent, circa quartam vel quintam diem cognoscuntur, non sic quæ habent accidentia, vel symptomata varia.*

Item observavit, quod *in febribus consistit periculum vitæ in hoc, quod materia febrilis ritè, & rectè subigi, alterari, & bonorum succorum dulcium, ac mitium mixtione attemperari non possit, pr̃ mala diatesi in massa sang. introducta, & pr̃terea procul a vasibus magnis cordis propulsari non possit a spiritu sensitivo calorifico languente, debili, plurimùm imminuto, ac resoluto per febrem.*

Tunc ergò massa sang. corrupta, nutritioni inepta, vitæ muneribus fungendis inepta, & improportionata morti locum cedere compellitur.

Riverius observavit lib. 17. Quod *febres acutissimæ ac perniciosæ rarò fiunt sine interna peculiaris alicuius visceris inflamationi, vel affectione.*

Prognostica febrium ex Sylvio desumuntur in genere *a pulsu, & urina.* Pulsus enim magnus vehemens, animosum reddit medicum, ut magna auxilia æger perfere possit; & quod massa sang. non admodum a statu naturali recedat; sed spiritus sensitivus calorificus massam sang. fermentescens, eam bene regere valeat.

E contra significat pulsus debilis, languidus. Quo-

ad

ad urinam, quo laudabiliori contin:t signa coctionis, eo melior &c.

Breves, & securæ solent esse intermittentes si bonus sit totius habitus. Si viscera benè affecta, si ver, vel æstas sit, si eger obsequens non multo utatur cibo; & parcè bibat. Vel e contra &c.

Febres omnes continuæ, quia morbi acuti sunt; (imò veræ bases in quibus fundantur morbi acuti) ideò ex Hip. aph 19. *Acutorum morborum non sunt omnino certæ prædictiones salutis, vel mortis.* Febris, vel morbus si acutus fuerit, non solet excedere terminos acutorum, scilicet quartum decimum, vel vigesimum primum,

Vrina quanto ab initio rubicundior, tanto acutiorem morbum, & brevi terminaturum significat.

Læthalis futuræ febris signum est si in singulos dies vires magis prosternantur, citrà ullam crisitam evacuationem, invalescant agrypniæ (vigiliæ) & dolores capitis indè delyria, motus convulsivi; iam corrumpi incipiente sero alb. in cerebri officina, & nutritione spermaticorum membrorum deficiente (in quibus vires constituunt) ideò urina alba, subingalis, confusa aparere solet.

Febres quæcumque factæ a bile hæc quantumuis copiosa vel acris, nunquam mortem attullit; sed inducit æstum ingentem, qui proprius, & naturalis cruoris est, dum a spiritu vitali calorifico veluti in flammam accenditur; tunc ergo cum calore, & siccitate ægrum affligit.

Brevi tamen tempore, quia tenuissimus humor, mobilis est; cuius separationi a massa sang. natura instituit suprà cætera viscera, maximum mecanicum organum iecoris, cum apenso sacculo, in quo bilis infestans præcipitatur, ut deindè per viam veluti regiam, & tritam per alvum excerneretur.

Quare alui fluores fræquentes contingunt, per quos omnis copia bilis, citissimè evacuari potest. Vel ichor tenuissimus salinus bilis, dilutus a lympha lotrice, intra pauca momenta a centro ad ambitum vergens, per sudorem, vel etiam per insensibilem transpirationem evacuari potest, in magna quantitate.

Tunc ergo periculosa symptomata exurgunt, & mors obrepit; quando ab ingenti igne febrili fugata, & resoluta in halitum lympha (cuius munus est massam sang. diluere, fluidam reddere, cruorem attemperare sua frigiditate, & humiditate aquea; ne tam promptè flammam concipiat; serum verò alb. ad concrescendum pronum, fluidum pediffiqua reddere.)

Tunc duo massa sang. universa depravatur, & incrassatur a calore igneo, & præternatutali alterata, ita ut hinc indè fiant stagnationes atque impedimenta naturali, & necessariæ circulationi, reddaturque præterea inepta nutritioni membrorum, & restaurationi fermentorum in visceribus; inde vires labuntur, & naturalis facultatis munia, adeò vitæ necessaria imperfectè celebrantur.

Vnoque verbo tota æconomia animalis subvertitur; horrendaque in universis facultatibus symptomata exurgunt; neruosarum partium affectas (iam affecto per consortium cruoris affati, sero alb.) manifestantur, deliria, motus convulsivi, vigiliæ.

Et quod mala adauget, est quod eadem massa sang. depravata, & incrassata, stagnationes, atque inflammationes in visceribus efficit; ob impeditam bilem, a suo excursu naturali, a sero alb crasso, corrupto veluti ligatam, ut non possit libera evacuari.

Indè fit mors; quia scilicet iam non restat ampliùs in massa sang. humor spiritui vitæ proportionatus, & qui possit sufficere facultatibus omnibus exercendis; qui moderetur ignem febrilem, in corde accensum, & cruorem comburentem.

Quamobrem ex his nostris principiis, & inuentis seri alb. & vsus viscerum, atque pedisequæ lymphæ dependet universa prognostica febrium.

Quæ scilicet consistunt in observatione, quomodo se habeat serum alb. spermaticarum partium nutritium an scilicet permaneat in suo naturali statu dulcis liquor, blandus, frigidus, humidus, cum pediffequa lotrice limpha (veluti Venus concomitata a Pitho, quæ martis ferociam moderatur;) nam integro manente sero alb. impossibile est in acutis febribus, mortem subrepere posse, scilicet nutritionem membrorum spermaticorum deficere, inde viris omnes vitalis, animales, & naturales concidere.

Percurrantur universa symptomata læthalia, atque observabuntur originem ducere a sero alb. cum coniuge spiritu graviter læsis.

Febris ipsa maligna, vel pestilentialis, non poterit veneno suo interficere, nisi, post incrassatum, corruptum, & præternaturale factum serum alb. tunc enim omnis æconomia animalis subvertetur.

Concludimus ergo, quòd febris, hominis temperamenti calidi, facile accenditur. Cruorque naturaliter per assiduam in cordis vasibus fermentationem, facilè ignitur, & dum flammula vitalis cordis assiduò ascenditur de se generat fuliginem, seu bilem.

Per febrem verò quia accelleratur in duplo massæ sang. fermentatio, ideò quantitas bilis duplicatur, quæ tamen tenuissima, mobilis, faciles vias ad exitum adinvenit; tum præter ingentem calorem, & siccitatem, nil formidabilis habens, est causa vt solę partes carnosæ, rubræ, defraudata nutritione cruoris contubescant.

Sed illæ febres horrendæ sunt, quæ sero alb. contaminato, partium spermaticarum nutritionem tollunt, ut vires omnes simul concidant.

Vel quæ sine ulla accensione cruoris, cum tepido calore, vel nullo, serum alb. a veneno coagulativo contaminatur; ita ut vix datis aliquibus signis capitis læsi, hominem de repentè mortuum in terram cadere faciunt, ut in plurimis pestilentiis evenit.

Indicationes in febribus, & morbis acutis atque annotationes præcipuæ.

CIrcumspectiones, atque indigentiæ quæ in febribus, & morbis acutis haberi possunt; non sunt adeò paucæ, ut vulgus putat, & in solitis consultationibus habentur, sed multiplices, & dignæ sua ponderatione, ut iam iam monstrabimus.

Centum oculos Argus, centum cervice gerebat. Ovid.

Medicus tamen, qui Argo circumpectior esset bis centenis, & ultra circumspectionibus oculatior si fuerit, vix Vitam in acutorum discrimine versantem, servare poterit, sui ægrotantis.

Præcipua febrium curandi intentio Neotericorum est, per sudorem evacuando; nam Archeus in febribus, sine ullo medici auxilio, ex se ipso insurgit, & facto calido sudore, paroxismum; atque morbi causam tollit, suamque indigentiam prudenti medico estendit.

Secundo. Fermentatio febrilis, pro viribus inhibenda, ne paroxismum concitet. Massa igitur sanguinea ad suam naturalem temperiem, restituenda. spiritus agitatus paccandus, ut non excedat limite naturales sui motus fermentativi.

Tertio

3. Depravatio cruoris, scilicet eius assatio, & combustio facta a spiritu calorifico in igneum mutato, ne in fuliginosam, amaram, flavam bilem vertatur precaveri debet.

4. Deobstruendi sunt tubuli illi, in quibus latent particulæ, quæ ob stagnationis moram corruptæ, & acidæ factæ, ad cor delatæ, massæ sang. mixtionem, præternaturali fermentatione turbare possunt.

5. Sudorifera itaque præcipuæ considerationis sunt in febribus; quia obstructiones, & impedimenta undique tollere, vias aperire, & amplas reddere possunt. Tum particulas acidas corrigendo per vias tum urinæ, tum præcipuè sudoris cutanei eliminant, fermentumque febrile præcipitant, chyli aciditatem massæ sang. fermentativam infringunt.

6. Sudorifera itaque vera, solent esse acria acuta tenuim partium, quæ particulas acidas, incrassatas, febriles corrigere non solùm; sed ex suis tubulis mouere, ac elycere valent; & sic obstructiones, atque impedimenta, a crassis, pituitosis succis removere possint.

7. Hæc itaque sudorifica præcipua, ex salibus volatilibus parantur. Quæ tamen in declinatione exhibenda (monstrante hoc natura, quæ in declinatione sudat spontè sua) ut sic per largiorem diaphoresim, fermentum febrile pellatur observabile namque est, quod fermè nulla febris absque sudore perfectè iudicata fuit. In declinatione igitur siue uniuersali, siue particulari paroxismorum febris, sudorifera optima sunt.

8. Diaphoretica quoque in toto febrium decursu, sunt utilima, liberum, & copiosam transpirationem promouentia, cephalalgiam tollentia, & potissimum si eligantur temperatiora, non acria, neque atomatica, neque oleosa; sed quæ absorbentia communiter, seu præcipitantia dicuntur, atque volatilia macra.

9. Paroxismi igitur, qui cum sudore terminantur longe breviores sunt, & *facilioris curationis*. Febrisque nisi per sudorem terminetur, ægrum tutum non facit a recidiua.

Sudor tamen nisi natura aliquo modo inclinante fieri obseruetur, non est arte procurandus, ante quàrtum paroxismum, vel saltem aliqua signa concoctionis appareant, atque iam uniuersalia præmissa sint. Tunc exhibeantur una vel altera hora, ante paroxismum. Abstinendo animis calidis, volatilibus, aromaticis, fiticulosis, febris æstum augentibus.

10. Ad sudorem tamen cogendi non sunt ægri stragulis &c. potissimùm circa initia morbi, quando materia est adhùc cruda; nam absque euphoria debilitantur.

11. Si corpus perspirabile observetur ad sudorem inclinare, tunc potentiora sudorifera usurpari poterunt. Secus mitioribus agendum, ne massæ sang. motus magis turbetur.

12. Quo verò maior fuerit malignitas, eo fræquentior, & copiosior fit usus sudoriferorum. Ita ut intra spacium 24. horarum, ter propinari possit. Interea stragulis æger opprimendus non est, sed ad tollerantiam tegendus.

13. Interim ne lympha copioso sudore exhauriatur, potu largiori sunt reficiendi.

14. Tum ad vires potissimùm stomachi seruandas, in copioso sudore, tum post sudorem, blandis acidis reficiatur æger, succo citri potissimùm syrupo rubi idei, granatorum, rhibes, grespina, onfacio, spiritu salis dulcis, tinctura rosarum, vel florum papaueris, acidula facta spiritu vitrioli, decocto scorzoneræ cum syrupo acetoso.

14. Sudorifera interim alexipharmaca blandiora in forma pulueris sunt species hycenthinæ. Puluis Marchionis Augustana. Cornu cervi philosophicum, cum sale volatili cornu cervi, vel viperarum. Puluis spinæ viperinæ. Lapis bezoar tum orientalis, tum occidentalis. Antimonium diaphoreticum Bezoar minerale. Vnicornu verum, tum fossile Cinabaris antimonii. Canfura. Opium. Species liberantis Augustanæ oculi cancri, & quæ titulo absorbentium veniunt.

15 Ex Helmontio, & Paracelso unica falce amputantur, & tolluntur omnes causæ occasionales febrium, scilicet *per mercurium diaphoreticum Paracelsi*, quem iam iam ostendemus.

16 In acuta febre, licet sudores in prima, seconda, terza, die apareant, *quia sunt symptomaticę* evacuationes non sunt sudoriferis veris iuuandæ; secùs febris exacerbabitur. Viscera succendentur, spiritus sensitiuus calorificus, magis concitabitur; Prauaque humorum qualitas intendetur, in icorescentem tenuem materiam fuso, atque liquato sanguine.

17. Thomas Vvillis lib. de febribus ait: *Neque diaphoretica, neque cardiaca calida in febrili paroxismo exhibeantur, cordis enim motum magis intendunt, & massam sang. rarefaciunt præ adaucta effervescentia; quare obseruatum est, quod non rarò mortem accellerant; sicuti ventorum flamina ædibus incendio flagrantibus.*

18. Imò (ait) *potius opiata, & anodina adhibeantur quæ spiritus calorifici impetum, & massæ sang. motum moderantur. Tum liquores vegetabilium acetosi*, vel etiam mineralium, tum nitrum, & nitrata, quæ sanguinis æstum cohibeant, & sitim, ac siccitatem partium spiritalium moderentur.

19. Prosequitur dicere: *Aquæ ardentes, seu spirituosæ, pulveres bezoardici, & similia validè per sudorem moventia, quandiù morbus malignitate caret, procul absint, potissimum si urina cruda, & perturbata sit. Sed expectanda est aliqua concoctio, & quod spiritus se recolligat.*

20. Alibi ait: In vehementi calorifica febri, cum condictionibus calidis, temperamenti, ætatis, anni temporis &c. *omissis calefacientibus omnibus, in usa refrigerantium, & acidorum potissimum insistere debbemus*, ne ebullitio massæ sang. maior fiat, & humores tenuiores, & agiliores fiant.

21. Sylvius acidis potissimùm sudorem promovere contendit; deindè sale volatili constantibus utitur.

22. Sudorifera a proprietate, ut sunt flores papaveris erratici, quocumque modo adhibiti, tum papaverina, & opiata, quocumque tempore in febribus æstuosis adhiberi possunt; sed noctu potissimùm.

23. Sudorem moventia, urinam quoq; provocāt; ideoq; sudoris tempore, emulsiones ex quatuor seminibus frigidis in ferventibus febribus tutò exhiberi possunt, cum aliis frigidis, acidis, blandis diureticis alkalicis, aqueis.

24. Sudorifera autem vera, tum urinam moventia calida, tuta non sunt, nisi in declinatione, iam deposita plenitudine, & quando apparentibus aliquibus signis coctionis in urina, æger sudare incipiat.

25. Sudores autem nisi critici sint, seu cum leuamine, cohibendi, aeris refrigeratione. Conspergendo pavimentum frigidis foliis, glacie, aceto: Fenestras aperiendo. Faciem frequenter oxicrato conspergendo. Epithemate refrigerante cordi, & hepati adhibito. Pulvere ex rosis, balaustiis, collo, thoraci, alis, inguinibus insperso; nisi tamen interna inflammatio adsit.

26. Zac. Lusit. lib. primo prax. admir. sustinet, quod *sudor in febribus magna cautione abstergendus est, neque abstinendum a subuculis & aliis mundis prius probe exiccatis, & contrectatis, secùs sudor ipse sibi opilat vias, & porositates, cutem infrigidat, et sic sudor prohibetur, cum magno ægri detrimento.*

27 Observ. etiam, quod quæ laticem per sudorem fundunt; vel per se, vel per accidens exiccant, quare *humectantibus siccatis obsistere debemus.*

28. Sive sudorifera, sive quæ titulo Cardiacorum exhibentur calida, in febri æstuosa cautè exhibeantur, ne massa sang. in confusionem agatur.

29. Tachenius in *suo* Hip. chymico notat, quòd dum sudor bene procedit; *copiosius bibere licet.*

30. Materia quoque versus statum sufficienter attenuata, & subacta, *largius bibere agris concedatur* (& non prius) sic enim copiosior sudor sperati poterit.

31. Hip. prima aph. 24 *In acutis purgante in principiis morbi utendum* esse docet nec non in 4. aph. 10. *purgandum in vade acutis, si materia turgeat eadem die; morari enim in talibus malum.*

Si igitur cum febre acuta observetur materia turgens, quæ scilicet moveatur de loco ad locum, inquieta, & tentans in aliquo loco firmari, atque inflamationem facere; tunc sine ulla cunctatione iubet Hip. ut validum purgans exhibeatur (quale erat veratrum suo tempore) catharticum potissimum, & hemeticum simul, prout sunt variæ præparationes antimoniales, vel mercuriales.

32. Sic pariter in 2. aph. 29. iubet, ut *incipientibus morbis (intellige acutis) si quid tibi movendum videtur move, vigentibus enim melius est quiescere.*

33. Bellinus super hæc ait: *Si de bilis copia, & turgescentia indicia adsint, purgari per vomitum expedit antimonialibus, sic enim naturæ motum iuvabimus*, quæ agilis, & irrequieta, non ligata a pituita, magis inclinat ferì sursum per duodenum, ad ventriculum (inde faciles vomitus bilioforum) quam descendere ad intestina crassa.

34. Hip. 4. aph. 61. *Debiles, graciles, facilè vomentes, sursum purgandos esse monet; virando hyemem.*

35. Æstate quoque magis *per superiora, quam per inferiora commendabilis est purgatio* 4. aph. 4. hyeme verò magis per inferiora.

36. Sylvius ait: *pro fabura a primis viis eliminanda, nil aptius hemetico statim a primis diebus febris, & antequam materia crassa attenuata a calore febrili liquata transeat a Ventriculo, & intestinis, ad vasa mesenterii, & viscerum, atque inibi obstructiones, atque impedimenta constituat.*

Facilius est enim ut per commotionem vomitus, materia regrediatur per eandem viam per quam ingressa est; quam mora concessa, expectare ut attenuetur, & ulterius progrediatur, atque in vasibus angustioribus insinuetur stagnationes, & opillationes factura.

37. Morbo autem iam radicato, atque iam malè stomacho affecto, & minus valido, tutius est a vomitoriis abstinere, & potiùs purgantibus per aluum uti.

38. Nam vomitoria prosunt, statim in principio quandò stomachus validus est, sed laborat nausea, subversione, cum quæcordiorum gravitate. Sic enim liberatis primis viis, a recrementis viscidis, liber transitus, & exitus conceditur bili, ut sursum, vel deorsum excerni possit.

39. Iterum enim atque iterùm inculcamus, quòd nisi bilis a succo crasso viscido pituitoso ligetur, & per vim secùm manere cogatur non est possibile quod tenuis, mobilis, irrequietus humor possit diù in corpore manere.

Manet igitur impedita exire; inde vera deducitur ratio, cur vomiteria ex. gr. antimonialia tantam copiam bilis evacuent postquam præcessit evacuatio pituitorũ, quę erant in causa ut bilis purgari non posset.

40 Apertis igitur viis, ut liberè bilis purgari possit, admiratur deindè medicorum vulgus, quod sine ullo alio auxilio per sola hemetica, febres pertinaces tertianæ quartanæ sanari conspiciantur; bilis enim impedita, est verum, & legitimum fermentum febrile, sine quo nulla febris diu observari potest.

41 Indicationes igitur sint eradicandi pituitam viscidam ligantem bilem; nam a vinculis soluta undique sibi inveniet viam ad exitum. Est enim mobilissimus liquor, contentus modicam invenire quietem in sua cysti, per vasa cholidoca deinde exitum per alvum habitura.

Habet enim suum maximum incerniculum hepar, eiusque cystica vasa separatoria, innocentissimus secùs liquor, multis usibus naturali facultati (atque præcipuè expultrici) mirè inserviens, & calorifico suo blando fotu ventriculi concoctiones promovens, suoque balsamico amarore chylum a corruptione defendens, quibus claudicantibus, tota animalis æconomia claudicare compellitur quæ omnia iam fusè in nostris inst. med. ref. exaravimus.

42. In febribus cronicis sudorifera, tum diuretica primum locum occupant ad materiam frigidam, crassam torpidam movendam, ac resolvendam.

43. De transpiratione libera, semper solliciti esse debemus in febribus.

44. Si conqueratur æger de saporibus amaris, vel nauseabundis circa os, manè præcipuè evigilans, vel sentiat angustias, & molestias circa præcordia, vel vertigines, nauseas, vomitus; exhibeantur grana tria tartari hemetici, cum sale armoniaco. Vel syrupus hemeticus Angeli salæ. Vel aqua benedicta Rulandi, vel vitriolum album ad Dramg. 5. in iusculo.

45 Sylvius pluries repetit, quòd ubi pituita, cum bile inviscata, circa primas vias reperitur, tertias vel quartas concitat; tunc hora vna, vel altera ante paroxismum exhibeatur vomitorium antimoniale, sic enim febres sepissimè iugulari observavit.

46. Helmontios autem observavit, quòd vomitoria accidentaliter tollunt causam febris, scilicet inquinando atque *contaminando materiam peccantem, eamque reddendo odiosam*, sunt in causa, ut spiritus sensitivus calorificus insurgat iratus, ad eius expulsionem.

46. Fomes materiæ febrilis a primis viis removendus, abstergentibus, incidentibus euacuantibus.

47. Purgantia tamen per aluum vehementiora cruda adhùc existente urina vitentur, ne turbetur magis motus massæ sang. Crudis enim humoribus existentibus, irrita fit eorum purgatio. Vires interim potissimum stomachi debilitantur. Febrisque fit efficacior, & diuturnior, ita ut ex simplici sepè transeat in duplicem febrem.

48. Sed iam concocta materia, & apparentibus urinis cum signis concoctionis, locus est purgantibus.

49. Galenus de arte cur. ad Glauc. *In febribus in quibus alui fluor adiunctus est, non molieris evacuationem esto idem alui fluor non videatur satis ad plenitudinem.*

50. Ideò Zac. Lusit. in febribus alui fluorem annexum habentibus, cæteris auxiliis anteponi *lapidem bezoardicum*, sed in magna quantitate, nam in pauca, vix prodesse potest.

51. Hip. lib. 4. de morbis, iubet ut in febribus acutis, sticulosis [factis scilicet a materia corrupta circa stomachum] *plurima potio exhibeatur, deinde vomitus procuretur penna vel digito; sic enim biliosa etiam educentur.*

52. Vniversaliter in febribus ventriculo super omnia respectus habendus est, est enim instrumentum primarium Vegetativæ potentiæ, & principium nutritionis, virium, & salutis, vel excrementorum, debilitatis, &

mor-

mortis; quare intentiones ſemper vigent, ut ab excrementorum pondere deoneretur; ut muneri ſuo optime celebrandæ concoctionis vacare poſſit.

53. Uiſcerum infarctus liberandi.

54. Viſcerumque fermenta ad ſuum naturalem ſtatum reſtituenda. Et ſic eorum vires firmandæ.

55. Morbi minera indaganda, ac extirpanda, ut ſic recidivæ metus tollatur.

56. Depravatio ſeri alb. dulcis, nutritii pro viribus arceatur. In eo enim ſolo, ſpes eſt virium, nutritionis membrorum ſpermaticorum, & attemperationis cruoris conflagrantis.

57. Ne maſſa ſang. ad præternaturalem fermentationem concitetur curandum eſt, & ſic paroxiſmi inhibitio tentanda eſt.

58. Vt fiat critica materiæ peccantis expulſio, dies apti expectandi patienter ſunt, nil præcipitanter agendo.

59. Critica verò expulſio ſi imperfecta videatur iuvanda erit.

60 Perfecta verò criſis monitu Hip. in prima aph. 20. finenda eſt, nihil innovando, ſine purgantibus, ſive aliis irritamentis.

61 Apta electione ciborum, & auxiliorum, chylus præſervandus eſt, ne in primis viis alteretur, & corrumpatur. Nec non poſtquam ad cor pervenerit, adeò facilè alteretur, & in ſuccum febrilem vertatur.

62. Obſtructionibus, atque impedimentis oblatis ſpiritui, ac maſſæ ſang. ne undique permeare poſſint, & liberam circulationem humorum exercere valeant; magnus ſemper reſpectus habendus eſt.

Sunt enim fundamentum præcipuum turbati motus in ſpiritu, & in maſſa ſanguinea, & ſine quo febres diuturno tempore ægros vexare non poſſunt. Eventillata enim maſſa ſang. multò minus conflagrare poteſt. Et viis liberis excrementis factis, diùtiùs in corpore manſionem facere nequeunt.

63. Digeſtiva igitur, alterantia, deobſtruentia, fermenta viſcerum, & diſcraſias corrigentia, a decoctis, vel ab elicitis ſpiritus vegetabilibus, & eorum ſalibus, tincturis, extractis a prudenti medico elyciuntur.

64. Si autem agatur de materia valdè craſſa, viſcida obſtruente, aſcendendum eſt, ad ſalia volatilia, aromatica, tartarea, ſalia tartari volatilia vel ſpiritus.

65. Omni autem ſtudio ſpiritus ſenſitivi, calorifici (Archei) indignatio paccanda, quòd præcipuè fiet removendo ſpinam, ſeu cauſam occaſionalem, materiæ peccantis, vel ſaltem eadem correcta, ut deindè facilis ſit eductio eius.

66. Viſcidæ pituitæ oculos intentos habere debemus, & omnem induſtriam ponere, ut incidentibus attenuantibus, detergentibus tollatur, ſola enim obſtructionum, atque impedimentorum cauſa eſſe conſuevit.

67. Succo pancreatico acido, qui per ſtagnationes & impedimenta, acrior, & moleſtior fit in febribus longis, & in quartanis, obviam eundum eſt attemperantibus, & blandè educentibus per alvum, ad quam habet naturalem inclinationem, & viam.

68. Aciditas, ſeu cruditas præternaturalis chyli in febribus fieri ſolita, attemperantibus dulcificantibus corrigenda, ac moderanda eſt priùsquam ad cor delata, maſſæ ſang. motum, inducta præternaturali fermentatione turbet.

69. Deſperanda res eſt, quòd nova ſemper excrementa non generentur, & quod nutrio bene procedere poſſit niſi ad naturales, & conſuetas ſuas functiones univerſa viſcera, ſeu organa nutritivæ potentiæ redigantur, quod fiet morbis organicis impedimentorum ſublatis, ac naturali temperamento, tum fermento reſtituto eiſdem.

70 Quæ ab acidis errantibus coagulata fuere, atque incraſſata, torpida facta, attenuantibus, incidentibus corrigenda ſunt, atque fluxilia reddenda, ut per vias excrementorum, eliminari poſſint.

71. Ideoque in febribus cronicis, ab his incraſſatis coagulatis humoribus factis, univerſa amara, tenuium partium, ſunt magnæ efficaciæ, ad fermentum febrile tollendum, ad ſuccos acidos, frigidos, incraſſatos, torpidos movendos, fluidos reddendos, & de ſua ſede, ac minera deturbandos.

72. Sicuti in cauſa bilioſa, tenui, calida, plurimum valere poſſunt, mediocriter incraſſantia frigida, aquea, maſſam ſanguineam diluentia, & penu lymphæ exhauſtum reſtaurantia; quod fieri ſolet per cicoracea omnia &c.

73. Ideoque univerſa, quæ accedunt ad naturam lymphæ (præ caloribus exhauſtæ, tum præ ſudoribus, & aliis excretionibus) maximè in febribus conducunt; lympham ſcilicet adaugendo, & imminutam reſtaurando, per aquas deſtillatus, emulſiones, & conſimilia.

74. Vitiata craſis maſſæ ſang. emendanda, per ſpecifica antifebrifuga. Acidumque fermenti febrilis, corrigendum, abſorbendum, attemperandum, ut ſic fermentatio ab eo concitata ſiſtatur, & compeſcatur.

75. Quia tamen certum eſt, quod ſpiritus ſenſitivus calorificus (archeus) per concitatam a ſe febrilem efferveſcentiam in maſſa ſang., conatur ipſam depurare.

Ideò non ſemper materia cruda exiſtente, conducit ſopire Archeum, ne concitet acceſſiones febriles; ſeu febrem ſoparare. Sed prudens conſilium eſt, tunc relinquere, ut per aliquot acceſſiones febriles Archeus attenuet, preparet, & concoquat talem crudam materiam, quæ teſtimonio Hip. in coac. *nullis artibus, nullis auxiliis adhibitis obtemperare neſcit; vel non poteſt.*

76. Prudenter igitur medicus ſe gerere debet, procurando ut fermentario maſſæ ſang. intra moderationis terminos maneat; *neque nimis intendatur, neque torpeat, ac deficiat;* & ſic impediatur crudorum concoctio atque inutilium excretio.

77. De cæteris incirconſpectis medicis, cura febrium tota, in vno conſiſtere videtur; nempè in impediendo motu fermentationis præternaturalis.

78. Quia verò ut plurimùm, ea quæ concitant talem fermentationem præternaturalem in maſſa ſang. acida ſunt; ideò univerſaliter in febribus alkalica imbibentia, & abſorbentia acidorum fermentantium magnum uſum habere ſolent; quæ tamen tot proſtant, ut labor ſit eligere, non inopia.

Inter quæ numerantur præcipuè cruſtacea, tum tartarea, tum lixivialia, ſaleſque fixi.

79. Præ cæteris cornachini pulvis abſorbentis ſimul, tum præcipitantis, & evacuantis materiæ febrifugæ rationem habet. Hæc inſolita ratione purgantium, ſine ulla turbatione, ſine agitatione bilioſas, acres ſeroſitates purgat, ſine ulla ſpumoſitate, ſine torminibus; intactis viribus ſtomachi, eiuſq; appetentia.

80. Vt mitior fiat cum alkalica bile efferveſcentia, aciditas ſucci pancreatici attemperanda, atque corrigenda eſt tartareis, ſalarmoniaco, & aromaticis.

81. Silvius nil magis inculcat, quam quod in febribus intermittentibus omnibus, *vitioſa efferveſcentia duorum pugilum (fellis, & ſucci pancreatici) circa inteſtinum duodenum emendetur, & mitis, atque naturalis procuretur.*

82. Ad efferueſcentiam præternaturalem a nimia ſanguinis rarefactione excitatam moderandam, modicè incraſſantium vſus celebratur.

83. Tum acre, acoroſum, ſalſum, quod cor vellicat non ſolum attemperandum; ſed removendum eſt.

84. Flatulenta quoque ſi quæ adſint, quia ſunt cauſa maioris turgeſcentiæ removenda ſunt, diſcutienda, atque eorum ortus præcavendus.

85. Ab inferis ergo si meteorizent ad cor cruda flatulenta, atque efficiant palpitationes in corde, vel anhelationes, atque difficiles respirationes impulmonibus, vel in capite cephalalgias, dolores, somnolentias &c. discutiendi, novulque proventus inhibendus.

86 Ad corrigendam bilis salinam acrimoniam, plurimum valent acida temperatiora ex. gr. spiritus salis dulcis &c.

87. Ad minuendam verò bilis copiam, sine excitatione caloris adhibeantur cholagoga blandiora ex fructibus, subacidis mixta, nitro, cremore tartari sale tartari, tartaro vitriolato &c.

88. In febrifugis a proprietate, magnam spem reponit Helmontius, & ait: medicus in febribus, nil magis attendat quam ad sedationem Archei, quo sedato certè sedatur omnis effervescentia, & febris, prout testantur varia febrifuga.

89. Gal. de arte cur. ad Glauc. Vbi vehementes vigiliæ, vel intensi dolores excruciant, cavendæ sunt omnes subitæ, & copiosæ evacuationes.

90. Cavendum est etiam, ne per nimiam potionem frigidam, potissimùm in paroxismo adhibitam, non solum paroxismum protrahatur, sed materia peccans incrudetur, inde coctionis, & secretionis opus diutiùs prorogetur.

Instat etiam periculum per frigidæ copiosæ in paroxismo sumptionem, ne ventriculus labefactetur, indè ad vomitum irritetur; incrassatis etiam in primis viis humoribus, ac refrigeratis diaphoresis impeditur; & erupturus sudor inhibetur.

91. In principio, & augmento vera, & fortia cathartica per alvum, tutius est omittere, tum diaphoretica, tum quæ spirituosa, nimis sanguinem fundant est enim tritum proverbium, quod æquo in præcipiti cursu calearia addenda non sunt, ne cadat.

92 Tunc ergo potiùs blanda demulcentia, ac mitigantia opiata, & papaverina, in vespere potissimum propinanda sunt, ut nocturna quies impetretur; qua mediante facultates omnes refocillantur, & membra nutrita vigorantur, viscera recreantur.

93. Illis quibus suspecta sunt opiata, saltem adhibeantur tunc anodina, mitigantia, quæ bilis acrimoniam infringendo, quietem delassato, & veluti cursitanti spiritui donent.

94. In re autem magni momenti, & quando de multo maiori incendio indicia adsint, a bile exardescente; tunc sine aliis circumspectionibus nocturna quies exhibitis opiatis, & nartoticis procuranda, in morbi augmento erit.

95. Nec non accedendum erit ad ea, quæ potenter viscera æstuantia, ac fermè inflammata refrigerare, humectare, atque lenire possint; ex. gr. emulsiones ex 4. seminibus frigidis &c.

96. Postquam verò in statu, signa concoctionis in urina aparuerint, si segnior naturæ motus videatur, tunc prudens medicus, & cautus, modo per purgationes, modo per diaphoretica, aut alia, naturam stimulare non desistet.

97. Si autem omnia sint cruda, & urina cum pravis signis, & absque sedimento, vires autem sint fractæ; tunc neque per alvum, neque per sudores, evacuationes tentandæ sunt; secus in magno vitæ discrimine ægri constituentur.

98. Potiùs in hoc casu viribus attendendum est, atq; nobilioribus temperatis cardiacis reffocilandæ sunt atque immodica spiritus & massæ sanguineæ effervescentia simul mitiganda, coralys, margaritis &c.

99 Amara autem, aromatica, calefacientia, ut sunt absinthiaca, centaureum minus, gentiana, & similia nisi in febribus intermittentibus, & in quibus valdè crassa materia peccat, adhibenda non sunt.

100. Emuleta ex araneis non esse contemnenda universus chorus experimentatorum conclamat; quæ varia ratione parantur prout ostendemus.

Monita pro peculiaribus febribus.

101 IN febribus sive malignis, sive pestilentibus in quibus observat medicus, quod non calor, sed maligna qualitas est ea, quæ præcipuum facit negotium [calor etenim non admodum intensum urget) tunc alexipharmaca cordialia, calida aromatica diaphoretica præstat exhibere.

102. In peste verò, cùm febri ardente, minus tuta sunt calida, aromatica, theriacalia; sed saltem valdè diluta, & acidis attemperata propinentur.

103. In malignis sudorifera sint alexipharmaca, meliusque est prevenire, quam præveniri, maturius exhibendo, immitatione naturę quæ quarta circiter die peticulas, & malignas materias citiùs etiam expellere festinat.

104. Quia varia sunt venena maligna, vel pestifera, & varia indigerent, ac peculiaria apropriata alexipharmaca, quibus fermentum malignum debellari posset, est ratio cur rarò tales febres recta ratione curari possint. Ideoque theracalia, & ex multis antidotis composita cæteris præferi solent.

105. Quæ tamen sudorifera sunt, & simul alexipharmaca primum occupare solent locum, tam in febribus malignis quam in pestiferis. Quorum alia sunt fixa mineralia ex. gr. stylium diaphoreticum Vnicornu fossile, seu bezoar minerale. Vel ex animalibus ex. gr. Cornu cervi. Vnicornu. lapis bezoar &c.

106. Alia volatilia, ut sal volatile cornu cervi viperarum, succini &c.

107. Alia aromatica, ut theriacalia, ut cardus benedictus, scordium, dictamum &c.

198. Quæ tamen calida, æstuantia, tutiùs usurpantur in statu, vel malignitatis ferocia jam declinante.

109. In augmento enim æstus valdè intendi potest ab eis, & capitis potissimum pathemata adaugere poterunt.

110. Quare ad hunc æstum præcavendum, interponantur, vel admisceantur acida ex. gr. spiritus vitrioli, vel succus citri &c.

111. Ex quibus omnibus attemperatis, laudani etiam granulis, & canfuræ admixtis, comendabilis a Neotericis paratur mixtura, cocleatim in singulas horas summenda. Nam præter veneni correctionem, spiritum valdè confortare in opere possunt. Sed quòd sumoperè desiderabile est, non permittunt, ut ad stomachum vacuum, & debilem confluant ichores, venenati maligni, a gratissima aciditate, & amica aromatica qualitate simplicium, procul a stomaco propulsati.

Vires autem nostras, comensurari a viribus stomachi firmi, vel infirmi, centenis in locis exaravi.

112. Quod si febris maligna proveniat a copiosa ingurgitatione horariorum fructuum [ut sepissimè in incautis iuvenibus æstate contingit) tunc ulus citriorum, limonum, & aurantiorum quocumque modo super cætera commendatur, parato succo, aqua, conserva, seminibus, & aliis &c.

113. Canfura, & canfurata universaliter in his febribus, sunt magni emolumenti [sunt tamen alii, quæ naturę quibus canfura hostilis est; sed statim cognoscuntur qûia valdè capitę gravantur) ex. gr. elect. diascordii cum canfura, vel de ovo maximiliani imperatoris, Orvietanum &c.

114. The.

114. Theriaca pariter,& theriacalia admixtis granulis laudani, & canfuræ , plurimùm noctu ante somnum celebrantur . Vel ex his elycita tinctura , cum aqua sudorifera , in his in quibus noctu expectatur sudor.

115. In peste de eis principaliter cogitandùm est,quæ miasma venenosum corrigere possint , illudque potenter per sudorem eliminare valeat.

116. Taliaque alexipharmaca saltem quater in die repetenda, scilicet singulis sex horis.

117. Æger sudans *in peste* , a somno arcendus est ; ne retracto ad interna spiritu, ac sopito , impediatur veneni ex pulsio.

118. Hoc idem fieri debet *(*scilicet somnus arcendus*)* quandò aparent signa incipientis bubonis , vel antracis . Esto æger maximum propensionem se habere ad somnum referat.

119. Vt igitur ab istis somnus avertatur , assiduò spongiola aceto rosaceo madida naribus , fronti temporibus admoveatur , vel linteolo madido tali aceto rosaceo cum canfura frons circumdetur.

120. Si in peste infestent vigiliæ , cum periculo delirii , tunc theriacalia cum opiatis , & canfura admisceantur , intentione sudoris nocturno tempore . Iam enim certò constat per Etmulerum cap.de vi diaphontica opii . Quod opium præstantissimum auxilium est ad sudores promovendos.

121. In principio etiam febris pestiferæ ad coercenda sæva symptomata pestis comendantur theriacalia cum opiatis , in vespere potissimùm theriaca recens laudanum &c.

122. In peste quoque nisi corpus in continuo sudore , saltem in perpetua diaphoresi servetur aptis stragulis , & mixtura theriacali acidis admixta in singulis horis propimata.

123. Magna quoque sit cura de mitigandis simptomatibus , & potissimùm de anxietate , quæ vigere solet circa stomachum , & præcordia , *cum iectigationibus*, & assiduis mutationibus de loco in alium . Tunc enim acidulis mixturis ventriculus in singulus horis recreandus ; tum expectata vesperi hora somni , apta emulsione , ex papaverinis , laudano , vel tinctura opii , quies impetranda est .

124. Si vomitus , & stomachi subversio vexet , cum absorbentibus præstantioribus opiata paretur acidulis mixta succo citri , succo granatorum sympo de berbeti , vel de ribes , aut rubi idei &c.

125. Si cum febri pestilenti diarhea , vel dysenteria vexet , bezoar potissimum in magna copia exhibeatur tum coralliorum præparationes , & boli præstantiones .

126. Si cordis palpitationes angustiæ vexent,emulsionibus perlis , & crustaceis paratis mitigentur.

127. Quandò interim necessaria videantur vexicantia , magna facilitate ,& sine contentionibus cum ægro, & aprehensione adstantium , tangantur illa loca balsamo caustico nostro ; nam solo butyro usque ad integram sanationem adhibito centuplicatum emolumentum obtinebimus quam a vulgaribus uexicantibus; natura enim edocebitur , per externa venena correcta , interna venena , ad partem ignobilem transmittere.

128. Riverius alexipharmaca in quatuor classes distinguit . In prima ponit quæ præter specificam qualitatem , frigida , & ficca sunt , modice adstringentia. Hæc corroborantia dicuntur , & venenum coercent , ne tam facilè diffundatur . Hæc partium dissolutioni compræssione quadam resistunt . Hæc stomacho valdè amica , ne ab externis acribus, amaris, aliisque præter naturalibus succis inficiatur , ac ledatur , prohibent , talia sunt corallia , & aciduli succi vegetabilium.

129. Secunda sunt , quæ frigida præcipitanti qualitate instructa , fermentationem putredinosam , malignam arcent , & a massa sang. particulas allealicas ferventes præcipitant , quales sunt aciduli spiritus minerales , vitrioli , salis , nitri . Tum succus citri ,& acidulorum fructuum &c.

130. Tertia sunt calida , diaphoretica , quæ corruptos , venenatos humores , a centro ad circumferentiam pellere valent , ut theriaca , & theriacalia ex scordio dictamo , angelica , carduo benedicto , zedoaria &c.

131. Quarta sunt , quæ vi specifica , sine ullo primarum qualitatum excessu , venenatam qualitatem in febribus oppugnant , *ut lapis bezoar , cornu cervi* stybium diaphoreticum , viperarum pulvis , & spinarum suarum Primæ quidem , Secundæ , & huius quarto classis medicamenta in principio , & augmento magis conveniunt . Tertiæ verò in statu , & declinatione .

132. Bonum quoque consilium est , alex ipharmaca per vices immutare , ne natura uni assuescat , illiusque vires spernat ; *Tum quia variæ sunt venenorum* naturæ & *species* , tum mira corporum varietus ; quorum causa , quod uni profuit , alteri non prodest .

133. Febris tertia simplex , intermittens , solet in duas intermittentes abire . *Mox in duas continuas* per subingressum paroxismorum , *mox in continuam, quæ* postremò in malignam desinit .

Nulla alia ratione , nisi quia per unicum febrilem calorem , aquei, tenuiores, magis fluxiles liquores nostri corporis , partim resolvuntur , partim incrassantur , *in materiam* tenacem , lentam , hærentem parietibus , arteriarum , venarum , & vasorum ; quæ fit causa (impedito libero transitu cirulationi spiritus , & massæ sang,) *ut* omne genus *symptomatum* consurgat.

Talis igitur materia aquea frigida tenuis , est serum alb. cum pedissequa limpha , quod a calore febrili depravatum , & incrassatum , non potest ampliùs inservire dilutioni atque attemperationi cruoris , ne assetur, & infuliginosam bilem vertatur , & sic febris *in pessimam naturam degeneret , ambobus iam succis nutritivæ potentiæ inservientibus, inutilibus factis*, & sic tota æconomia animalis perit .

Indè constare potest , quod præcipua indicatio sanandi tales febres est vias sudoris liberas , & apertas facere , ut libera circulatio , motusque *naturalis* , & consuetus spiritui calorifico , & massæ sanguineæ servetur , ut sic præservati a perspiratione succi nutritii , inservire possint membrorum nutritioni .

134. Cum certam sit , quod vires nostræ consistant in optima refectione , ac nutritione facta in partibus spermaticis , ac nervosis , a sero alb. non contaminato . Ideò ante oculos semper est habenda ratio , ut optimum serum alb. nutritium ab omni labe præserveturs novum verò probum , & incontaminatum , per procuratam optimam chylosim suppeditetur .

135. Pedissequa autem seri alb. lympha , culinarum , & excrementitiorum salium lotrix , aqueus liquor a natura destinatus , ut incrassata diluat , atque dissolvat , agiliaque reddat , ut per sua vasa præterfluere possint , & circa glandulas , & emunctoria humores depurentur , ut sic felici ratione , ad solitas vias excretionum , secùm salina, acria irritantia excrementa deducere possit , prospiciendum est diluentibus ; apta est enim per omnem viam expurgare , sudoris , alui , urinæ &c.

136. Nutritio membrorum , *omni* studio procuretur , præservatis liquoribus *nutritiis* a corruptione ; secùs vires collabuntur , & emaciacio in vultu con-

ſpicua fiet, facultatibus omnibus claudicantibus.

137. Hoc tamen potius vigoratæ naturæ per artem, & benè inſtitutæ victus rationi imputari poterit.

138. Materiæ craſſæ, pituitoſæ, obſtruentes, ac impedientes primas vias in glandulis meſenterii, atque univerſi abdominis, de obſtruentibus attenuantibus, incidentibus, aperiendæ, ac dilatandæ.

139. Acuta ſucci pancreatici acrimonia, quæ ſolet vigere in febribus cronicis, cum condictionibus frigidis, attemperabitur ſalibus volatilibus, & aromaticis theriacalibus, non omiſſis opiatis; ſic enim ejuſdem ſucci pancreatici, & bilis effervescentia vitioſa corrigetur, impedietur.

140. Salinæ autem exoticæ ſulphureæ particulæ, quæ in maſſam ſanguini, introduci poſſent, omni ſtudio priùs corrigendæ, deindè purgantibus tollendæ, atque reliquiæ omnes diſcutiendæ, ne fiat recidiva.

141. Viſciditati acidæ chyli, quæ in febribus intermittentibus negocium facere ſolet, obviam eundum eſt, amaricantibus, attenuantibus, incidentibus.

142. Cavendo tunc a frigidis, craſſarum partium quæ obſtructiones augere poſſunt, nam frigida tenuium partium in talibus febribus convenire poſſunt ex. gr. ſpiritus vitreoli, ſalis, vel nitri, quia febrili calori reſiſtunt, & materias craſſas penetrando, ac diſſolvendo obſtructiones tollunt.

143. Diuretica quoque cum fructu uſurpantur, potiſſimum ſi materia ad vias urinæ inclinare obſervetur, & nulla humoris copia, vel glutinoſitas obſtet.

144. Tempus, & circumſtantiæ in exhibendis febrifugis, in febribus intermittentibus attendatur, ſecus Æthiopem dealbabis. Si igitur intentio ſit, ut febrilis materia intercipiatur, hora accommodata erit, hora una circiter ante paroxiſmum.

Tunc enim dum anticipatur motus materiæ febrilis, & ſimul a medicamento ex. gr. corrigitur amarulento, tunc præparata expulſioni ad cor accedit, non ampliùs acida, fermentativa, prout erat in antecedentibus paroxiſmis, ſed correcta, quare a ſpiritu calorifico impulſore, regulari, atque excerni, vel ſecerni a maſſa ſanguinea facilè poteſt.

Alio namque tempore uſurpata eadem febrifuga, materiam peccantem iam effervescentem corrigere non poſſunt; imò maſſam ſang. alterant, & contaminant, intacta cauſa morbifica.

145. Curantur febres intermittentes a Laurentio Bellino, tribus potiſſimum, *dilutione, præcipitatione, & inciſione*. Diluentia ſunt hordeacea eius decocta; ſerum caprinum, cicoracea, atque tartarea.

Fixantia, aliis titulis abſorbentia etiam dicuntur ac præcipitantia ex. gr. oculi cancri, ſtybium diaphoreticum.

Incidentia ſeu reſſolventia ſunt calidiora volatilia, theriacalia, ſalia volatilia cornu cerui, vel viperarum amaricantia cardus bened. gentiana &c.

146. Quia multam intereſt in febribus intermittentibus, & in quibus materia morbifica ſtabulatur circa primas vias, ut alvus ſoluta ſit. Ideò ſalia fixa herbarum præſtat adhibere; quæ ſine multo calore incidunt, attenuant atque expultricem inteſtinorum eximiè ſtimulare valent.

147. Viſcerum affectus, ſi qui præternaturales ſint, vel aliqua diſcraſia, aut intemperies, tollenda erit, ſecùs muneribus ſuis depuratoriis ſatisfacere, neque excrementa removere poterunt.

148. Si de febrili effervescentia compeſcenda, ac frænanda cura ſit; tunc præcipitantia ſulphuream, tenuiſſimam bilioſam partem cruoris in uſu ponantur (ſicuti fit in alkalicis tincturis per artem) nempè acidi ſpiritus minerales vitrioli, nitri, ſalis &c. tum etiam aciduli ſucci vegetabilium, citri, ribes, rubi idei, &c. tartarea quoque, & ſales fixi herbarum adhibeantur.

149. Quia etiam viſcerum fermenta lapſa reſtituere debemus; ideò pro hoc opere plurimùm conducunt ſalia fixa herbarum cardui benedicti potiſſimum, abſinthii, & centaurii minoris &c.

150. In febribus cronicis, ſemper in pleneticis deobſtruentibus, & depurationem acidi, incraſſati ſeri alb. promoventibus inſiſtendum eſt, viſcus enim depuratorium principale ſeri alb. acidi, incraſſati, pituitoſi lien infallibiliter eſt; ita ut vix caſus dari poterit cronici affectus, qui diù perſeverari poſſit; dum iam liberatus ſit lien ab obſtructionibus, & impedimentis a quibus impediebatur, ne ſerum alb. depurare poſſet.

151. Fieri verò non poteſt, ut procuretur deobſtructio, & remotio impedimentorum lienis, quod ſimul viſcerum, ſeu glandularum univerſarum abdominis, meſenterii, pancreatis, non celebretur; ſunt enim iſthec omnia ad eundem uſum a natura conſtituta nempè ad depurandum ſerum alb. acidum corruptum, pituitoſum.

Quo depurato, & in probo ac naturali ſtatu omninò exiſtente, impoſſibile erit, ut cronica febris perſiſtere diutiùs poſſit.

152. Æmuleta, periapta, & a proprietate iuvantia in febribris potiſſimum intermittentibus, vel cronicis non contemnantur. Inter quæ principem locum araneas quocumque modo adhibitas certum eſt. Veteres in cortice auellanæ araneam includebant, ut collo appenderent. Neoterici ex araneis varia linimenta parant, tellis quoque araneorum in uſu poſitis. Nobis araniæ ociſæ cum oleo ſcorpionum locis pulſantibus omnibus appoſitæ benè inſervire obſervavimus.

153. Nobis quoque felici ratione inſervivit in omnibus febribus catharalibus, vel cronicis, ab intemperato cerebro provenientibus mercuriale, & vitriolatum auxilium poſitum ſub plantis pedum, & relictum per quindecim, & ampliùs dies, vel donec ſponte decidat.

Paratur verò ex uncia una pulveris ſimpathici (ſeu vitrioli ad ſolem æſtivum calcinati) cinabaris vero Drame 5. excipiantur cum modica reſina pini, oleo de carabe, & terebenthina, atque extendantur ſuper tenuem hædi alutam, quæ plantæ pedi aſſui poſſit, totaque planta pedis medicamento tangatur ac oblinia-tur.

Modicus interim pulvis ſympaticus vertici inſpergatur.

Vltrà enim id quod credi poteſt, cerebri intemperiei corrigendæ in omnibus affectibus catharalibus expertus ſum inſervire.

154. Ad moleſtias caloris febrilis mitigandas, multa excogitata fuere a Neotericus ex. gr. tincam per dorſum diſſectam, plantis pedum applicitam. Vel amplas talleolas cucurbitæ, vel citrulli. Vel ſuccum portulacæ, aut contuſum ſempervivum applicitum. Quæ quidem omnia ſunt magna refrigerii in febribus eſtuoſis, ſi potiſſimum etiam viſceribus, & ventri frigida adhibeantur, atque iam calefacta immutentur.

155. Sed teſticulare auxilium non contemnatur, in febribus valdè æſtuoſis, applicatio ſcilicet aquæ roſarum cum aceto roſaceo duplicatis petiis partibus univerſis genitalibus facta, poſca Galeni, vel ſuccus portulacæ, vel plantaginis, vel ſempervivi adhibeatur.

Hac enim ratione, ne ſerum albugineum contrahat

ali-

aliquam labem a ſocio cruore, febrili igne conflagrante procurabimus . Serum etenim alb. quantam cum partibus ſpermaticis familiaritatem habeat, iam latis in inſtit. med. ref. oſtendimus.

156. Quandoque in febribus longis durities lienis, vel alterius viſceris manifeſtatur, & tunc emplaſtrum de cicuta cum copioſo mercurio mirabilia operatur, vel ceratum de ranis Io: de Vico cum quadruplicato mercurio, aut unguentum artanitæ, ſed ſemper cum mercurio.

157. Vt verum ſemper ſit, quod pro tollendis obſtructionibus, ac impedimentis craſſis, pituitoſis viſcerum non reperietur in terris par auxilium mercurio, qui variis rationibus a Paracelſo, Helmontio, & aliis præparatos inſuperabilium ſecus morborum victoriam reportavit.

Nos plano, & facili auxilio mercurio ſublimato dulci, Panchimagogo Quercetani utimur in omnibus febribus, etiam malignis, quandò intentio eſt blandè, & ſine agitatione purgandi, & viſcera obſtructa, impedita, ſecuro auxilio liberandi, quo ſepiùs ſine nauſea, ſine incommodo ſine virium diſpendio uti poterimus. Cuius conficiendi rationem iam iam edocebimus inter pharmaceutica auxilia.

158. Rigoribus febrilibus valdè moleſtantibus, inungatur tota ſpinalis medula, oleo de caſtoreo ſolo vel aliis calidis nervinis auxiliis mixto.

158. Diuretica vera, fortiora, tenuiora, & calidiora non niſi in declinatione, materia iam concocta, & calore febrili mitigato adhibeantur; ſecùs fermentationem febrilem, magis accellerare valebunt.

160. Opiata ad mitigandos progreſſus ſymptomatum adhibeantur; ideoque in continuis ſolumodò ſolent adhiberi, atque in principio, & augmento.

161. Si febres intermittentes cum hectica iunctæ ſint, de illis removendis, hectica ſpreta cogitabimus; interim de proba ventriculi digeſtione, utriſque communi ſemper cogitabimus.

162. Intermittens quæ habet cauſas viſcerum impedimenta, non adeò feſtinanter ſupprimatur china &c. ſed priùs adhibeantur præparantia, & purgantia potiſſimùm mercurialia, antimoniata, & tartarea, deindè intrepidè ad uſum chinæ accedas, quia tunc ſpontè ceſſare videbis tenſiones, durities, & opilationes ventris; quoniam ſunt producta febrilia, quæ ceſſante febre, ceſſare debent.

163. Si cachexia, ſi tumores pedum, cum febri cronica infeſtent, multo allacriùs ad mercurii dulcis uſum replicatum, ſimul cum pulvere Cornachini accedemus; a quibus certò ſperare poſſumus quod impedimenta in viſceribus depuratoriis ſeri alb. acidi corrupti tollentur, & viæ ad exitum invenientur, prout mea longa experientia, ubique teſtari non deſiſto.

164. Si æger evacuationibus hemorhoidalibus aſſuetus ſit, vel etiam tumores hemorhoidum aliquando patiatur, ſitque temperamenti ſanguinei, a longa febre corripiatur; hemorrhoidum apertio nullo modo intermittatur.

165. Nimis etiam incredulus eſſet medicus, qui tot virorum illuſtrium teſtimoniis credere nollet, & experimenta negaret; quod ſalvatellæ apertio in manu ſiniſtra febres longas veluti incantamentum iugulare poſſit. Certa res eſt, quod nulla certa ratione fulcitur hoc auxilium; ſed unicum non eſt, de quo rationem reddere nequimus; ſed tamen ſola experientia teſtimonium facit.

166. Clyſteria ad alleviandam in febribus intermittentibns paroxiſmorum ferociam, proſpicuè adhibentur potiſſimum quando æſtus circa viſcera naturalia obſervantur, vel dolores circa vertebras lumbales, & centrum meſenterii cum flatibus, borboriſmis audiuntur.

Vel etiam quando circa paroxiſmi invaſionem, ventriculi ſymptomata infeſtant, vomitus, nauſea, dolor &c. cum anxietate, & iectigationibus. Vel etiam aluus adſtricta ſit, cum capitis dolore &c. Iniiciantur verò hora una, vel altera circiter ante paroxiſmum.

167. Diuretica vera, valida, & calida in magnis impidimentis viſcerum, ac tumefactionibus, ſuſpecta eſſe debent, ne a ſuo curſu retardentur; atque impedimenta augeant.

168. Opiata ſine aliis indicantibus, ſolo æſtu urgente, & conſtantibus viribus, magnopere pulſu, ad materiæ orgaſmum minuendum, & attemperandum, alkalinis frigidis admixta, emulſionibus &c. cum oculis cancri, perlis, canfura, talem orgaſmum ſuſlaminare, æſtum imminuere, quietem, & ſomnum impetrare poſſunt, inde ſpiritu recreato per quietem ſudorem ſalutarem promovere valent.

In febribuſque æſtuoſis ſtatim a principiis nocturno tempore adhibita efficiunt, ut *ſymptomata arceantur*, & *felix cura procedat*.

169. Poſt ſudorem comendabilis eſt diligens deterſio, tum ſubucula mundâ, optimè agitata, & ſuffumigata mirrha, gagate, benzoino &c. cavendo interim circumpoſito igne, ab aere frigido.

170. Si bilem figere, & ad effervescendum ineptam reddere intentio ſit; præſtat adhibere auſtera, ex. gr. ſuccus berberis, granatorum &c. hæc enim bilem inſpiſcant, & coagulant.

171. Opiata pariter eius volatilitati contrariantur.

172. Adhuc verò magis opiata contrariantur acidis errantibus, quæ ſunt fermentationum cauſæ, & acutæ potiſſimùm *ſucci pancreatici acidæ acrimoniæ*, quæ in febris intermittentibus conſpicua eſſe ſolet.

173. Sudatoriæ autem febres auſteris curentur, cum pauco liquore ſepius in die exhibitis, ut fluxilitas, & volatilitas coerceatur. Corallis, ſucco acaciæ, hypociſtidis &c.

174. Univerſaliter ex febrium ſymptomatibus colligere licet, *copia, & qualitas humorum quæ peccat.* quoties enim *prædominatur bilis tenuis* toties pituita minus viſcoſa redundare ſolet, & ſuccus pancreaticus minus acer, ideoque tunc incraſſantia auxilia alacriùs propinare poſſumus, & ſic febris citiùs curabitur.

Quoties verò pituita, & ſuccus pancreaticus dominatur, bilis erit obtuſior; ideoque attenuantia calida ſubtilium partium ſecurius in hac febre adhiberi poterunt.

Pro certo habentes, quod pituita incraſſata, acida eſt vera cauſa, ut hinc indè impedimentis factis, varia exurgant ſymptomata, & procraſtinentur febres.

175. Salia volatilia acria, fermenteſcentia corrigi debent oleoſis acido, vel terreo auſtero permixtis, quales ſunt boli præſtantiores, terræ ſigillatæ, ſi potiſſimum imbibantur ſpiritus acidis mineralium.

176. Multi intereſt in febribus potiſſimum malignis, peſtilentialibus, tum etiam in cronicis, ne in maſſa ſang. corpuſcula ſalina invicem concreſcant, & coagulentur, quare attenuantibus, ſudoriferis tales concretiones removere utilimum eſt,

177. Aenigmatum applicationes, ea intentione fiant ut a partibus ſpermaticis, & nervoſis (in quibus vires noſtræ conſiſtunt) natura deponere edoceatur ad glandulas milliares cutis apertas, ſua inquinamenta, tanquam ad univerſale emunctorium; ut ſic facto motu a centro ad circumferentiam, maſſa ſang.

de-

depurata, ſpiritui vitali; & functionibus ſuis meliùs inſervire poſſit.

178. Nunquam ſatis inculcatum eſt, quòd inter primas intentiones in omnibus febribus eſt, quod lien ſit deobſtructus, & liber ab omni impedimento, quia per noſtra principia anatomica cap. de liene, certum eſt quod de liene procedit acidus ſuccus, qui incraſſat, & ligat bilem, quæ deindè incraſſata, & ligata furibunda, irrequieta, impatiens, eſt cauſa fermè univerſorum terribilium ſymptomatum.

Certum inquam eſt, quod ab acido fermento lienis, dum per venam portam defertur maſſa ſang. modicè incraſſatur alkalibilis; atque diſponitur, ad deponendam talem incraſſatam bilem, per vaſcula fellea in ſuam veſiculam; claro ſatis teſtimonio, quia in tali veſicula nunquam bilis reperta fuit, in ſuo tenui, ac naturali fluore, ſed ſemper viſcoſa, incraſſata, & veluti oleoſus ſuccus.

Indè edoctus fui in apertione cadauerum, indagandi gracia cauſam mortis, ab hoc vario felle in veſicula ſua reperto, condictiones bilis, & ſucci huius lienoſi, quales fuerint optimè internoſcere.

179. Circa pericarpiorum agendi rationes, auctores varii, varia dicunt, quia ſine ulla ſenſibili evacuatione, febriles paroxiſmos arcent, dum pulſibus applicantur.

Noſtra autem opinio eſt, quod curent applicita, fermentationem febrilem inhibendo. Poſſunt enim communicare maſſæ ſang. circulanti effluvia talia; quæ tenues, volatiles, fermentativas particulas bilis figant, atque ligando præcipitent, & ſic ſanguinis fermentationem cohibeant; inde liquores maſſæ ſang. novam conſiſtentiam, ſaporem, & coadictionem aquirant.

Cuius rei magnum indicium eſt, quia præcipua hæc pericarpia; vim ſtypticam, acidiuſculam, præcipitatoriam ex. gr. ſuccus plantaginis, portulacæ, burſæ paſtoris, & ferè omnes adſtringentes herbæ cum aceto contuſæ, & carpis alligatæ.

Eadem intentione pariter per os ſummitur ſuccus plantaginis, vel aqua roſarum, cum ſpiritu vitreoli, vel aliis acidis inſervientibus ad noſtras tincturas ſpargiricas præcipitandas.

180. Emuletum præcipuum veterum, a Dioſcoride recenſitum, erat lapis limacis (lumacone Italicè) ſine teſta, de collo geſtatus, vel brachiis alligatus. Qui etiam aſſumptus per os, validè operatur, adverſus fermentationem febrilem.

181. Epytemata ex pinguedinoſis, vel quæ ſunt craſſarum partium, & poroſitates cutis conſtipare poſſunt, nobis ſuſpecta ſunt in febribus æſtuoſis, & potiùs comendamus, & ſecuriara reputamus, quæ parantur ex laxantibus cutis poroſitates ex. gr. aqua cardui benedicti, vel naphæ cum ſucco citri, vel nitro, Speciebus diamargaritonis, confec. alkermes, croco, canfura, & ſimilibus.

182. Inunctio Aetii ab antiquis adeò deprædicata adhibetur pro laxanda cute, expectato ſudore potiſſimum poſt cucurbitularum applicationem in febribus continuis. Fieri verò conſuevit ex oleo camomelino, vel amygdalarum, & aqua florum camomelia onze 2. nitri Drame 2. bulliant ad conſumptionem aquæ.

183. Syrupis exhibendis, aromatica, & naturæ amicabilia admiſcenda ſunt, ut ſic faciliùs ad penetralia admittantur, & ad cor pervenire poſſint, ad maſſam ſang. diluendam; ideoque edulcoratio inſtituta fuit &c.

184. Qui enim ſyrupi ingrati ſaporis, & cum nauſea propinantur, ſi potiſſimum in ſtomacho valdè ſenſitivo aſſummantur, a natura ſpernuntur, neque ingreſſum habent ad cordis penetralia.

185. Mixturæ autem, quæ a neotericis cocleatim exhibentur ſingulis horis, difficulter ad cor pervenire poſſunt; ſed potiùs diriguntur in graciam ſtomachi, ut ſcilicet ſtomacho hærentes amicabilis, & gratæ, prohibeant ne ad vacuum ventriculum biliоſæ, vel corruptæ materiæ confluant, indè anxietates, iectigationes, & alia plurima mala avertunt, quæ ſolent primariam vitæ, & nutritionis officinam conturbare.

186. Ante tamen prandium, vel ante ſumptionem ciborum mixturæ iſtæ cordiales, ſeu potiùs ſtomachicæ aſſummantur. Nam cibo ſumpto, ceſſant intentiones propter quas offeruntur; nec non interturbatur, & prorogatur ſtomachi digeſtio.

187. In fluxionibus catharrhalibus de capite venientibus, & febrem cronicam foventibus, non poteſt credi quantum decoctum utriuſque chini aromatizatum valere poſſit, quatuor horis ante, & quatuor poſt prandium aſſumptum. Paretur itaque ex radice chinæ, tum ex cortice Pervana, febrifuga dicta; ſic enim febris, & fluxio tolletur, pluribus autem diebus continuari debet.

188. Imò in fluoribus fermè omnibus ex. gr. alui, ſanguinis per nares, vel alibi, cum febre, mirabiliter inſervit tale decoctum ex duplici china; quoniam febrilem efferveſcentiam tollit, & acidum ſerum alb. de capite fluere non permittit, illud corrigens, & in fonte exiccans; quod ſolita cauſa horum fluorum eſſe conſuevit.

189. Tachenius in ſuo Hip. chymico, magnus ſaporiſtarum præguſtator expertus; fatetur ſe non inveniſſe ſecurius, & certius auxilium, pro tollenda aciditate, maſſæ ſanguineæ moleſta, quam *cornu cervi, & ſumitates eius præparata, quæ per omnem viam ſudoris &c. acida exterminant*.

190. Fermentum febrile in ſua minera incraſſatum, per vnicam chinæ copioſæ ſumptionem velle ſiſtere, nullius artis opus eſt, ideoque ſpes fallitur, ut plurimum.

191. Meliori arte igitur propinabitur china per vices, ſenſim, & ſenſim ad gr. xii circiter manè, & veſperi ante cibum, ut ſic ingreſſum ad cor cum chylo habeat, atque peccantem materiam corrigat, ut deindè ſpiritui calorifico impulſivo, & expulſivo obedire non recuſet.

192. Inter ſecura alimenta medicamentoſa, non invenit Hip. ſolertia tutius, & ſecurius quam *hordeum in febribus, & morbis acutis, in quibus certares eſt; quod nidoroſus ſtomachus omnia corrumpit*, atque in materiam, vel febrile fermentum convertit; adeò ut neque hordeo, & hordeatis non parcat; ſed hoc habet bonitatis ſpecialis hordeum, quod corrumpitur quidem; ſed non in materiam amaram biliоſam vertitur; ſed potiùs in contrariam, nempè in acidulam ſubſtantiam, febri contrariam, & quæ abſtergendo cum ſucco pancreatico bilem ad alvum invitat.

193. Indè facilè deduci poteſt ratio, cur hordeum in febribus factis a ſero melancolico, & ab acidis, multo minùs confert, quam in febribus biliоſis.

194. Amaricantia autem abſinthiaca, & conſimilia, potius in febribus cronicis, & factis a materia melancolica, vel pituitoſa, quam in febribus biliоſis convenire certiſſimum eſt.

195. Hoc etiam notatione dignum eſt quod nemo confidere debet in dilutis ſyrupis matutinis, præſentibus magnis obſtructionibus viſcerum; & in cronicis febribus, poſſunt etenim adaugere, & multiplicare obſtructiones, atque impedimenta in viſceribus. Quare potiùs in acutis febribus multò ſecuriùs exhibentur, & ſine periculo.

196.

196. Tartarea autem auxilia, hoc peculiare habent, quod in febribus quibuscumque tutò exhiberi possunt, potissimum fixa; nam rationem absorbentis auxilii, tum præcipitantis habere possunt, & equè acidis, & alkalicis remedio esse solent.

197. Diuretica pariter blanda ex. gr. *oculi cancri* &c. tam in acutis quam in cronicis febribus, tutò exhiberi possunt, equè adversus bilem pugnando, ac refrigerium adducendo, quam *acida* absorbendo, atque dulcificando.

198. Sunt & sudorifera *blanda*; quæ in omnibus febribus tutò exhiberi possunt, & in omnibus inflammationibus internis, inter quæ sunt flores papaveri erratici quocumque modo sumpti cum granulis canfuræ, sive in decoctione, sive in sirupo, sive forma pulveris, tincturæ aut extracti, semper post cænam hora somni, expectato circa auroram sudore.

199. Sunt periapta Paracelsi constellata, quibus utitur pro qualibet febre fuganda; sed quia mihi suspecta sunt; viris crascioris conscientiæ in sua Archidoxi magica examinanda relinquo.

200. Sunt potius piæ orationes sancta Romana Ecclesia concessæ, & præces, quibus sanationis quarumcumque febrium obtinentur a Deo, mediante intercessione sanctorum; inter quas vulgatissima est illa Sancti Alberti; quam alibi affere non recusabo, cum aliis quas delicatissimi medicamenta aborentes velent a medicis sanctis obtinere qui eos benedictionibus sanarent, & orationibus.

Monita aliquà, circà vivendi rationem, in febribus, & morbis acutis.

201 VNicum, & præcipuum monitum sit, considerare statum, & conditionem ventriculi in unoquoque ægro.

202. Pro certo tenens, quod Vita, Vires, Iuventus, & sanitatis prosperitas, a sola Nutritivæ facultatis felicitate dependet, & forti stomacho.

203. E contra mors, debilitas, senectus, & morborum innumerabilis caterva, a nutritivæ facultatis (omnium excrementorum matre) vitio dependet; & a debili stomacho.

204. Homo enim arbor inversa est (dictabat Arist.) cuius radices circa stomachum, & viscera abdominis implantatæ sunt. Ideoque.

205. Folia arescant, rami detruncentur, truncus ipse vulneretur, lædatur; nihil actum est; modo radicibus ipsis læsio non communicetur.

206. A robore igitur, vel imbecillitate ventriculi Vitæ, & sanitatis robur dimetiemur.

207. Monstruosum esset videre hominem robusto stomacho præditum, viribus infirmis, emaciatum, nutritiis liquoribus destitutum; spiritu carentem.

208. Sed consueta res est, quod qui ab ortu, infirmo, languido stomacho præditi fuere, toto suæ vitæ brevis tempore, paucis viribus facilè dissipabilibus, emaciati, excrementitiis liquoribus conflictati vivant.

209. Si igitur ægrum curare contingat, de cuius ventriculi robore certa indicia constent, potissimum ex proba membrorum nutritione, sitque probo temperamento sanguineo; tunc magna fiducia ad sanitatem huius eversam per malam vivendi normam serva tam accedes. Valida enim auxilia tollerare poterit:

210. Sed si a nativitate æger infirmo stomacho laboret, desperata res est, quoà medicamentis stomachum robustum facere possimus; quare magna, & fortia auxilia tollerare non poterit, sed lenibus semper agendum, & ad stomachi proportionalem mensuram tractandus erit:

211. De viribus itaque restaurandis a febili fermentatione dissolutis, per apta oblata potulenta, & alimenta maximè cogitandum erit.

212. Dixi per potulenta, quia monitu Hippoc. 2. aph. 11. facilius est refici potu quam cibo.

213. Quantum fieri poterit igitur potulentis obstabimus in omni febre, *ut serum alb.* nec alteretur, nec corrumpatur *per blanda oblata potulenta*; integro enim, & probo manente sero alb. cum pedissequa lympha, incendium cruoris moderabitur, & massa sang. ad naturalem motum restituetur.

214. Quia verò vulgares medici, multum avarè procedunt erga miseros inappetentes, & sticulosos ægros, prudentioribus medicis nos copiosissimam mensam instruximus, *ciborum, & potulentorum*, in appendice prima de cons. valet. Vbi pro acutissimis morbis rectum vsum Hippocraticum hordeatorum constituimus, & iuxta rationem febrium, innumera fercula, & potiones proportionatæ exarantur, vt eligenti non sit penuria; sed sufficiens copia.

215. In assuetis vino mero, facilè est ut vires stomachi labantur, interdicto omninò vino; quare tutius est admittere oligophorum Galeni (quod est vinum album, tenue, natum in locis sabulosis) cum guttulis spiritus nitri dulcificati, vel cum pulvere oculorum cancri, nam a vino aciditatem tollere posse certum est.

216. In febribus acutis vesperi in ultima cena emulsio papaverina *nullo modo intermittatur*, ad *quietem* nocturnam *impetrandam*, vel saltem coclearia duo syrupi ex floribus papaveris erratici.

217. De usu acidorum controversa res est; non desunt enim, qui ea omninò vituperent in febribus. Sed re vera in acutis febribus, a plurima bile tenui concitatis, plurimùm inservire possunt, ad illam incrassandam atque attemperandam.

quoniam quæ acida exhibentur, a *stomacho* alterantur, & in intestino duodeno, tertiam quandam salsam naturam acquirunt; secùs acida existentia, nunquam ad cordis penetralia admitterentur.

218. In febribus autem cronicis; tutius est abstinere ab acidis, quia pituitam incrassant, & immobilem reddunt; melancoliam verò fermentant, atque acriorem faciunt.

Alkalica tartarea his potiùs prosunt.

219. Spirituosa alimenta, vel potulenta in febribus acutis tuta non sunt. In febribus autem a causis melancolicis ortis, incerta sunt, & magna cautione exhibenda.

220. In febribus autem a causa pituitosa, seu cum capitis destillatione comitatis, nunquam in æternum vinum, aut spirituosa meteorizantia ad caput conveniunt, eo magis si natura sua debile fuerit, atque intemperatum cerebrum.

221. Sicuti in accessione nihil exhibendum est, neque cibi, neque potus, ex Hip. 1. aph. 11. ne gravato & afflicto spiritui, onera, & afflictiones addantur.

222. Ita in declinatione accessionis, vel paroxismi cogitandum est de refectione lassati, & *imminuti* spiritus, per apta alimenta, & spiritum restaurantia.

223. Si de alicuius peculiaris visceris intemperie constet. Non deerunt in nostra appendice prima de

cons.

conf. valet appropriata alimenta, pro singulis visceribus accomodata.

224. Diureticis temperatis, ex.gr. variis emulsionibus, ex variis opportunis simplicibus, semper locus est, tum ratione caloris febrilis, tum ad viscerum impedimenta diluenda, eluenda, ac removenda. Quæ etiam viscerum calorem attemperent, & humores fluxiles ad deponenda salina indurata excrementa reddant, per vias potissimùm urinæ.

225. Cordialibus quoque temperatis, aquis, spiritibus vegetabilium temperatorum ex. gr. melissæ, bugloïæ, ex toto citro, ceraforum nigrorum, semper locus, & opportunitas est exhibere, cum temperatis quoque pulveribus margaritarum, & aliorum alkalicorum, intentione cordis recreandi.

226. Remittente sudore in acutis, semper conducet acidulis spirituosis ægri vires lassati reficere, & potissimum conf. acidi citri, & aqua totius citri, ac similibus, quibus stomachi æstuantis, ac nidorosi vires recuperantur.

227. Spirituosis autem volatilibus, calorificus spiritus noster gaudet quidem in declinatione tam universali, quam particulari, sed in paroxismis, eius indignatio potius augetur, quam mitigetur, quare tutiùs est, tunc ab eis abstinere.

228. Vacillantem vitæ flammulam refocillant elixiria; quandò iam facta est omnis spei ancora, & Vitali tantumodò facultati sustinendæ oculos intentos habemus; sed in copia exhibenda sunt ex. gr. tincturæ cordiales spiritu vini,

229. Præsentibus omnibus condictionibus biliosis, temperamenti calidi, ætatis iuvenilis, æstivi temporis &c. largiori manu acidulis ægro indulgere possumus, fructibus potissimum amarenarum viscolarum, quibus zupæ parentur, rhibes, fragis, agresta, succo citri, limonum, aurantiorum &c. quibus suaves, & præstantissimas emulsiones, & iulapia parare ostendimus in appendice prima de conf. valet.

230. Semper enim recreatur spiritus agitatus, & fervens; massaque sanguinea ad moderatam crassitiem, & temperiem, moderato acidorum usu in febri calorifera deducitur.

231. Per calorem febrilem certa res est; quod ressolutis aqueis, tenuioribusque, magisque fluxilibus liquoribus nostri corporis, id quod reliquum est, in vasibus incrassatur, atque sic impedimentis, & obstructionibus maior ansa præstatur.

Quare in summo errore versantur, qui negant ægris potulenta, ut faciebant illi diatritarii ab Hip. & Gal. recensiti &c. & qui luctis, fame, ac laboribus febrientes interficiebant.

232. Vniversa alimenta, & potulenta ægrorum acuta febre laborantium, dirigantur ad cruoris conflagrationem, & mutationem eius in fuliginosam bilem arcendam.

233. Sulphurea quæcumque facilè inflammabilia valde olentia, aromatica, tunc procùl absint, ne massæ sang. fermentatio augeatur.

234. Medicamenta alexiteria, & cordialia, si cum cibis propinentur, natura auidiùs eadem amplecti tur, & cum chylo certiùs ad cor deferuntur, & ad massam sang.

235. Syrupi quoque potissimum matutini, in febribus æstuosis, non parca manu, sed liberali exhibeantur, ex refrigerantibus, & humectantibus; sacaro modico edulcorati, guttulis aquæ florum auratiorum, vel cinamomi aromatizati, ut stomacho grati, & acceptabiles faciliùs, & citius ad cor pervenire possint, priùsquam longa in stomacho mora incalescant, alterentur, & nullam frugem deindè præstare possint; imò stomacho labem inferant.

236. Causa verò cur potiones aquæ humidæ, refrigerantes in febribus æstuosis universaliter prosunt, est quia supplere possunt locum deficientis lymphæ in triumviratu massæ sanguineæ, a calore febrili dissipatæ.

Vsus enim naturalis lymphæ est, cruorem a combustione præservare, totam massam sang. fluxilem reddere, ut expedite per vasa deferi possit, & circulando hinc indè deponere valeat sua excrementa.

Sincera namque excrementa, vix per vasa sua excretoria moveri possunt; ideoque lympha [fluido liquore] orbata hinc inde stagnationes facit, cum ingenti ægrorum incommodo, & symptomatum incremento.

237. In declinatione sanguinis massa, crebra deflagratione spiritu de pauperata, Euchimis alimentis, stomachi viribus proportionatis reficienda est.

238. In statu febris massa sang. confusa, & impura facta a mixtione materiæ morbificæ, & adustione fuliginosa cruoris, ad statum naturalem restituenda est potissimùm acidis præcipitantibus spirituosis a mineralibus, vel etiam a vegetabilibus desumptis.

239. In augmento tutiùs est temperatis omnibus agere, & magnarum virium sive alimenta, sive medicamenta omittere.

240. In principio, si constet de antecedentibus repletionibus, bonum consilium est procurato vomitu blando per poscam Galeni tepidam oleo admixtam, vel si res urgeat etiam hemetico antimoniali, deindè per diem unum, vel alterum solis tenuibus panatellis, vel hordeatis victum celebrare, donec febris manifestetur.

241. Febricitantibus potissimùm acutè; potiones non denegentur. Hoc tamen observato, quod si fieri possit expectentur saltem tres quatuor horæ ab una potione, ad aliam, donec prior de stomacho recesserit.

Hip. aquam, in stomacho stagnantem, biliosam in Coacis appellavit. Per moram enim confluit ad stomachum bilis, quæ sua mixtura aquam præternaturaliter calefactam, & alteratam, biliosam reddit.

242. Vinum in melancolicis, senibus, stomachi imbecillis, concordi medicorum suffraggio conceditur in febribus cronicis. Tanta tamen libertas concessa moderanda est; mensura stomachi habita; nam robustior stomachus vinum fortius tollerare potest. Debilior stomachus debile vinum tolerat, a robusto verò vino subvertitur; contra id quod vulgares omnes putant; merum debilibus exhibentis.

243. De motu ac exercitio in febribus, res dubia est, quoniam Hip. & Galenus Prodicum antiquum medicum reprehendit, qui *febricitantes luctis, & exercitiis necabat*; rationabile tamen est credere, quod multos hac arte sudantes, a febribus sanaverit; sed in hoc ancipiti auxilio, sic tutò procedere nos posse putamus.

In febri quidem continua nemis periculosum esset iubere ut æger surgat ad exercitia. Quare solumodo in intermittentibus in declinatione paroxismi, & tempore toto intermissionis concedi posset, ut surgat ad aliqua exercitia facienda.

Certa namque res est, quod membra nostra ab exercitio roborantur, aquiete vero lectuli veluti ligantur. Quare per lene exercitium ægri in febribus intermittentibus multo robustiores vires servant, & securius in decimaquarta die liberantur, quam assiduo iacentes.

244. Hac eadem pariter intentione certum est, quod Galenus, & veteres medici in declinatione febrium intermittentium, ægros ad balneum mittebant, sperantes apertionem pororum, & sudoris, vel ali-

cuius

cuius excretionis noxiorum . Sed quia veteres erant balneis assueti , nostrisque temporibus obsolevere , nunc inassuetæ naturæ potius incommodum afferret , & incertum esset auxilium .

245. De alvo fluida in omnibus febribus soliciti esse debemus; seu ut accommodatius loquar, *solliciti* esse debemus, ut per consuetos, & naturales camales vasculorum cholidocorum, feratur *bilis in* hepate a massa sang. segregata, ad exitum circa intestinum duodenum, & per alvum educatur .

Pro qua intentione multa excogitarunt . Plurimi sunt medici cacatorii, *in* quadam patria , qui iubent febricitantibus singulo die, vel saltem alterius vel ternis diebus flores cassiæ ante cibum , in modica quantitate ; quos tamen cæteris felicius ægros suos curare non observavimus , imò potiùs infeliciùs , stomacho deturbato.

246. Enematibus potiùs laxantibus, singulo , vel altero die alii prudentiores utuntur , quibus stomachum quibuscumque deiectoriis lacessere , in febribus potissimum acutis, valdè preiuditiale esse putant, Hippocraticis doctrinis instructi 1. aph. 24. tum 2. aph. 29.

247. Non desunt alii , qui hac intentione alui laxandi naturam turbant , & de stomachi viribus , nihil solliciti sunt in febribus, *maledicta laxativa*, quæ ab eis benedicta dicuntur assiduò exhibendo.

Inter quos sunt herbarii quidam medici , qui simplicibus vegetabilibus spem suam totam reponunt. Isti igitur liberaliter exhibent in cibis olera , ea intentione ut alvum solvant, non considerantes, quod alvum præter rationem , & sine utilitate excrementis onerant.

248. Alii denique per saccarina, vel alia dulcia alvum laxare satagunt, & forte cæteris deteriùs , quia non solumodo ventriculum, & alvum turbant , sed augmentum fermentationis in massa sang. causant , bilisque augmentum , & non imminutionem procurant.

249. Stolidè demum agunt , qui sine ulla arte saltem dietetica, curam suæ sanitatis in manu sortis tradunt febricitantes, de quorum numero fuere duo præstantissimi medici, qui heneticis artis medicinæ, (quam aliis depredicabant) a me visitati , sine ullo auxilio , neque oleo externo , animam efflare voluere.

250. Quare prudentiores, & magis consulti , si reputent omnia chyrurgica, & pharmacentia auxilia incerta, & dubia (prout re vera sunt nisi a sapiente , prudente, & exercitato medico præscribantur) saltem febricitantes regulis nostris dieteticis obedire non recusent , quæ solæ sufficere possunt, ad naturam morborum medicatricem iuvandam , & non ab operibus suis deturbandam , prout proximè iam iam ostensuri sumus.

Chyrurgica auxilia in febribus , & morbis acutis .

PRosper Martianus , expositor , & comentator Hip. fidelissimus, Coacam prænotionem sectionis tertiæ Vers. 79. antecedenter a nobis anter prognostica recensitam explicat , detestatus temeritatem illorum , qui febre præsente, cum dolore laterum , sine alia consideratione , *venæ sect. instituunt* , *ægros interficientes* , Quos Hip. hoc loco acriter increpat. (Subiungit Martianus) vellem ut notarent recentiores illi medici , qui in secanda vena sunt admodum audaces statim venam secantes non solum presentem Coacam ; sed observarent Hip. lib. 2. epid. sect. 5. , *venæ sectionem adeò formidasse in febri ; ut in variis morbis in quibus alias venam secandam esse iussisset , ob febris præsentiam , a venæ sectione abstinere iubet* .

Cuius ratio est , quoniam febris , bilis præsentiam testatur , eamque effervescere , ac exaltati indicat ; quare primo ut signum venæ sectio non convenit .

Secondo ratione causæ , quia humores per venæ sectionem agiliores factis , & a calore febrili magis attenuati, sunt in causa , ut fermè tota massa sang. in bilioſum , fuliginosum succum combusta mutetur .

Et hæc etiam est ratio cur illi quibus immodicè sanguis evacuatus est sponte ; si a febri corripiantur , febris acuta urgebit , prout benè notavit Hip, initio libri secondi de morb. mulier . *Veneque sectionem in febribus putridis dictis adeò suspectam habuit , ut nullibi eam admiserit* .

Hæc tamen solida doctrina Hip. in fidè a Galeno recepta fuit; nam tumidus artem curativam per sanguinis missionem Glauconi tradidisse , & se supra magistrum sapere iudicans , axioma in libris methodi , & alibi constituit universale; quod *in omnibus febribus putridis , saluberimum est mittere sanguinem* .

Vt iudicioſi medici videre facilè possint , quantum a preceptore , & a medicinæ principe , & protoparente Hip. recesserit Galenus , & cum eo assectæ Galenici , qui in omni morbo in quo adsit febris , audacter venam secant, veluti febris præcipuum indicans esset venæ sectionis, quam summum prohibens noster medicorum parens Hip. constituit .

Certum itaque est , & quotidiana experientia comprobatum, *quod non est necessaria venæ sectio* ; Plurimi etenim absque venæ sectione sanantur ; Ideoque multos auctores reperias , qui eam detestantur ; & quidem pluribus rationibus ex gr. *quia primo massam* sang. ad motum *agiliorem reddit* .

Secondo *quia* subtracto humido hoc liquore venarum, *id quod* reliquum est magis combustioni paratum efficiunt.

Tertiò quia sanguis vitæ , & nutritionis thesaurus, & fons est , quo exhausto vires , & nutritio exhauriuntur , & deficiunt .

Quarto *quia experientia*, ut plurimum manifestavit , quod tertiæ febres, per venæ sectionem prorogantur , quartanæ verò magis intenduntur .

Quinto quia venæ sectiones , etiam multiplicatæ , non possunt tollere causas præcipuas febrium , *scilicet impedimenta , & obstructiones* , prout ipsemet Galenus in libris meth. confessus est .

6. Quia neque cacochymiam in febribus vigentem venæ sectio tollere nequit ,

7. Experientia quoque ostendit , quod febrilis paroxismus subsequens , post venæ sectionem gravior fieri solet .

8. Quo maior fuerit æstus , eo magis promovetur naturæ conatus ad sudorem , per quem febres omnes maximum sortiuntur solamen . Detracto autem sanguine , æstus in massa sang. imminuitur (tum humore calido, tum plurimo spiritu evacuato) quare non solummodo naturæ motus , & nisus ad sudorem impeditur ; sed alii motus qui criticè fieri possent , vel impediuntur , vel imminuuntur , vel saltem procrastinantur .

9. Exiccatio in febribus semper metuenda est, ignem enim febrilem exacuit, & magis ardere facit . Quare cautè admodum agendum est circa sanguinis missionem . Nam Argenterius , tum Spigelius in febre interfectis apertis , *vix sanguinis vestigia in venis reperiunt* .

10 Io: Helmontius peculiare cap. instituit de venæ

sectione, titulo quod venæ sectio in febribus sit inutilis, præter quam in casu plethoriæ. Atque suo more solito philosophatur super fundamenta experimentorum sic *Horatius Eugenius tribus libris ex professo ostendit, solam plethoram indicare phlebotomiam*. Quoniam materia febrilis non reperitur, nisi eius pars in venis, eius enim minera solet esse circa primas vias, & circa naturalia viscera. Quamobrem certum est dispendium sanguinis, & virium, incerta autem, vel saltem pauca, aut nulla, materiæ febrilis evacuatio; hinc est quod sequenti die maiorem fieri febrem observamus.

11. Prosequitur Helm. dicere: Quod *computo iudicioforum quotidie celebrantur in homine sano circiter uncias octo sanguinis, secus homo & sanguis in immensum excresceret*. Occasione verò febris, naturaliter nauseabundus æger, instrumentis nutritionis malè affectis, fortè neque quartam partem sanguinis generare potest, & præterea illum impurum, excrementis admixtum generat.

Febrilis interim calor multo magis cruoris partim absumit ac resolvit, partim in fuliginam bilem vertit, multo magis quam tempore sanitatis. Cuius quidem rei oculare testimonium habemus; mox enim a febri, imminui, vel etiam exiccari solent cauteria, neque pus solitum emittunt, claudicante nutritione, ob sanguinis penuriam.

22. Item: sanguinis quidem missio refrigerat, sed de spiritu calido vitali, copia detracta, & furto veluti facto sanguinis, quę detrimenta nisi in febrientibus divitibus spiritu, & sanguine tollerari non possunt.

13. Anno 1641. dissectum fuit corpus principis Ferdinandi [agentis annum 22. ætatis) fratris regis Hispaniarum, qui 89. diebus febri conflictatus obierat. Venæ undique, & ipsum hepar exangue repertum. Cor flaccidum crumenæ ad instar; præ nimiis venæ sectionibus factis, & hirudinum applicationibus, & tamen nunquam tertiam cessavit, neque a suo typo recessit,

14 Item. Addo tandem, quod intentio perpetua naturæ est, sanandi febres per sudores; nam observamus, quod accessiones plerumque cum sudore terminantur (cui diametraliter opponitur venæ sectio) depletis enim venis, per venæ sectionem, maior fit libertas, ut materia febrilis ad centrum, seu ad cor petat, quam ad peripheriam, seu ad cutem feratur. Cruoris igitur indistincta depletio laudanda non est. Hæc ille &c.

15 Zacut. Lusitan. lib. 1. hist. 55. ait: *Sanguinis missio nil mediocre facit. Vel enim iuvat iuvamento maximo, quando convenit, imo necessaria est: Vel nocet nocumento maximo, quando non conveniat*. In quartana igitur, & in morbis in quibus crassi, terrestres succi abundant, qui sanguinis benignitate indigent mitigari, atque attemperari, venæ sectio pernicios est.

His igitur rationibus inhærentes aliquos pertinacissimos medicos Veronæ, & Venetiis inveni, inter quos fuit D. Thomas Albericus, qui occasione visitationis Illustr. Exc. D. Co: Caroli Ioanelli febricitantis (cui necessaria statim fuisset venæ sectio, nam febrem 60. dierum breviorem fecissemus in eusarco, pleniusco temperamento] me coegit apologiam facere pro Galeni lib. de sanguinis miss. adversus Erisistratum, qui hemophobus pariter, nulli erant casus in quibus venæ sectio conveneret; Cuius tamen stringentis apologiæ adhùc responsum, nec dare potuit, nec dabit.

Ostendi igitur in ea quod Erisistrati regulæ de nunquam mittendo sanguine, erant leges inflexibiles Draconis, è Iuristis damnatæ; nam epycheia quadam, & flexione aliquando debent moderari.

Sunt enim casus multi plethoriæ, in quibus tantum abest, ut vires vitales, & nutritio per venæ sect. labescat, ut imò vegetiores exsurgant compressæ, ac impeditæ a copia, & crassitie sanguinis, indigentis imminui, attenuari, ut sic spiritus, cum massa sang. agilius moveri possit, & licet neque cacochymiam, neque obstructiones venæ sect. directè tollat. Indirectè tamen post ablatam plethoriam, seu copiam crassi sanguinis tolluntur aliaque plurima beneficia inferuntur, quæ sua magna gloria Galeni, contra Erisistratum nobis ante omnes mortales dilucidavit.

Neque sit medicis admiratio, si iusta ratione quandoque Galenum arguam, a præceptoris Hip. doctrina recedentem, deindè audiant me Galeni alibi doctrinas Galeni commendantem; nam institutum meum est, undique saniores, Veritati, & experientiæ conformes doctrinas colligere, ideoque in fronte librorum meorum legitur; Concilium veterum, & Neotericorum, in quo scilicet omnes convocati, afferunt plausibiliores sententias suas.

Incidenter solummodo, Galeni aliquas doctrinas quæ axiomata fundamentalia reputantur ab imperitis, & incirconspectis medicis, abscindere, & vindemiare cum Helmontio, & aliis boni gustus experientialis phylosophiæ professoribus cogimur. In cæteris, suum honestum locum in concilio, Galenum habere gaudemus.

Removeatur igitur a Galeno emphaticum illud axioma, in lib. undecimo methodi exaratum, quòd omnibus febribus saluberimum sit mittere sanguinem, &c. Vera deindè, ac plausibilia axiomata quæ Galenus in illis libris exaravit, hoc loco veluti memorationе æterna digna exarare allaborabimus.

Commoda igitur, & utilitates venæ sectionis docet plurima esse. Primo Ventillant enim, & veluti respirare facit suffocata, & impedita vasa turgida spiritu, & sanguine.

Primo Viscera stipata, & oppressa a copia succorum sublevat; ut deonerata veluti a pondere, funtionibus suis ritè, & rectè vacare possint.

3. Revellit fluxurum; Fluentem verò humorem alio divertit.

4. Copiam peccantis massæ sang. imminuit.

5, Ferventem spiritum, & ebullientem sanguinem evacuando magnum refrigerium adducit.

6, Naturam veluti superfluo pondere granatam brevissimo temporis intervallo sublevat,

7, Massa sang. a libera circulatione sua, in venis præ copia impedita, post venæ sect. liberiùs fluere conceditur, ut deponat excrementa.

8. In omnibus inflammatoriis affectibus summum, & certum auxilium.

9. In omnibus doloribus, inflammatoriis a causa fervida oriundis, sacra ancora est.

10. In morbis acutis omnibus, cum plethora, statim ab initio antequam maiorem labem contrahat massa sang. prophilacticum auxilium esse nemo dubitabit.

11. In casibus materiæ turgentis dictæ ab Hip., securius auxilium excogitari non potest, & certius quam purgatio; nam brevissimo temporis spatio morbum iugulat.

11. Præservat mirificè cruorem effervescentem, & inflammatum, ne totus in fuliginosam bilem mutetur, & exardescat.

13. Motus sanguinis præternaturalis progressivus (scilicet circulationis) tum internus (seu particularum fermentantium) moderatur, & corrigitur a sanguinis missione.

14. Extravasationes ideò, tumores, inflammationes, dolores, malaque symptomata arcere valet.

15. Magnum remediũ, magnis morbis proportionatũ.

16. As.

16. Assuetis sanguinis evacuationibus, atque sanguineis certum, fermè, ac securum auxilium.

17. Facto in venis loco, & amplioſe libera circulatione procurata per venam sectam, aeris externi nitrioſi refrigerio additus aperitur non solùm; sed chyli recentis, & frigidiuſculi adventus, qui massam sangu. recreet, & cruorem ab aduſtione præſervet. Nec non ut potionibus refrigerantibus, & alijs medicamentis ingreſſus facilior concedatur, utilis est.

18. Turgeſcenti ac fermenteſcenti sanguini, nullum certius, & præſtantius auxilium repentinum invenitur; niſi venæ ſectio; tunc enim massa sang. veluti vinum fermentatione turgens, aperto vaſe illicò ſubſidet.

Verum tamen Galenus ipſe, magnam circumſpectionem, & prudentiam medici, in iſtis libris methodi requiri dixit, quoniam agitur de magno remedio, magnam infere potente in corpore alterationem. Quare plurimi ſunt caſus, in quibus sanguinis miſſio per venam ſectam ommittenda eſt.

1. Quandò non plethora, ſed cacochymia urgeat.

2. Quandò non ſpiritus, neque humores fervidi indigeant refrigerio; ſed frigidi humores pecant, in viſceribus impediti.

3. In morbis cronicis, a frigida craſſa materia ortis, vix datur caſus in quo venæ ſectio conveniat.

4. Pueris, & ſenibus, venæ ſectio, niſi maxima urgente neceſſitate admittatur.

5. Galenus libro 1. ad Glanc. cap. 14. Poſtquam cautè augendum eſſe in ætate puerili, & ſenili dixerit.

6. In ſicco corporis habitu venæ ſectionem inhibuit.

7. Ore ventriculo imbelli exiſtente, vel dolente atque cardialgia laborante, venæ ſect. intermittatur.

8. In prægnante muliere, niſi ſumma urgente cauſa admittatur.

9. In prægreſſo victu pravo, sanguinis miſſio locum habere poteſt; ſunt enim iſti pro cachochimis reputandi.

10. Cautè in præcedentibus magnis evacuationibus quibuſcumque.

11. Cautè quoque precedentibus vigilijs, doloribus, & conſimilibus ſpiritum valdè diſſipantibus.

12. Cruditatibus in primis vijs manifeſtis exiſtentibus, cum alvi ſtypticitate; priùs cruditates removeantur, antequam venæ ſectio admittatur.

13. In acutis, niſi ſtatim a principio celebretur inutilis ut plurimum conſuevit eſſe.

14. In picrocolis, in macilentis, tenuiſque ſpiritus ſemi hominibus, ne quidem tentetur.

15. In quibus cholericorum ebullitio vulgò dicta timeri poteſt, nempè in ſincera cacochimia bilioſa, nimis periculoſa eſt venæ ſectio.

16. In febribus malignis endemialibus vigentibus, in quibus indicia phogoſis in viſceribus adſint, ſolumodò in principio ante quarta diem cautè venæ ſectio fiat, ſi etiam informatione habita ab alijs medicis, profuiſſe obſervatum fuerit; Nam ſi nocuiſſe conſtet omninò ommittatur.

17. In febribus intermittentibus, & in morbis in quibus obſervatur, quòd probus ſanguis ſit paucus, & pravus ſuperabundat, nulla fiat ſanguinis evacuatio.

18. In morbis a materia frigida, inerti excitatis, quæ ſtagnationes, obſtructiones, & impedimenta undique faciat, inutilis, imò damnoſa eſt venæ ſectio; quia materias crudas frigidas augere; obſtructiones confirmare, & impedimenta majora facere, ſpiritum cum ſanguine evacuare, indè nutritionem membrorum imminuere, & vires per conſequens frangere poteſt.

19. Galenus quoque in his libris methodi obſervavit, quòd a vene ſect. abſtinendum eſt, *quandò urina eſt clara*, perſpicua, citrina, & veluti percolata. Signum eſt enim cacochymiæ, & eruditatis frigidorum humorum extrà venas, & perſequens morbi diuturni.

20. Galenus quoque benè notavit lib. 2. de criſibus, quòd *cruoris pars tenuior, per cordis conflagrationem in bilem tranſit*, pars verò craſſa in melancoliam, quæ paritèr venæ ſect. non admittit, ab utraque enim ſiccitas pernicioſa adaugetur.

21. Galenus libr. 9. meth. cap. 11. Tres rationes adducit, quarum cauſa venæ ſectio inſtituitur; ſcilicet *plethoria, vitium in ſanguine ex. gr. craſſities, lentor, motuſque lentus præcopia. Et motus ſanguinis præter naturam, ad aliquem locum fluentis. Quibus* abſentibus rarò ad venæ ſect. accedere debemus.

22. Galenus quia venæ ſect. reputat remedium magnum, *a venæ ſectione abſtinere jubet in morbis parvis*. Morbum igitur magnum (ſcilicet acutum periculoſum) indicantem venæ ſect. eſſe dicit. Vires autem robuſtæ ab eodem permittentes venæ ſect. dicuntur. Niſi verò ambo concordent, expreſsè a venæ ſect. abſtinendum eſſe jubet.

23. Zacut. Luſit. lib. 1. hiſt. 63. Raſis ait: *In bilioſis ardentibus febribus non eſt venæ ſect. celebranda, ne ſequatur cholericorum ebullitio*. Sanguis etenim eſt frænum bilis, ſuaque benigna natura ſuccorum aſperitatem, & acrimonia attemperat. Hoc idem ſenſit Galen. 4. de conſ. valet 4. *in cachexia bilioſa ſanguinem non eſſe educendum, in his enim virium robur non reperitur*. Ideò ſanguinis miſſio non ſolum, ſed inedia, eis quoque maximè nocet, neque tollerare poſſunt; exiccata enim viſcera, magis ex ardeſcunt, & ſic bilis magis efferveſcit, & furit.

24. Lodovicus Mercatus de febribus pernicioſis ait: *eßet crimen ſupplicio dignum, apparentibus periculis in ſeptima, vel poſt ſeptimam venam ſecare*.

Quamobrem dum agitur de corio hominis, in adminiſtratione hujus magni auxilia, circumſpectus, & prudens medicus, debet hæc methodica, & ſana documenta Galeni, & ſommorum in arte medicorum mente evolvere, & pro ſtabilibus principijs, ac fundamentis reputare, quòd.

1. In principio febris acutæ, cum magnis ſymptomatibus, & indicijs materiæ turgentis, in plethorico, ſtatim ſanguis a brachio mittendus eſt, deindè poſt unam, vel alteram horam hemeticum antimoniale exhibeatur (ex. gr. tartarus hemeticus, vel crocus metallorum) tardare enim in talibus malum eſt, ex Hip. 4. acut. tum 4. aph. 10.

2. Conſtantibus viribus; in pleniſucco corpore acuta febri correpto, ſtatim in principio ſanguinem mittere expedit ex Hip. 4. acut. acuties enim morbi, rationem habet inflammationis, quare vena ſecta præſervantur a plurimis ſymptomatibus inflammatorijs doloris capitis, aliorumque dolorum, tum alicujus inceptæ extravaſationis ſanguis progreſſus ad inflammationem tollitur, turgente potiſſimùm materia.

3. Si ſupra ſeptum dolores obſerventur in principio febris acutæ, monitu Hipocratis, 4. aph. 18. ſtatim ab initio venæ ſectio fiat. ſic enim ſymptomata prava partium ſpiritalium pectoris, &

capitis propulsabuntur ; & dolores arcebuntur .

4. Adeò ut fidelitèr , & sanctè jurare possim, quod his *Hipocratis* fundamentis immissus sepè sepiùs in principio acutæ febris inflammatoriæ , ex. gr. initiante pleuritide ; illicò sanguine misso , deindè modico tempore interposito exhibito hemetico , viribus adhuc integris , & constantibus ; adeò valida insurrexit natura , ut fermè universam materiam intrà paucas horas eleminaverit , & pleuriticam, vel aliam inflammationem dolorosam sustullerit ; magna ægrorum ipsorum admiratione , qui adeò citò , se de faucibus orci ereptos senserint , jugulato morbo ; sanguinisque profusione sacrificium sanitati feciſſe lætantur .

5. Prudens , & cautus se gerere debet medicus , circà remedij electionem , semperque auxilium illud præferendum est , quod magis certum sit, quoque minus augere possit febrem , & symptomatibus adversetur .

Tale equidem auxilium est venæ sectio , a qua certum *juvamen expectari* debet , propter imminutionem , & eventillationem factam sanguinis in febri , & morbo acuto ; Quam per procuratam per aluum evacuationem mediante purganti pharmaco , a quo exagitatur spiritus cum massa sang. cum periculo augmenti febris , & affectus inflammatorij , decubitu facto materiæ .

6. Morbus itaque acutus seu febris , vel est cum inflammatione interna , vel sine inflammatione , in primo magis venæ sectio competit , in secundo ut plurimùs magis purgatio convenit , si materia moveatur infrà septum transversum , ut benè advertit Hip. 4. aph. 18.

7. Documentum precipuum in acutis Galeni est, habitum ab Hip. quòd sicuti a venæ sect. abstinendum est , quandò urina est perspicua , citrina , & veluti percolata ; quia signum est cruditatis humorum extra venas. Ita sanguinem mittere expedit , quandò cum virium robore , urina est rubra , crassa , & veluti turbata . Signum est enim superassati cruoris in venis , qui communicat suam tincturam urinis .

8. Insinuat quoque Galen. ut *in acutis* morbis a plethora ortis venæ sectio insinuatur intrà diem quartum sic enim morbos jugulari dicit ; nam post quartum per igneum calorem febrilem conflagrante cuore , subsequitur cacochymia biliosa , quæ potiùs purgationem , quam venæ sect. exposcit .

9. Statim etiam in principio venæ sect. celebranda est , ob aliam rationem , nempè antequam in visceribus contrahatur intemperies calida , a qua melle incommoda postmodùm proveniunt .

10. Si igitur corpus sit plethoricum , urinæ rubræ crassæ , sit ingens cephalalgia , cum periculo alicujus extravasationis sanguinis , vel inflammationis, absque alijs considerationibus vena secetur .

11. Circà verò tempus venæ sectionis, quando resurget , qualibet diei, vel noctis hora celebretur, alvo priùs laxata clysteri , si certa indicia cruditatum in corpore irregulariter vivente adsint secùs hæc circumspectio , necessaria non est .

12. Primis aparentibus exanthematibus, vel si alia ad cutem transmissio consimilis fiat in quarta die , præsente plethora , & viribus (quia motus symptomaticus est , non criticus) ideò licet venæ sect. celebrare . Certa enim experientia ostendit , quod sic alleviata natura , copiam deindè humorum , meliùs regulare potest .

Et deindè per copiosorem sudorem , veram crisim moliri consuevit . Cautiùs tamen , & parcius hoc faciendum , admotis paulò post cucurbitulis partibus inferioribus .

13. Delassatis superfluo coitu , acutè laborantibus magnus respectus habendus est , circà sanguinis emissiones . Narrat enim Zacut. Lusit. lib. 3. praxis admir. obs. prima . Quod *juvenis post nimium coitum , in febrem incidens , sanguine misso delyrus factus est , cum cordis palpitatione , inde veluti syderatus obijt* . Monet ergo Zacutus , ut a sanguinis missione in his abstineamus .

14. Idem verò Zacutus obs. quarta sequenti monet, ut in his *qui multum sanguinem calidum habent , licet videantur melancolici , sanguis detrahatur* ex Galeno lib. 3. epid. sect. 3. com. 70. sunt enim isti reputandi pro plethoricis . Ubi enim plurimus adest sanguis , ibi plurima fex crassi sanguinis reperitur , quæ moveri , attenuari , & ad meliorem statum redigi potest , per venæ sectionem .

15 Febris queque ardentissima , cum plethora , statim primis diebus venæ sectione copiosa juvatur , est enim certum , & infallibile refrigerans , quod arcet ne cruor in corde conflagetur , & in bilem transeat .

Pimis enim quattuor diebus impossibile est , ut copioso existente sanguine , etiam vires non constent . Quibus per morbum acutum in progressu amissis , semper cum dubia spe venæ sectio celebrabitur ; tunc enim viget cacochymia , biliosa , & purgatio conveniret potiùs .

16. Galenus igitur lib. 14. meth. cap. 4. ait. *Rarò contingit in febribus acutis , ut prima , secunda , vel tertia die vires sint adeo debiles in sanguineo , ut venæ sectionem prohibeant . Nam quæ debilitas tunc adest, est potius per accidens , scilicet per aggravationem , & non per vessolutionem spiritus* .

17. Galenus libro primo ad Glanc. cap. 14. *Consuetudinem magnam vim habere , ad indicendam venæ sectionem , isti enim pro plethoricis reputandi sunt* . Rari enim revera sunt , qui venæ sectionibus se subijciunt, qui hoc agant ; nisi copia sanguinis se aggravatos cognoscant .

18. River. lib. 17. cap. 3. monet ; quòd si corpus plethoricum sit , urinæque apareant rubræ , crassæ utiliùs statim est , *a phlebotomia incoare* ; nam meliùs post modum purgatio succedit ; sine periculo, ne sanguinis massa magis efferveſcat, fiatque humorum omnium in venis confusio, & urina fiat subjugalis .

19. Turbatis enim urinis, & subjugalibus existentibus , sanguinem mittere , est unum ex detestabilibus erroribus , quos Cardanus , de malo medendi usu errore 36. recenset .

20. Riverius observat , quòd aparentibus primis exantematibus, *prodest in pauca quantitate sanguinis missio* , talis scilicet facta , ut venæ non admodùm exinaniantur , & cogantur retrahere sanguinem a partibus exterioribus , ad interiora . Nam plenitudine ablata, eadem die, vel post paucas horas a venæ sect. observatur sudor erumpere criticè .

21. Zacutus Lusitanus lib. 4. prax. historiarum memorabile hoc monumentum tradidit , nempè quod in febribus *quandoque expedit sanguinem mittere per venam sectam , tentandi gratia* . Ut tantillo extracto , noxius humor dignoscatur , tum aliquo modo sanguis transpirare edoceatur extraque venas moveri . Nam si ex. gr. in pertinaci febre , vel quartana viger crassus , vel in lepra arenosus , vel in alijs affectibus observetur esse præternaturalis condictionis, illicò supprimendus est . Interim nullus culpare potest, quòd a tali tentativa missione sanguinis æger læsus fuerit. Nec non domesticis, atque malignè circumspicientibus ,

tibus, os clauditur, qui reclamare possent; quòd si sanguis extractus fuisset, æger non perijsset.

22. Atque subjungit: Tanti ergo momenti est sanguinis missio, ut nullus fermè sit morbus, in quo ejus usus non sit admittendus, saltem minorandi causa id quod affligit in venis, *vel* commovendi pertinaces hærentes in eis *humores*. Vel saltem tentandi gratia, ut melius dignoscatur status, & conditio nutritiorum *liquorum*.

Tria enim sunt quæ sanguinem ad corruptionem disponunt. Prohibita eventillatio. Spiritus vitæ præternaturalis factus; & privatio motus (circulis) humorum.

Sic quoque experientia ostendit, quod calida quæque, & humida si in calido loco detineantur, nisi difluere, ac saltem diffiari possint, putrescunt. Hæc ille.

Circà aliorum auxilium chyrurgicorum administratione infebribus, & acutis morbis, Lodovicus Merutus, ejus opinionis est, ut in casibus dubijs, de magno auxilio venæ sectionis admittendo vel non, ad certum auxilium accedamus, quod vicarium venæ sectionis appellat, *nempè ad ventosas scarificatas, easque procul a corde affixas*, & potissimùm in febri valdè acutâ, vel maligna, in progressu, vel statu existente.

Hoc enim de se ipso testatus est Galenus qui in Asia, febri maligna correptus, a cruribus scarificatis copiosissimo sanguine detracto, sanatus est.

Ideòque (ait merutus) semper crurum scarificationes commendavi. Vel etiam sanguinem a talo mittere, loco scarificationum) vel hirudines.

Nostris tamen temporibus barbarorum, atque Arabum medicorum auxilium scarificationum obsolevit; Atque solùm Bixantij in usu positum vidi, a sectatoribus doctrinæ barbare Avicenæ, quòd etiam magnum, & periculosum auxilium esse observavi, præingenti copia sanguinis ad libras plures quam extrahunt; quare in tumoribus vel in affectibus inflammatorijs citissimè, & intrà horas sanant jugulantes morbum, vel veluti jugulantes ægrum.

Sed ventosæ profundius scarificatæ, nostris civilioribus, & urbanis magis temporibus quadrant, &c. servatis condictionibus, & opportunitatibus; quæ alibi exarare suo loco decrevimus.

In mulieribus potissimum, quibus sanguinis missio necessaria per venam sectam adjudicata fuit, paulò post cucurbitulæ partibus inferioribus ad movere probum remedium a Zacuto Lusit. adjudicatum fuit.

Item si ingens meteorizatio ad caput fiat, & dolores capitis urgeant, ventosæ partibus inferioribus admotæ semper proderunt, & non dorso, ut vulgò fieri solet.

Si paritèr capitis symptomata adsint, viribus admodùm languentibus; & sanguinis aliqua evacuatio desideretur; apertiones venarum raninarum sub lin. gua, quolibet tempore celebrari possunt, etiam in debilibus, & senibus.

Nam si magis vires constent sine magno virium dispendio vena secari posset in talo.

Hirudines autem post celebratam sanguinis missionem per venam sectâ in pletoricis evacuationibus hemorhoidalibus assuetis, optimum præstant auxilium.

Hirudines autem pone aures, in febribus periculosissimis, & in quibus surditas supervenit, vel de emptione parotidis indicia adsunt; magno deonerandi cerebri emolumento apponuntur.

Si metus sit futuræ prunellę (seu linguę aridę nigrę) venæ sub lingua semper tutò aperiri poterunt.

Si genus nervosum affligi observetur, & capitis symptomata adsint, vel limeantur futuri, phænigmata locum habent. Quæ paritèr multum prosunt, in febribus malignis, vel pestillentialibus, in quibus timetur ne fiant coagulationes in massa sang. Vel è conara maxima fiat dissolutio inter conjugatos liquores in massa sanguinea, & in serositate exitiales vertantur.

Minùs verò convenient, si ardentem, febris proximè accedat, nam vigilias, incalescentias, & citatione motum circulationis in sanguine concitare possunt, & bilem acerimam reddere.

Conveniunt autem in febri potissimùm peticulari, & statim ab initio applicata. Vel quandò interiora utuntur, exteriora frigent. *Vel quando aliqua retrocessio facta fuerit*, a circumferentia ad centrum.

Ad augendam Diaphoresim prosunt sic caustica quoque ex. gr. alium, carpis manuum applicita febres diuturnas tollere, vel iminuere consuevere.

Veteres utebantur balneis in febribus biliosis; nos horum loco utimur externis refrigerantibus, & humectantibus, seu epythematibus cordi, jecori, testibus, lociſque pulsantibus, *vobis manuum, plantis* pedum ex. gr. ex aqua rosarum, florum aurantiorum, cum speciebus cordialibus, &c. aceto, & cansura; Hæc duplicatis linteolis aplicantur æstate frigida, atque sepiùs jam incalefacta mutantur.

Pro his igitur inservivnt species Diamargaritonis trisandalorum, &c. & cum cansura copiosa & croco.

Vel etiam confectio alKermes, vel hyacenthina, dissoluta cum aqua florum aurantiorum, & succo citri per modum lenimenti.

Inunctio quoque externa scrobiculæ cordis facta, tum sub axillis, & inguinibus, ex oleo Scorpionum Matthioli composito plurimùm comendatur, vel araneor.

Epythemata verò potissimùm actu, fronte, præcordijs, in pitticulis, vel sudore expectato minùs commendantur, claudere enim poros, & eruptionem impedire valent. Attamen Riverius ex cordialibus, & tenuium partium parata epythemata comendat, in dictis casibus, dumodò tepida aplicentur.

Vel sacculi ex speciebus cordialibus temperatis, aqua fragranti florum aurantiorum admoveant.

Non displicent etiam post applicationem cucurbitularum, vel post factam benem frictionem dorso, inunctionem adhibere ex oleo amygdalarum dulcium, vino albo, nitro, & aqua camomelli.

Clysteria laxantia singulis alternis diebus alibi commendavimus, pro alvo, a calore febrili indurata. In statu tamen morbi, quandò aliqua crisis expectatur, potissimùm per sudorem, minus convenire; vel quando natura aliqua ratione ad cutem inclinat, vel movet.

Clysteria solùm certò prosunt, quandò urget symptomata dolorifica, in visceribus naturalibus. Vel quandò inibi celebratur orgasmus, qui tendit ad caput feriendum in quo casu parantur exsolventibus, Diacatsia, & lect. lenit. cum syrupo rosaceo, & similibus, non tamen valdè stimulantibus, neq; acribus.

Novum non est, neque inusitatum inventum pericarpiorum in febribus, potissimùm ex araneis. Nam Andreas Matthiolus a Dioscoride habuit, quod araneæ cum tellis fricati super petias, fronti, temporibus, & locis pulsantibus appliciti, fugant febres.

Paracelsus capite de Serpentibus ait: Aranea tollit omnes febres diuturnas; si inscio homine quid sic intus, in nuce includatur, & de collo quatuor diebus appendatur.

Strobelbergerus, (qui reputatur nostrorum temporum inventor furicarpiorum) suum pericarpium parat, ex unguento populeone cum

ATENEO VENETO VENEZIA

cum tellis araneorum occisorum, & mixtorum.

Alij araneis utuntur cum tellis suis, fuligine, terebentinaque admixtis.

Alij utuntur ranunculo, quia causticum est, edoctira ruticulis, qui appositio alio contuso suprà loca pulianta, febres sanat.

Alium cum croco, sale, & aceto mixta, ad carpos manuum applicita in Germania sepè vidi.

Ingeniosiores aliqui, parant sole in cancro existente oleum ex araneis, & sole toto æstivo tempore exponunt, quo de inde indigentiæ tempore utuntur præcipuè cum corporibus inclusarum araneorum, & plurima cansura, & modica fuligine.

Non desunt qui oleum aranearum, admixtum cum oleo scorpionum & eorum corporibus, cordi, & pulsibus inunctum, ipsis febribus malignis, & pestilentialibus (nedum ordinarij) ingens remedium esse testentur.

Boileus magni nominis experimentator Anglus scribit pericarpium quo se ipsum sanavit a febre duplice tertia continuata, fuisse passulas Corinthiacas, sal marinum, & lupulos, quæ bene contusa, & mixta carpis alligavit.

Fuligo carmini, cum ana salis communis, ovi albumine subacta, celebre pericarpium fuit, cujusdam Neapolitani, propter quod sanandis febribus inclaruit.

Monita de purgantibus in febribus, & in morbis acutis.

HIpocratis 1. aph. 22. *concocta purgare, atque movere oportet, non cruda; neque in principijs, nisi turgeant. Plurimæ verò, non turgent.*

Monuit Hipocratis 2. aph. 10. ut *quæ motu turgescere observantur, absque cunctatione purgentur statim a principio, tardare enim in talibus malum.*

Materia etenim, jam in sua minera quiescente, ac veluti sedente, cruda, dimovere non expedit, priusquam coctione, & alterationem subierit.

At cruda, inalterata, sine fræno turgescens, & hinc indè ab initio vagans, cum pericolo, ne ad aliqua partem decumbat, & inflammationem concitet, expedit ut purgetur, tunc enim jam in motu existens facilius purgando educitur.

Et tunc ablatis a massa sang. fermentescentibus particulis, iterum cruor, & serum alb. ad priorem amicabilem temperiem, & unionem devenire possunt.

Spirituque vitæ fermentator incipiente morbo, solet esse integer, ideòque suo expulsivo munere integre fungi potest, quod in progressu morbi fractus debilis, & inminutus fungi non potest.

Hipocratis libro 4. de acut. *Si urinæ ab initio tenues, claræ, & veluti percolatæ fuerint prohibent purgationem.* Sed eam admittunt, quandò crassæ urinæ fuerint.

Loquitur autem de febri inflammatoria, in qua humores jam extravasati, & in uno loco infixi, jam sunt, de quibus monuit Hipocratis: Quòd *qui ea quæ in principijs morborum inflammam jam sunt, solvere medicamentis aggrediuntur, hi de intenta, & inflammata substantia nil auferunt; imò sanati partes colliquant, cum virium detrimento; nam morbus invalescit, & natura prævalet.*

Quare concludere debemus, quod in principio purgandum; quandò integris viribus viget spiritus. Et particulæ morbificæ fermentativæ in venis turgescentiam concitant, hinc inde agitatæ, & a spiritu fermentatore medicamento adjuto separari, atque purgari possunt, antequam suum fermentum multiplicaverit, & latiùs diffundantur.

Timenda est autem caliditas, & fermentatio quæ a medicamentis purgantibus introducitur in febri acuta. Biliosa, potissimùm humore ab his commoto, & non purgato, viscera inflammantur (monitu Hipocratis) cujus miserabili ratione innumeri sunt, qui quotidie a meticulosis falsis professoribus Galenici methodi interimuntur, exhibitis medicamentis dulcibus, fermentativis, blandis, commoventibus, sed non purgantibus, benedictis, ab insano vulgo appellatis.

Bilis enim leonina naturam habet, quæ provocanda non est, nisi vincatur, & prosternatur, In quo opere invicta sunt medicamenta antimonialia, quæ visibilibus, & invisibilibus evacuationibus, undique bilis supra, & infrà suam inclitam victoriam reportant.

Et quòd valdè considerabile est, nullum post se vestigium, caloris relinquunt, spirituali quadam ratione in corpus nostrum egendo (inficiendo solumodò vinum infusionis, sicut facit crocus metallorum vel poculum chymicum, millenis interviens, sine ponderis sui amissione) vel in minima dosi exhibendo, ut facit tartarus hemeticus exhibitus.

Antimonium enim plumbi naturam frigidam potius habet, bili, & venenosis calidis pravis, suis adversam, spiritui paccando inclinacam.

Cætera autem purgantia, his dotibus carere, cuique notum est, caliditatem, & fermentationem secum gerentes, & hostilem quandam malignitatem adversùs spiritum habentes, vehementèr, & veluti invita natura, moventes humores.

Si autem materia multa, cruda crassa, circà primas vias stabuletur, antequam attenuata ad cordis penetralia feratur, multò magis, statim vomitorio antimoniale purgari exigit.

Si jam particulæ fermentative, in principio inflammationis primis diebus extravenari incipiant, multò adhùc magis purgatio per hemeticum exigunt, intentione revulsionis.

Imprudentis igitur medici est, semper expetare, coctionem, dum statim urgente acuto affectu, dubitari potest, quod concoctio futura non sit, a morte præoccupata.

Ideò Avicenas j. 4. tract. 2. ait: *Si timens victoriam humoris, in principio fiat statim evacuatio. Cum autem fuerimus securi quòd virtus ad maturitatem perdurare possit, tunc procrastinare possumus.*

Hemeticum igitur antimoniale veram, & legitimam habet rationem purgationis minorativæ dictæ ab Hipocrate quia copia materiæ peccantis, minorem facit, & naturam sublevat, & reliquias deindè faciliùs maturare, & expellere, possit, coctionis impedimenta tollendo.

Quando igitur periculum est in talibus febribus acutis, ne spiritus vitæ, ab initio pondere excrementorum compressus succumbat, calorque febrilis increscat, symptomata multiplicentur; ebullitio, & humorum confusio augeatur; & in deteriùs progredicatur. Attenuatique per calorem febrilem humores, & commoti, in aliquam partem præcipuumque vicus decumbant; tunc per hemeticum cura, appelletur cura coacta;

Nam regularitèr, & ordinariæ expectanda est con-

concoctio; antiquam fiat purgatio eradicativa, prout vult Hipocratis in prima parte aphorismi citati, 1. aph. 22. Nam in secunda parte aphorismi ejusdem, minorativam purgationem nostram per hemetica admittit, ipse enim veratro terribili hemetico utebatur in illis casibus.

Quod autem evacuatio facta per hemeticum, incipientem inflammationem, sive tumorem, tollere possit, & materiam illam extravasari incipientem revellere, & evacuare valeat, sepiùs me vidisse testor in illis, quibus Venereo tabo contaminatis bubo in inguine inceperat, & magnis rationibus verebantur, ne detegerentur.

His ergo antimoniali vomitorio exhibito infallibiliter bubo disparabat; deindè meis preparationibus mercurialibus, vel etiam mercurio dulci sepiùs repetito, sanabantur neque vestigia ulla bubonis relinquebantur.

Hip. 4. aph. 10. *Purgandum in valdè acutis, si materia turgeat eadem die, tardare enim in talibus, malum.*

Abusiva ratione verbo Greco *pharmacevin* utuntur plurimi auctores pro duplici evacuatione, sanguinis scilicet, & per cathartica; quæ sola debent propriè purgantia appellari.

Monet igitur Hipocratis quòd quando observatur ex. gr. febris, magnis sympata symptomatibus, habens rationem turgentis materiæ, statim ad evacuantia per valida purgantia descendendum est, ante quam præ calore, fervore, turbato motu spiritus vitæ, magis inflammetur cruor, & indè copia bilis multiplicetur.

Talis igitur materia turgens, non indiget præparatione ad exitum, jam enim est in motu, & invenis, quare est indifferens, ut per quamlibet viam purgetur. Est etiam tunc proportionaliter pauca in principio, quare non potest esse inobediens spiritui calorifico vegeto, integro, & non imminuto a longo morbo.

Turgere autem dici potest materia, in tali febri, quæ acuta incepit cum magnis symptomatibus, quia mobilissima, activa bilis est agens hujus tragediæ, dum rapidè per venas in universum corpus movetur.

Expedit verò, citissimè ab initio purgare, quia quo magis progreditur ingens affatio cuoris; necesse est, ut in duplum, vel etiam magis comburatur cuor, & multiplicetur suliginosa bilis, proportionalitèr ad ordinariam affationem cuoris, quæ fit naturalitèr in sanis singulo die.

Prudens igitur consilium est statim observata febri, quod inceperit acuta magnis scilicet symptomatibus stypata, non expectare ultra diem declinationem, potest enim decumbere materia peccans ad aliquod membrum nobile, prout evidentèr observamus fieri in pleuritide.

Priùs enim incipere solent rigores febriles, deindè sensim, & sensim deponitur in debili latere materia pleuretica, quæ si statim antequam jam infixa fit in latere, per vomitorium antimoniale evacuetur, & alibi divertatur, incantationis ad instar jugulari morbum observavimus; atque subtractis lignis ignis febrilis, non ultra septimam diem succendetur.

Ita ut ægri postmodùm interogati, quid male habuerint, levissimum catarhum ad pectus se habuisse respondeant, caritativi, & optimi medici honorem tacentes, qui si sine purgante relicti fuissent, postquam in magno vitæ discrimine fuissent, si reconvalescerent a sorte datum esset, pro magno Esculapio idiota medicus reputatus fuisset, cum magno etiam lucro.

Sed hæc viris probis Christianis gloriam suam, & mercedem in cœlis, & non in terris æternam expectantes, ingrata auditu non sunt, illis *enim* testimonium sufficit bonæ conscientiæ, & se ritè, & rectè egisse sciant.

Vomitoria autem antimonialia, quam pulchrè expiare possint primas vias, vix aptè verbis narrari potest; In primis vijs autem sepissimè fomes, & radix febrilis stabulatur, forma crassarum viscidarum stomachi cruditatum mucosarum, inviscantium bilem, & circà intestinua tenua liberum egressum bili, & succo pancreatico inhibentem, & blandam naturalem luctam pugillum, probo chylo depurando necessariam interdicunt.

Hipocratis de rat. vict. in acut. expressè ait: *Quibus in principio urinæ nebulosæ, vel etiam crassæ sunt, tales purgare oportet, si etiam alia contulerint. Quibus verò in principio urinæ tenues, tales ne purgato, sed clysteria adhibito, secùs si ventem purgando commoveas, urina non concoquetur; sed absque sudore, & judicatione foetis ad multum tempus perdurabit.*

Hipocratis de purgantibus ait. *Turpis est calamitas medicamento purgante dato hominem occidere, quare qui a fortibus febribus corripiuntur, his medicamenta purgantia ne exhibeas, donec febris remiserit. Vel saltem non intra 14. diem Carnes enim ipsorum, & ventres cum æstuent; Medicamentum in se assumunt, & nihil purgantur, febris autem major fit. Commotæ enim bile, & non purgatæ efficit, ut æger, neque sorbere velit; neque bibere; sed omnia abominatur, & sepè periit.* Hæc ille.

De progressa febre acuta, & augescente loquitur hoc loco Hipocratis, & inhibet tunc purgationes omnes, quæ intra dies 14. fieri possent; sed de primis quatuor diebus satis clare convenire posse ostendit superiùs, &c. tum etiam quia.

Hipocratis 2. aph. 29. jubet expressè, *ut incipientibus morbis, si quid tibi movendum videtur move, vigentibus enim, melius est quietem habere.*

Nomine movendi certum est, quod Hipocratis intelligit purgationes, & sanguinis missione, quæ removere possunt materias a locis in quibus reperiuntur, in morbis acutis.

Certum est enim quod robustæ vires in principio faciliùs tollerare poterunt remedium, minusque afflicta natura juvabitur, quam in progressu morbi, & potissimùm circa statum quando natura totos conatus suos exercet contra morbum. Et sicuti tunc medico agere licet, quandò natura non rectè solet operare (quod est in principio) sic medicus quiescere debet, quandò natura magis intenta est operari.

Thomas igitur VVilis valida *vomitoria commendat, statim initio morbi acuti, deinde purgantia omnia omittenda insinuat.* Hemetica enim ideò tunc commendantur, quia ventriculum evacuant, a stabulante saburra, ut melius in posterum concoctiones suas celebrare possit; indè probus chylus accurrere possit, ad massam sang. diluendam.

Hoc autem præcipue obtineri potest medicantibus vomitorijs. Nam sic bilis per impetum vomitus, ex meatibus suis cholidocis emulgetur, atque exprimitur. Folliculusque fellis, felleaque vascula hepatis exinaniuntur, deoplentur, ac deoplentur, largiùs experimendo, facta a vomitu partium circumstan-

stantium compressione, ut postmodum bilis copiosa quæ a conflagratione cruoris febrilis generatur, in suo interniculo (scilicet in hepate) vasculis, & porositatibus evacuatis, & non impeditis, felici ratione secerni possit, & in suum folliculum ad naturæ necessarios usus in debita quantitate, & qualitate reponi possit.

Sic enim dici poterit quòd massa sang. a recrementis Sulphuris; adusti scilicèt cruoris, felice ratione, ab hemetico repurgata, & liberata sit.

Franciscus Sylvius præterea *hemeticum ex antimonio reponit*, observans, quod nullum medicamentum citiùs, & aptius mucosam, viscidam obstruentem materiam indigestam, crudam, pituitosam primis viis removere potest, & liberum excursum felli, & suo pancreatico parare potest, quam tale hemeticum.

Paracelsus quoque non solumodò *in principio febrium acutarum; sed in principio febrium omnium vomitorium ex antimonio commendat*; deinde laudatum opiatum ad gr. iij. vel peri cum aqua absynthij.

Certum est, quod cathartica quoq; bilem evasibus suis felleis, & consequenter a massa sang. emulgent; sed multò debiliùs, & minus, quam hemetica; quia solumodò irritando, atq; excitando qualitatibus manifestis expultricem torpidam, consecutivè advacuum, ad evacuata intestina, circumstantia excrementa vocantur, adiuta etiam a calore, & tenuitate particularum medicamenti, quæ vias eis dilatant, aperiunt, & ad exitum præparant.

Sed purgatio per hemeticum statim in principio acutæ febris, multò feliciùs ventriculum excutiendo viscida expurgat. Et quod considerabile est, *minus lædit ventriculum*, & actiones ejus; nam apetentiam non tollit; sicuti tollere consuevere per plures dies debilit queque purgantia. Tum concoctio ventriculi post vomitorium multo feliciùs perficitur, indè chylus furior maisè sang. supeditatur. Bilis quoque per impetum vomitus, & partium hepati circumstantium compressione, a vasibus suis cholidocis in multo majori copia, & faciliùs per hemeticum exprimitur, quam per catharticum emulgeri possit, & sic massa sang. plenius depurgatur, dum naturæ motum imitantur; quæ in principio accessionum vomitum facere observamus.

Galenus ideò primo ad Glauc. *solo vomitu multos a febribus liberatos scribit*. Martinus Rulandus in suis centurijs, *innumeros febricitantes hac via sanatos narrat*. Vel Hip. suo veratro.

Antedictæ igitur sunt veræ, & non metaphysicæ rationes; sed demonstrabiles anatomicis oculis, & mechanicis organis: Ideoq; prudentiores omnes Neoterici concorde suffragio usum hemeticor, statim a principio febrium acutarum commendant, fatentes, quod pro febrili minera extirpanda non habetur in terris fidelius auxilium, & certius.

Pro ijsdem quidem intentionibus antiquis temporibus, mirificè inservivit veratrum Hyppociati, hemeticum simul egregium, & dejectorium per aluum, tenuissimarum partium; sed quia gigantias vires exigebat; his nostris mollioribus seculis pigmeorum obsolevit, & a nullo recti judicij medico in usu ponetur ob summam quam habet acredinem.

Sed veratri loco, successore hemetica antimonialia, quæ nec qualitatibus manifestis caloris, tenuitatis, acrimoniæ aguot; sed occultis qualitatis fermè immaterialibus, præ substantia aerali, & æthereia, Deidono elargita. Nullam enim habere irritationem hemetica antimonialia certo experimento comprobatur; nam in qualibet quantitate ex. gr. crocus in infusione ponatur, atq; in ophtalmia oculorumq; inflammatione adhibeatur, Saturninum; frigidum potiùs medicamentum existens inflammationi resistit, absq; ulla irritatione molesta.

Nullum ideò ex se convitans calorem, etherio spiritui nostro amicaliter febrili materiæ morbifice adversatur, multo certius, & melius; quam rhabarbarum, & consimilia, quæ amaris calidis elementaribus qualitatibus operantur, & solum concocta materia, & in declinatione febrium utiliter adhiberi possunt.

Hoc habet præstantissimum vomitoria antimonialia ex. gr. crocus metallorum in substantia exhibitum, quod non solum purgat per vomitum; sed per omnem viam, potissimum per Diaphoresim; ita ut sit indiferens ad purgandum per unam, vel aliam viam, sed prout à spiritu vitæ dirigitur adversus materiam in uno, vel in alio loco stabulantem operatur.

Ideoq; unica ratione antimonium parari potest; ut solum per Diaphoresim purget, vel per alium aut vomitum, nempè si magis, vel minus fixetur per nitrum, & magis vel minus album procuretur.

Irridemus enim conatus eorum, qui optante veres eximias antimonij integras purgando habere; atq; procurant cum hemeticam variis artificijs tollere; castrant etiam, & suis naturalibus eum privant viri. atq; loco antimonij sunt alia solventia medicamenta admixta quæ soluunt alvum.

Ideoq; si desiderant illi antimonium per alvum purgans, non possunt meliorem, neq; experimentis magis certam rationem adinvenire, quam exhibere antimonium Diaphoreticum, cum ana granis duodecim circiter scammoneæ, & cremoris tartari, quibus si pariter addantur grana 12. Mercurij dulcis, perfectum purgans obtinebitur sine ulla omninò molestia, quod gravidis fueris, & imbecillibus omnibus nullum infert incommodum, & summam præstat utilitatem, etiam in casibus desperatis, in quibus cætera auxilia dubia, & suspecta sunt.

Antimonio interim quòd antimonij vires a tartareis ex. gr. cremore, vel sal tartari valde acuuntur. Ita ut furibundum reddatur, adeo ut grana duo tartari hemetici, vehementem vomitum concitare possit.

Ideò mihi potiùs familiaris est infusio croci metallorum in vino albo ad gr. vij circiter more Rulandi titulo suæ aquæ benedictæ, quæ habet hoc admirabile, quod eque purgabit, si copia multa ex. gr. 3 j. croci metallorum infundatur, vel sola grana septem. Vel si in substantia detur, aut in infusione.

Imò usus vini albi cum infuso croco metallorum, vel etiam admixto, si per clysteria injeiatur, in illis qui alia ratione purgari noluut, vel non debent, est præstantissimum auxilium purgans, tantillo salis tartari addito, in torpidis naturis.

Observavi etiam in Xenodochio, eque ad grana septem corpora purgari, & ad 3. j. in substantia exhibitum antimonium, vel ultrà, ad primos enim vomitus a corpore exit.

Mirabilis etiam mihi, semper visus fuit modus agendi, nam innumeris vicibus observavi, quod exhibitum in magnis morbis, si nihil purgasset, neq; molestasset, Ægrum, pessimum indicium minitabat & certum proximæ mortis. Quia scilicet spiritus vitæ non poterat a spiritu medicamenti adjutus, copiam materiæ movere, atq; expellere, nec medicamentum actuare.

Ideòq; sunt nonnulli illi meticulosi, quia vomitum antimonialium reformidant, veluti periculo plenum auxilium. Dum latari deberent, veluti cer-

ti certum indicium validæ virtutis, ad optimam purgationem sufficientis; nam in valdè oppillatis impeditis viscеribus nihil penitùs operatur, in gravidis parum, & sinè periculo abortus, imò est meum consuetum auxilium pro tollenda malatia prægnantium, ut ostendi proprio capere.

In illis quitempore pestilentiæ suspicio est, ne susceptum sit contagium respirando, cum saliva deglutitum, cum aliqua subversione stomachi, anxietate præcordiorum, pravo in ore sapore, non invenietur auxilium per antimoniali hemetico. Sic enim Diarhea perniciosa, & alia gravissima symptomata arcentur, observatione Etmulari; qui ait: *hac ratione statim magna veluti morbi incendia extinguuntur, & suffocantur.*

Thomas VVillis de febribus ait: *Hemeticum sub initium secundi, vel terti paroxismi, a ventriculo cordis, & a vasis cholidocis felleum amarum sucuum evacuant, tum serosum laticem a glandulis, seu a nervosi generis emunctorijs, circà panereas, mesenteriam, & intestina consitis, copiosè emulgent. Ideoq; observamus paulò post doloris capitis imminui, tum alia symptomata minorari.*

Alibi verò ait: *Instanti paroxismo febrili hemeticum exhibeatur, circa morbi initia, potissimùm si biliosus humor, ad ventriculum inclinare observetur; sic enim vasa cholidoca exinanientur, & bilis copiosa emulgetur, &c.*

Hip. 4. aph. 3. *Prægnantis sunt purgandæ si materia surgiat quadrimestris, usq; ad septimum mensem.*

Non invenietur in terris securiùs medicamentum purgans pro gravidis, quam hemeticum antimoniale; dijectoriam enim per alvum in eis sunt plena periculo. Vomitus autem eisdem familiaris est.

Cætera purgantia, malignitate, irrationes materias ad alvum, & partis infernas commovendo, atq; evacuando, stimulant fœtus; & uterum ad exitum.

Hip. 4 aph. 4. *Æstate commoda magis est purgatio per superiora; hyeme verò magis per inferiora.*

Ratio est, quia natura ad superiora magis elevat attenuatos, rarefactos humores, hyeme verò magis eos incrassatos, ponderosos ad inferiora depellit. Peccat namq; & exaltatur æstate magis bilis, hyeme verò pituita.

Per verbum vero illud (magis) non excludet quod etiam hyeme per superiora purgare non liceat. Idoq; suum sensum manifestat in aphorismo sexto dicens *graciles purgandos esse, per superiora, nisi obstet hyems.*

Secus Hip. lib. de dieta docet, *quòd per sex menses hyberno, vomitu deijcienda sunt, quæ circa ventriculum concertantur pituitosa, & caput gravant.*

Bilis autem ad ventriculum via, facilis, brevis, ac fermè naturalis est, ideòq; in plurimis ejus vomitum veluti familiarem esse observabis. Sufficit enim, ut motus peristalticus intestinorum tenuium inverratur, motus bilis naturalis deorsum sursum verget.

Antiquitùs familiaris erat, purgatio hemeticis atq; observamus totam doctrina Hip. undique hemeticis sparsam esse.

Nostris seculis mollibus, & delicatis obsolvevisset, nisi Paracelsi Helmontis, & aliorum principum in arte virorum, hanc veram Hip artem per hemetica, terribiles quoq; morbos sanantem, alta voce proclamassent, & manifestis exemplis ostendissent.

Hip. 4. aph. 6. *Graciles, & facile vomentes, per superiora purgandi, vitando hyemem.*

Gracilis namque natura, multum bilis concervat, ideò cum sit humor tenuis sursum vergens, illàc purgandus est; *Quo enim vergit, eo decere convenit* 1. *aph.* 21. Adde quod his venter inferior extenuatus est; ideò ad *infernas purgationes, minus accomodatus*, ut docuit 2. aph. 35.

Isti tamen graciles debent esse nata, non morbo, ideò de gracilibus picrocolis, dictis loquitur Hipocratis.

Quæsivit Zacutus *an magis debilitet ægros vomitorium, an dejectorium per alvum.* Et respondet quòd vomitus procùl dubio in ipsa operatione magis affligit; sed angustia, atque debilitas non solet diù perdurare, ad paucas scilicet horas; sed infema purgatio, multo diutiùs, & ad dies, post operationem perdurare solet, viresque stomachi frangere solet.

Hip. 4. aph. 7. *Difficultèr vomentes, & mediocriter carnosi deorsùm purgandi, vitantes æstatem.*

Et continuatio superiori aphorismi, nempè servandam esse contrariam rationem, ut sicuti picrocoli, biliosi supra purgandi sunt, ita crassi, pituitosi infra purgandi sint.

Crassi enim ut plurimùm, sunt difficultèr vomentes. Illi autem qui ob situationem meatus biliarij, versùs ventriculum magis spectantis, sunt facilè vomentes.

Crassi autem de quibus loquitur hic Hipocratis mediocriter carnosi; illi sunt qui albidi sunt, pituitosi, & venas angustas habent. Nam crassi, rubicundi, venis latis phethorici sunt, & indigent potiùs phlebotomia.

Hip. libro de salubri dieta *ante dictis crassis, pituitosis vomitum facere jubes ad extenuationem, ante cibum. Sicuti gracilibus, & picrocolis ad minorem molestiam, & maiorem facilitatem, post cibum.*

Hip. 4. aph. 8. *Tabidis vitentes purgationes sursùm.*

Nil apertiùs est in doctrina Hipocratis; quam *tale laborantes per aluum purgandos non esse* (qui scilicet pulmonis affectu laborant) dum è contra libro secundo de morbis sectione secunda veratrum his temperatum præscribit, ita ut *infernam aluum non moveat.*

Imò passim observamus in phtisicis admittere purgationes sursùm, & prohibere, ut exitiales, purgationes deorsùm.

Quare in hoc aphorismo non potest oppositum statuere; sed dicendum est, quod nomine Græco phtinodeas intellige. Hipocratis non jam phtysicos, sed quiad phtysim naturali quadam constitutione dispositi sunt; in quibus superiores purgationes suspectæ sunt, ob periculum ne aliquod vas præ nimia siccitate, Duritiæ, & acri sero o sanguine in eis redundante, rumpatur in thorace his angusto, & debili.

Quia igitur in sexto aphorismo graciles per superiora, purgandos esse docuerat; nunc glosat illam propositionem, eos excipiens, qui tali obnoxii sunt, qui solent esse graciles.

Hip. 4. aph. 9. *Melancholicos, veriùs per inferiora purgabis, eadem ratione contraria adhibens.*

Contraria igitur ratione in est bilis in biliosis, melancolia in melancolicis, *illa* enim levis magis ad superiora petit, hæc gravis magis ad inferna inclinat.

Hip. 4. aph. 17. *Non febricitanti appetitus dejectus, oris ventriculi morsus, tenebricosa vertigo, & os amarescens, sursùm purgatione opus esse indicat.*

Prx-

Prædicta enim accidentia, duplicem causam habere possunt, primo copiam humoris biliosi, ventris superiores partes petentis, secundo. Calorem aliquem ventriculi partes proximas occupantem, seu potiùs phlogosim, ideò dicit non febricitanti.

Uno verbo per hæc signa medicus colligere potest, bilem in ventriculo colligi, ideoque indigere brevi, & facili via purgationem per superiora, antequam expectetur ejus attemperatio, vel dejectorio per aluum mota, & non purgata graviora mala inferat. Bilis enim nidore suo cibi fastidium inducit. Sua acrimonia cardialgiam, seu cordis morsum facit.

Ob consensum venali, & cerebri, tenuiores ejus partes ad superiora elevatæ vertiginem concitant. Sitis, & os amarescens eidem tribuitur. Hæc tamen copulativè non disjunctivè accepi debent.

Hip. 7. aph. 61. *Plurimùm sudores, humidi redundantiam significat; hi si robusti fuerint, supernè; si debiles infernè purgandi sunt.*

Sudor sive sit in toto, sivè in parte plurimam humiditatem semper indicat, ideòque purgationem exposcit.

Sudor quia fit a salibus volatilibus armoniacalibus (potiùs ad superiora petit capitis pectoris) lympha dilutis, ex nutritione membrorum residuis; ideòque si robusti fuerint per hemetica purgentur.

Sudor autem a copiosiori cibo potissimùm fieri experientia ostendit; vomitorijs verò talis repletio solet curari. Erat enim fræquens vomitus antiquitùs, & penes Hipocratis ad sanitatem tuendam, & ad præcavendos morbos, quare libro 3. de dieta *curat omnem repletionem vomitu*. Sudor autem facultatem ab humorum abundantia gravari significat.

Si res repentina urgeat ex. gr. sumpti veneni, vel etiam pestis respirando cum saliva deglutiæ, ut statim ictu oculi evacuetur, sumatur dracma semis gillæ Theophrasti, seu vitreoli albi, vel ad solem calcinati, nam illicò in instanti ventriculus deonerabitur.

In febribus cardialgicis, in quibus judicia sint de saburra viscida, acida, acri, vel biliosa irritante, veneno, vel acredine peccante, statim nil aptius hemetico antimoniali, deindè exhibeantur Diaphoretica opiatis juncta ex. gr. tinctura bezoardica, spiritus theriacalis canphuratus, cornu cervi.

Vel ex fixis stybium Diaphoreticum, bezoardicum minerale, ebur admixtis opiatis, laudano, &c. Exteriùs varò ballamum pervanum cum gummi tacamacha, &c.

Sermonem de purgantibus vomittorijs, claudam, sumpta doctrina Thomas VVillis cap. 3. de febribus, qui ait: *Febres tertianæ a vomitorio paulò ante paroxismum exhibito tolluntur.*

Hoc enim modo bilis copiosa a sanguine emulgetur, & sic intemperies biliosa tollitur, visque fermentativa massæ sang. sponte cessat.

Emetica igitur, si fortiter operentur, dum ventriculi fundo spasmum, & contractiones inducunt, duodenum motu suo peristaltico inverso, versùs pylorum facto, bilem emeatu cholidoco, profusatione assidua exprimit; atque in ventriculum effundit, ut vomitu rejiciatur, qui si copiosus succedat, vesica fellea fermè exinaniter quæ deindè humorem biliosum ubertim a vena portæ emunget, ac deindè liberè in intestina excernit, & sic subsequens paroxismus tolli consuevit, vel præcavetur, dum a massa sang. biliosus humor plenius emulgetur, Statim verò exhibita vomitoria, certiùs juvant, ante quam febrilis Diathesis sit confirmata.

Purgantia per aluum quatenus purgant, cacochymiæ potiùs medentur, quam febri. Imò purgantibus intempestivè adhibitis, febres intermittentes in continuas mutantur.

Quare mitius purgare tutius est, ex. gr. potione ex mana sena, crem. tartari, vel infusione rhabarbari sennæ, & syr. ros. cum sale absinthij.

Imò securius est, & utilius aluum lubricam servare singulo die, exhibito cum syrupo ex cicoraceis, manè sal tartari, cum tartarum vitriolatum ana gr. xij.

Cætera enim solventia febrem exasperant, & turbatam sanguinis mixtionem magis turbant tartaria vero acidula, alKalica condictione, febrile materiæ opponuntur.

In statu tamen febris, ubi signa coctionis in urina aparuerit, tunc levis purgatio convenit. In augmento enim sunt omittenda solventia, & potissimum dulcia.

Si autem omnia sint cruda, & urina sit turbida, absque sedimento, cum viribus fractis, tunc neque per aluum, neque per sudores tuta est evacuatio; nam in vitæ discrimine, his ponuntur ægri.

Febris itaque in universale considerata, naturam habet morbi acuti, quia semper fit ab humore calido, seu bile, ob cruorem combustum, bilis autem est celeris motus, Et quia *in acutis purgandum est, & in principio*, ex Hipocratis 1. aph 24.

Ideò intentio purgationis in febribus, solumodò in principio viget, & quidem potiùs per vomitum, quia materia privans in acutis tenuis est, ideo raiò ad aluum sua gravitate tendit. Medicus autem educere debet materiam per locum ad quem vergit, & Hipocrate, &c.

Malè igitur agunt medici illi, qui in principijs omnium acutorum, statim incipiunt lenienti medicamento purgare, incurij de anticipando præcipiti futuro motu naturæ.

Pessimè verò agunt, qui neglecto motu naturæ, quæ in principijs acutorum, multò magis ad superiora, quam ad inferiora inclinat (ut patet ex doloribus capitis, vomitionibus biliosis, &c.) loco purgandi per hemeticum, cathartico purgare agrediuntur.

Atque bilem magis, magisque accendunt, & augent, dulci, blando, medicamento lenitente oblato.

Stultè agentes, & interficere volentes lupum, cum virgula; a qua sunt certi, quod fiet major irritatio.

Quamobrem morem gerere debemus Hipocrati qui statim in principio acutorum purgantibus potissimum hemeticis, & non lenientibus utendum esse docet in primo aph. 24. & 2. aph. 29. prout superiùs ostendimus.

Nam circà principia, & fines, tempus est movendi cum purgantibus ex Hip. 2. aph. 29. & 30. non in vigore morbi, quandò viscera æstuantia, ac debiliora, biliosos succos a se multo difficiliùs propellere possunt, quam a principio, veluti jam compræssæ, & domitæ, sub bilis tyranide.

Bilis autem a principio in multo minori copia existans, & non assueta extravasari, spontaneo motu per consuetas hepatis vias, & pori cholidoci permittit impelli, a spiritu impulsore valido, & integris viribus existentibus primis diebus.

Statim igitur ab initio observetur febris an acuta sit, magna scilicet symptomata habens; & an bilis moveatur in vasibus sanguiferis sine extravasatione (ut in causonide) vel bilis extravasetur, & efficiat aliquam inflammationem ex. gr. pleuriticam, &c.

Utraque enim ratione purgatio statim ab initio con-

convenit ex Hip. 4. aph. 18 qui jubet ut *si dolores sint supra septum transversum (ut est dolor pleuriticus) hemetico utamur*.

Si autem dolores sint *infrà septum transversum cathartico deorsum purgante utamur*; sumpta scilicet indicatione a motu humoris.

Sic enim sursùm ad os vergat dolorem inflammatorium faciens, ori propinquior existens humor, facilius purgabitur per os ventriculi supernum proximum, seu per vomitum.

Si dolor inflammatorius fiat infrà septum transversum, facilior tunc fiet expulsio ejus per cathartica, seu per inferiora intestina, ad imitationem naturæ, & ratione vicinæ loci.

Solummodò circà affectus oris superni ventriculi, magna controversia est apud auctores; quandò scilicet statim a principio urget cardialgia, anxietas, cibi fastidia, subversio, &c. an expediat potiùs movere per inferiora, an per vomitum, a quo periculum est, ne major copia materiæ trahatur ad os ventriculi affectum.

Attamen quia os ventriculi est anexum Diaphragmati, & ratione gulæ veluti ambiguum est an supra magis, vel infra septum sit; ideò in dicto casu, cautè agendum erit. Sic vel enim materia infestans reperitur in cavitate ventriculi, sine inflammatione; sed sola copia, mala qualitate inducens cardialgiam, & alia symptomata; ideoque spes sit, quod hemetico antimoniali dato tota evacuari possit breviori via per os, & tunc certo juvamine purgare possumus hemetico exhibito.

Vel materia infestans est infixa in ore superno ventriculi, & partibus circumjacentibus, ita ut uno verbo dolorem atque inflammationem concitet; ideòque spes non est quòd hemetico exhibito, indè facilè removeri possit; imò agitatione majori facta per vomitum rationabile est credere, quod etiam aliundè confluxura erit materia prava, ad symptomata augenda; & tunc procùl dubio non solum ab hemetico, sed etiam ab omni purgante abstinendum erit, & solis clysteribus agendum.

Dicendum est igitur juxta mentem Hipocratis, quod hepate, liene, renibus, intestinis, & affectis expedit magis per inferiora purgatio.

Imò in doloribus capitis factis per consensum viscerum abdominis purgantia per inferiora conducent antimonialibus supra simùl & per inferiora purgantibus.

Si adhuc post quintam diem, signa coctionis potissimùm in urinis aperiant, tunc medicamentum purgans adhiberi potest, quod pro majori securitate, a nobis commendatur semipurgans per alvum.

Sed si urinæ tenues sint, cum signis cruditatis, in primis diebus, exhibito vomitorio purgentur, eapse quòd excrementa febrilia, adhuc imprimis vijs hereant; neque ad cordis vasa pervenerint, quare quarta die, & post, tutiùs est agere cum clysteribus.

Vel in minori morbi acutie, & stomacho firmiori, possumus blandis laxativis, plurimo sero depurato cum cremore tartari uti, cassia cum tamarindis, & consimilibus, qui post se non calorem, sed refrigerationem, & humectationem relinquunt.

Evenit sepè sepiùs, quòd febrilis ab initio mitis, quæ nulla signa acutiei, vel turgescentiæ habuerit, post aliquot dies variis insurgentibus symptomatibus, signa turgescentiæ exhibeat.

In quo casu ambigere posset medicus, a tractari debeat purgantibus, veluti turgens materia.

Securiùs tamen, & rationabiliùs nobis videtur, patienter expectare coctionem, atque in viribus dierum decretorium magis confidere; quam incerta purgantium, vel phlebotomiæ administratione, ægrum in vitæ discrimine ponere.

Talis enim materia fermentativa quæ syptomata hæc adducit, solet esse tenuis ichorosa, acris, cruda, purgationibus inobediens, viribus jam fractis. Concocta autem purgationem indicant, & non cruda.

In leni autem febri, & in delicatissimis semi hominibus, ac pumilionibus, tutius est, & cum majori honore medici, abstinere ab omnibus validè purgantibus, atque uti blandis laxantibus, vel clysteribus, aut placidis artificijs febrifugis, & maximè in regulatè viventibus, qui neque internas, neque externas magnas causas occasionales febrium habere posse nobis compertum est.

Utrum die paroxismi purgans exhibendum sit nec ne; dubij sunt medici. Petrus tamen Monavius, apud Cratonem lib. 2. epistol. libero sermone ait. *Infebribus intermittentibus, etiam non aparente in urinis proba concoctione, si quatuor horis ante paroxismum purgans (supono hemeticum) dederit, ut plurimùm paroxismus non amplius reddibit, vel minorabitur.*

Hoc re vera testor me sepiùs vidisse in febribus cronicis, & in quartanis, in quibus expedit dimovere materiam a stabulo in quo latet, potissimùm hemetico antimoniali.

Zacut. Lusit. lib. 5. prax. adm. obs. 17. Suprà textum Hipocratis 4. aph 10. *Medicari in valde acutis eadem die, &c.* adducit Galenum in comento dicentem: *Priusquam robur corporis dissolvatur, vel febris caliditas augeatur, vel ad aliquod membrum principale decumbant humores, qui per corpus, vagantur purgandi sunt.*

Hipocratis tamen in hoc casu, non lenitivo; sed validissimo verato purgante utebatur.

Purgatio enim vera, & eradicativa, non convenit nisi in principio, per vomitoria, dum spes est, quòd circa ventriculum, & primas vias, reperiantur excrementa febrilia evacuanda.

Secùs per moram jam delatis excrementis ad partes internas, difficilimè eorum purgatio succedet. Et certissimè motus fermentativus massæ sang magis turbabitur, & æger ad pessimam febrem deducetur, jam humoribus simul confusis, & ex febri tertiana intermittente, facto transita in continuam continentem.

Quamobrem solumodò in declinatione, jam correcto, & maturato jam fermento febrili, conveniunt purgantia per alvum, sedata enim ebullitione aqua ferebantur humores sursùm, jam incrassati, & ponderosiores, sua naturali gravitate potiùs ad aluum nutant.

Purgantia propriè dicta, quæ per alvum solvunt, in febribus malignis non conveniunt, nisi forte proximè in hoc, cessata omni malignitate, & natura imperfectè movente.

Secùs funesto ferè semper homine in his alvus laxa observatur, & diarrheæ colliquativæ, & perniciosæ ut plurimum observantur.

Kergerus libro de fermentatione ait: *Purgantia per aluum, nil vel parum de vitiosis succis in venis fermentescentibus educunt; sed agitant, & confundunt eos fermentescendo; materia autem commota, & non evacuata, concitat mala, comminata ab Hipocrate in 6. Epid.*

Lene tamen purgans excipiatur, quod est pulvis Cornachini, qui præter vim eximiam emulgendi a massa sang. ichorositates, vim præcipitandi ad aluum impuros venarum liquores habet; ideoque observamus,

vamus, quod sine multa fæcum alvenarum dejectione, aquosa, tenua copiosissima purgantur, & sine spuma; in signum præcipitationis, sine fermentatione.

Cui si grana duodecim mercurij dulcis admisceamus, habebimus medicamentum perfectum, ad vias omnes excrementis febrilibus aperiendas, & quod in omnibus febribus, & omni tempore cęteris securius adhiberi potest.

Si autem quis querat, quæ nam lenientia, vel semipurgantia magis accommodata sint in febribus, penes non sunt decocta, vel infusiones tamarindotum sennæ, rhabarbari, meconcæ, cinamomi in sero lactis cremore tartari depurati. Syropus ros. solut. de cicorea cum rhabarbaro, mane. Potiones ex mana sena, cremore tartari.

Infusio sennæ cum sale tartari in vino albo absynthite, cum rad. gentianæ, & centaurio minore. Extractum rhabarbari. Sale absynthij, tartaro vitriolato, camomea, mercurio dulci an gr. x. cum rob de sambuco, bolulo parato.

Cassia cum elect. lenitivo sale, vel cremore tartari; vel cum tamarindis, & magisterio meconcæ. Elect. Diacatholicon..

Usus rhabarbari est præstantissimus in febribus potissimùm longis, cum obstructionibus ob amaritiem incidens, aperiens eximium. Sua styptica tate viscera confortans. Non relinquit post se calorem, illamque mala Diathesim, solitam ab alijs purgantibus relinqui, propter quam iterum excrementa ingeminantur.

China exhibita cum purgantibus; secretum auxilium mei amici erat, qui febres omnes intermittentes, se sanasse gloriabatur. Fatebatur tamen quod certiùs, & meliùs operabatur china in declinatione paroxismi exhibita cum sudoriferis, dum natura inclinaret per sudorem evacuari.

Sepè mercurius dulcis cum purgante per alvum a principio febris, ad finem pro omnibus auxilijs sufficere potest. Et numquam commendare cessabo gr. xij. mercurij dulcis cum ana stybij Diaphoretici. Diagridij, & tartari, qui semper cum fructu, sine turbatione, sine virium dispendio, etiam pluribus diebus exhiberi potest.

Helmontius acritèr increpat medicos, & dicit, *qui febrem intrà quatriduum nescit tollere, medici nomine indignus est.*

Remedium hoc febrium est sudoriferum, scilicet mercurius Diaphoreticus, qui incidit resolvit, ac tollit spinam, seu causam occasionalem febris, ubicumque ea fuerit, ut plurimùm etiam citrà sudorem.

In febribus enim archeus se ipsum accendit, tymosi sua, calidoque sudore febres tollens, ostendit medico, quod præcipua febrium curandi ratio, est per sudorem.

Alibi Helmontius se febres omnes curasse dicit, *exhibito mercurio Diaphoretico tribus scilicet vicinibus exhibito*, deindè nisi imminui, vel cessasse febrem observasset, *exhibito semel arcano corallino* Paracelsi purgante, obstinatissimas quasque febres se sanasse gloriabatur.

Sed ut plurimùm sufficit exhibere mercurium Diaphoreticum; nam quandoque unica dosi sanat, cessante confusione archei, ad appulsum spirituosi arcani, & viribus ejus ingeminatis, ut adversus materias peccantes validius insurgat. Mercurius enim Diaphoreticus, incidit attenuat, resolvit materiam peccantes, etiam sepè citrà cogitationem, & citra sudorem, obstacula removendo.

Difficultas solumodo versatur circà inventionem hujus mercurij dulcis, quam habuit Helmontius a præceptore Paracelso.

Alij enim sustinent nihil aliud esse, quam *panchimagogum Quercetani* scilicet mercurius dulcem sed fixatum per ternam destillationem impositi spiritus nitri, vel sulfuris a siccitatem, eadem fermè via qua fiunt cætera sudorifica ex gr. bezoardicum minerale, unicornum fossile, & consimilia per viam fixationis nitri.

Alij accipiunt mercurium dulcem, trina sublimatione per artificium homogeneum mercurij, ob omni acido corrosivo liberatum, & solùm in vasculo humili duplici, leni calore sublimant, iterùmque vase alio inverso (loco alembici) sublimat; & hac inversione vasculorum sæpiùs sublimant, donec bona pars hujus mercurij dulcis, forma pulveris non sublimati, sed in fundo fixi hæreat, quòd si folia aliqua auri admixta benè super pyritem fuerint multo copiosior pulvis obtinebitur.

Paracelsus hanc eandem sublimandi formulam, & habendi mercurium Diaphoreticum probat, & solummodo addit flores sulphuris dicens: *Mercurius Diaphoreticus, ultimam perfectionem aquirit per ruborem sulphuris ade aurei ascendentis sepiùs, ut sic ambo unione indissolubile nectantur.*

Io: Helmontius in capite quod instituit titulo: Febrium perfecta curatio, sic loquitur: *Unica falce mercurij dulcis amputantur omnium febrium causæ occasionales; qui nobis insinuatur a Paracelso, in libro de morte rerum, tum in chyrurgia magna* solus enim inservit, & complet desideria medentium, tam in physica quam in chyrurgia, in omnibus morbis.

Ego sic manifestius declarabo (ait ipse) *Recipe pulverem Joanis de Vico* (scilicet mercurium præcipitatum per aquam fortem more solito, &c.) *huic affunde elementum ignis extracti cum aqua forti* (interpretatur pro spiritu nitri) *atque cohobandus est quinque vicibus, sub finem agendo ignem*; sed quia est pulvis valdè corosivus, cohobandus est decies cum aquavivæ optima singulis vicibus renovata, donec omnem corrosivum abstulerit, & fiat dulcis.

Ipse quidem, nec talem mercurius dulcem Diaphoreticum feci, neque adeò facilè credere possum, quod hoc modo deponere possit corosivum aquisitum ab aqua forti seu vitriolo; quare semper vehementèr purgabit.

Ideoque si quis tutius incidere velit, morem gerat Paracelso antecedentèr docenti, quod mercurius Diaphoreticus (mercurius dulcis noster ante descriptus) ultimam perfectionem aquirit per ruborem sulphuris ascendentis sepiùs; ut sic ambo unione indissolubile nectantur.

Talis enim mercurius verè dulcis, in bona quantitate semel exhiberi poterit, ad grana xij. quindecim, imò ad scrupulum unum, & ulterius, singuloque die ægri incommodo, sine periculo exhiberi poterit pluribus diebus; vel etiam addito aliquo purgante (ex. gr. pulvere Cornachini) tutò & cum fructu semper propinabitur.

In febribus intermittentibus, die intermissionis meticulosis, & renuentibus medicamenta per os, tutò clyster ex sola infusione ægrij vini albi, & grana triginta, & ulteriùs croci metallorum injiciatur, est enim auxilium quod nullis primis qualitatibus, caloris, acredinis, &c. particeps, vi quadam ætherea, magnetica, invitat ad se excrementa, a partibus longinquis, & loco purgantis per alvum adhiberi potest.

Imò habet hoc mirum, quòd sepè si excrementa febrilia reperiantur circa stomachum, ea vomitu dejicit, non secùs, ac si per os exhibitum fuisset tale vinum.

In

In autumnalibus febribus, poſt declinationem, per aluum ſemel, vel bis purgare optimum conſilium eſt, ob recidivæ metum.

Tachenius in ſuo Hipocrate chymico celebrat pro febricitantibus hypocondriacis, aſtmaticis, potionem refrigerantem, & humectantem aluum placidè ſolventem, *ex mana, cum ſale prunellæ diſſoluta, in copioſa aqua communi, & epota in ſumino ſtatu caloris febrilis.*

Pro illis verò febricitantibus, quibus valida purgantia ſuſpecta ſunt, tum dulcia lenientia non quadrant, & ab uſu clyſterium aborrhent; de ſtyptica tamen alvo inclamant, felicitèr aluus ſemel, vel bis ſolvetur in die; atque etiam bilis refrigerando corrigetur, & obſtructiones detergendo aperientur; exhibitis cum matutino ſirupo, vel etiam juſculo (ut minus ſtomachus afficiatur) ſale tartari, tartaro vitriolato, & cremore tartari, vel nitro ana gr. x. circitèr, magis vel minus, &c.

Oleum amygdalarum dulcium copioſum, ſcilicet ad gr. & ulteriùs exhibitum. Vel etiam oleum olivarum in aqua communi coctum ſi exhibeatur, ſive rettineatur, ſive evomitur, ſemper vim habet, leniendi aſperitatem bilis, & ab ejus acrimonia ventriculum, & viſcera munit, ideò anxioſis febribus, ac vomitorijs utilis ſaltem cocleare unum, vel alterum ſumptum ſtatim ante cibum propinentur.

Monita de Alterantibus in febribus, & morbis acutis.

HIpocratis libro de veteri medicina ait: *Dum bilis in principio lædit cruda, meraca, intemperata, nulla arte dolores, neque febres ſanare poteris, niſi coquatur, alijs admiſceatur, inde expurgetur. Coqui autem, & alterari, attenuari, vel craſſe fieri in multas humorum ſpecies poteſt, tum etiam judicationes, & numeri temporum, in tallibus multum poſſunt.*

Ex hoc ſanè aureo textu prudens medicus colligere poteſt difficultatem ſanandi febres, & morbos acutos a bile ſi per infortunium omiſſa fuerit præceps occaſio purgandi per hemetica bilem ſtatim primæ, ſecunda, ad ſummum tertia die, vel quarta antequam viſcera lædat, atque inficiat; nam poſtquam hæc lædit, inficit, atque infixa jam fuerit, cruda, meraca, intemperata exiſtens, nulla arte (ſcilicet per purgantia, vel alia, &c.) febres, & dolores ſanari poterunt, niſi maturetur, videlicet alijs admixta, & mitigata, præparetur ad exitum, Coquitur autem, & maturatur humores, a Neotericis digeſtivam jure meritò appellatam eſſe invenimus; quia patientèr expectanda eſt ut fiat, & non eſt auxilium inſtantaneum, ut venæ ſectio, vel etiam hemeticam.

Inter igitur varia digeſtiva bilis, alia ſimplicia ſunt acetoſa, quæ maſſæ ſang. fervorem attemperare, ac inhibere poſſunt, ne cruor in tanta copia fiat, & bilem amaram, fuliginoſam alKalicam proferat; cujus quidem farinæ ſunt, oxalis, pimpinella, portulaca, trifolium acetoſum, &c.

Alia ſunt aquea, frigida, inſipida, inflammatum cruorem (veluti aqua affuſa incendijs) diluentia, & lymphæ lotricis ſalium penu augentia, & talia ſunt ſoncus, endivia, lactuca, & uno verbo cicoracea omnia.

Alia velocitèr præter labendo, ac refrigerando ſecùm rapiunt bilem, potiſſimùm circà primas vias repertam, ad vias urinæ, ut ſunt aquæ acidulæ quorundam fontium, vel emulſiones ex quatuor ſeminibus frigidis, cum pulvere oculorum cancri.

Alia dilutam alKalicis bilem præcipitant, & per urinam evacuant, ut facit ros vitreoli, ſpiritus ſulphuris, ſpiritus vitrioli, qui penes Riverium, titulum antifebrilis obtinuit, conſtituitque ex eo, & ex aqua deſtillata, ſatis celebre auxilium antifebrile.

Hoc qnoque ſpiritu vitrioli mediante, innocuè poſſumus gratificari ægro, & ad ſatietatem propinare in febribus æſtuoſis, ſticuloſis hauſtos aquæ frigidæ, propter quam inter medicos præceſſores, majora fuere certamine, quam Lapitarum, cum Gentauris,

Nam alij decocto hordei copioſo eſſe utendum loco frigidæ; Alij ſero caprino. Alij aquis deſtillatis magis fidendum eſſe contendebant.

Nos verò ſolo admixto ſpiritu vitrioli, ut parùm acidula fiat, Hippocraticæ, & Galenicæ Doctrinæ ſatisfacimus, qui jubent frigidam fontis aquam, & non aliam, Admixto enim ſpiritu vitrioli, removetur periculum quod diù *hereat in ſtomaco, & viſceribus, indè mixtione* allapſæ bilis bilieſcat, ut notavit Hipocratis.

Nam ſpiritus vitrioli, ſibi undique aperit vias, diluitque cruorem, præcipitata bile, quam cum copioſa aqua epota, ſecùm ad vias urinæ ducit.

Obſervamus enim quod ſpiritus acidus vitrioli, eſt ſummum præcipitans tincturarum omnium, & potiſſimùm alKalinarum, ſeu urinoſarum.

Zacutus Luſitanum lib 3. prax. adm. obſ. ſeptima reperias, qui in talibus febribus ferventibus, ſticuloſis gelidæ potum ad ſatietem propinat, abſque expectata coctione.

Alia narcotica; mitigitaniva Archei ratione, maſſæ ſang. motum præter naturalem moderantur, & nocturno ſommo impetrato, bilis ferociam mitigare poſſe certum eſt.

Ideo opiata confici poterit cocleatim ſingula hora ſummenda, ex opus conſervis, ut pulveribus confect. hyacenthinæ alKermes, vel fructibus acidis, cum lapide prunellæ, ſalæ herbarum fixo, pulveribus margaritarum, & teſtaceorum, & ſpiritu vitrioli, vel ſucco citri. Veſperi verò ante ſomnum emulſio cum gr. ij. laudani opiati.

Alia digeſtiva bilis ex pulveribus acetoſis parantur vel ſalibus ex. gr. crem. tartari, ſale tartari, tartaro vitriolato. Salibus herbarum fixis, potiſſimum abſynthij, centaurei minoris, agrimoniæ, &c.

Alia ex ſpiritibus acidis, inter quæ eſt potiſſimum ſpiritus ſalis, ſpiritus, & ros vitrioli, ſpiritus nitri, ſpiritus ſulphuris, ſed hæc debent dulcificari, bis vel ter diſtillando, cum reſtificatiſſimo ſpiritu vini. Spirituſque omnes minerales ad id intervient.

Alia ſunt digeſtiva abſorbentia dicta, quæ acida errantia abſorbent, ac dulcificant; dum ſunt cauſæ, ut maſſa ſang. præternaturaliter, fermentetur.

Inter hæc numeratur mercurius dulcificatus, vacuum inſipidum alKali, liberatum omninò ab acido vitrioli.

Vulgo magis familiaria ſunt, oculi cancri, perlæ corallia, mater perlarum, imò teſtacea omnia, cortices ovorum, Cornu cervi, ebur, china chinarum, radix tormentillæ, gentianæ, &c. Sal prunellæ arcanum duplicatum, ſeu panacea Ambaldina, cinabaris antimonij ad ſcrupulum ſemis circitèr. Vitriolum martis,

Alia digeſtiva materiarum craſſarum, frigidarum,

rum, tardigradarum, sunt forma salium volatilium. ex. gr. *Sal* volatile cornu cervi, vel viperarum, succini, &c. quæ exhibeantur tribus circitèr horis ante paroxismum cum cibo, vel cum grata potione, vel jusculo, ut forma diluentis chyli, massæ sang. se immittere possint, ante quam materia febrilis ad cor perveniat.

Alia digestiva dicuntur, quia excrementa cruda, quæ viscerum fermenta obruebant, a visceribus removent, præparata, modificata, & ad vias urinæ deducta; ut deindè viscerum fermenta veluti mortificata resurgant.

Talia sunt tartarea omnia, nitrata, salia herbarum fixa cornu cervi philosophicum. Spiritus omnes minerales acidi, succus citri, limonum, aurantiorum; Quæ omnia particulas etiam morbificas massæ sang confutas secernunt, & præcipitant.

Alia digestiva titulo diureticorum veniunt, quia incidendo, attenuando, fluxiles materias, crudas, tardigradas, obstruentes reddendo, ipsas ad vias urinæ ducunt expurgandas.

Inter verò temperatiora, quæ in febribus convenire possunt, sunt spiritus tartari, tartarus vitriolatus, sal prunellæ sal anonidis, oculi cancri, spiritus salis, vitrioli, sulphuris dulficati, cum spiritu vini, &c. Radices aperientes asperagi, ononidis, rubiæ fæniculi, baccarum juniperi, &c.

Alia digestiva titulo aperientium veniunt, quia sensim, & sensim disponunt materias crassas obstruentes ad exitum, & vias dilatare dicuntur.

Inter quæ eminent spiritus acetosi mineralium dulcificati, in febribus acutis calorificis; nam in cronicis febribus a materia acida melancolica, crassa, tutiùs est abstinere ab acidis, & eorum loco adhibere amarulenta, absintiaca, gentianæ radices, china febrifuga, sal martis, arcanum duplicatum.

Alia digestiva titulo sudoriferorum veniunt, quia tenuitate sua præparant, deindè digerunt, & per sudorem materiam morbificam resolvunt.

Quæ quidem innumera sunt, quæ ab auctoribus proponuntur, nos tamen quæ selectiora visa sunt in medium afferemus.

In primis enim sunt salia volatilia cornu cervi, viperarum, succini, sal. armoniac. trocisci de viperis, tinctura ex vertebris exiccatis viperarum.

Theriaca. Spiritus cornu cervi. Cortex Peruvianus chinæ. Spiritus armoniaci, qui pro arcano in febribus venditatus fuit.

Lapis bezoar. Bezoardicum minerale. Unicornu fossile. Antimonium Diaphoreticum. Arcanum duplicatum. Cornu cervi philosophicum, tum aliæ ejus præparationes.

Opium cujus vim Diaphoreticam detexit Etmulerus sua magna laude cap. de vi Diaphoretica opij. Atque theriacales cardui benedicti, scabiosæ scord. ij aliæque plurimæ spirituosæ, seu spiritus vegetabiles, si potissimùm cum suis salibus essentialibus, & etiam cum suo sale fixo admixtæ fuerint.

Non minùs ac spiritus cornu cervi, spiritus fulginis, vel spiritus salis armoniaci sudores movet. Spinæ viperarum pulvis.

Bezoardica varia Libavij, sed potissimum bezoardicum solare. Cansura, & quæcumque alKalica calida sunt.

Omnia denique sive antimonialia, sive mercurialia quæ omnino per artem (& potissimùm per nitrum) fixa reddita fuerint, in alKali insipidum.

Decocta lignorum santi, sassafras, & cum pulveribus viperarum in pertinacissimis febribus eorum, qui semel tabo Venereo contaminati fuere.

Aqua cordialis Saxonię cum sudoriferis exhibita celebratur. Papaveri erratici decoctum, vel tinctura in aqua spiritu vitrioli acidula facta, in estuosis febribus nuli sudorifico cedit, & securò propinatur.

Salia fixa aromaticorum, cephalicorum simplicium sudorifera non infima sunt.

Mixtura Crolij celebratur, quæ paratur ex aqua cardui bened. sale absynthij; & spiritu sulphuris, quam rarò sine fructu se exhibuisse testatur Riverius.

Sed in intermittentibus spiritus salis armoniaci, repetito usu, rarò fefellit.

Zacutus verò Lusitanus lib. 3. prax. hyst. obser. 151. ad sudorem provocandum in febribus estuosis aquam florum papaveri erratici experitus est Quare noctu ante somnum cum emulsione opiata in omnibus morbis acutis a bile excitatis, certum auxilium est.

In declinatione febris cujuscumque, in qua expectetur sudor, si in summo vigore febris, æger suam, vel puer sani, bonum vinum ante bibentis assumpserit, duplicatum, imò triplicatum sudorem obtinebat, & ut plurimùm febris tolletur, quo auxilio quidam inclaruit; nam urinam suam destillatam, cum modico etiam sale armoniaco, cum tantundem aquæ cardui benedicti propinabat felici exitu.

Alia denique digestiva appellari possunt universa, quæ titulo febrifugorum veniunt, sive enim qualitatibus manifestis causam febrilem alterent maturent; digerant; sive occultis qualitatibus id agant, sufficiat ut febres tollere possint. Quorum paritèr caterva innumerabilis est; sed nos ad certa, & experta magis animum adjicimus.

Sylvius igitur, qui præcipuè pugnandum esse decernit, cum pituita, & mucosis excrementis primas vias impedientibus, viscera, & glandulas mesenterij obstruentibus, salibus volatilibus, succini, salis armoniaci, stybio fixo, Diaphoratico mercurio utitur pro febrifugo,

Riverius quandò prava quædam Diatesis, intemperies atque debilitas alicujus visceris est causa longitudinis febris intermittentis, quæ ideò purgantibus non adeò facilè cedit, sed novos semper cumulat humores; tunc accommodatum febrifugum est ℞. cremoris tartari, salis tartari, tartari vitriolati an scr. matutino tempore cum dr. decocti, vel aquæ florum camomelli, a quibus alvus, semel, vel bis solvetur in die, & intrà paucum tempus febrem tollet.

Paracelsus, & Helmontius febres omnes intermittens intra quatuor dies curare docent, sine ulla venæ sectione, & vino semper concesso, exhibito suo mercurio Diaphoretico, qui tollit omnem causam occasionalem febris, ubicumque extiterit, etiam citrà sudorem.

Bellini febrifugum est, Sal fixum ex cephalicis aromaticis, majorana, lavendola, rosmarino stecade, &c. cum aqua eorundem, vel cardui benedicti stomacho jejuno, ante paroxismum.

Notare tamen debemus, quod febrifuga ante paroxismum sumpta, efficere solent, ut paroxismus duplo vehementior fiat, sed sequens paroxismus non redit, vel minor fit, & reiterato medicamento evanescit febris. Sic enim mali fons ex latibulo suo propellitur totus, & in massam sang. delatus paroxismum graviorem facit.

Etmulerus igitur observat, quod super cætera febrifuga mercurius optimè præparatus, sive forma sudorifica, sive sub forma dejectoria, (ut est præcipitatum corallinum Paracelsi, vel præcipitatum cum auro scilicet Herculem Bonij) certò tollunt, & eradicant

dicant mineras febriles, causas cronicarum febrium ex. gr. quartanarum, si tribus circiter horis ante paroxismum exhibeantur, movent enim ex fundo totam materiam, & agitando purgant.

Sed cum magno ægri incommodo, & sepè febris fit continua, de lata tota materia in venis, quæ deindè inventis vijs excretionis per sudorem alvum, vel urinam, cessat omninò febris.

Nam provocare in suo latibulo materiam ex. gr. quartanariam, est provocare leonem, vel draconem, qui tenui baculo non cedit, nec interficitur, sed obsistit, & sepè interficit; sic agunt illi qui tenuibus purgantibus quartanam febrem, vel cronicam lacessunt.

VVidelius egregium suum antifebrile parare docet, ex nitri vitriolati capite mortuo stybio Diaphoretico, matre perlarum, lapidibus cancrorum, cornu cervi usto, sale absynthij, & centauri minoris, additis granulis opij, & canfuræ. Nam præmisso hemetico certò febres omnes intermittentes tollere dicit.

A Boileo radix gentianæ cum tantillo nucis vomicæ in vino infusa, in paroxismo exhibita, præfertur china chinæ, quia febrem ex integro tollit, sine recidivæ metu.

A VVechero alumen cum nitro, & nuce muscata ana, pro singulare febrifugo intruditur.

Zacutus Lusitanus lib. 3. praxis adm. obs. 7. ait'. *Febres erraticæ, vel cronicæ, quæ fiunt ab humore crasso, veluti incinerato autumnali tempore insurgentes, syrhum lienis, alvi fluxes, vel hydropem minantur. Ideoque eas usu chalibeatorum tollere soleo; tunc enim necesse est tollere opillationes, cum illis medicamentis in quibus sit tenuis vis ignea; quæ secùs in febribus adversa est.*

Riverij verum febrifugum (quo se ditasse fatetur) & quod dicit esse potionem catholicam in omnibus febribus, etiam in continuis & periculosis. Conficitur ex sale absinthij dr. 5. spiritus sulphuris sc. & aqua cicorei unc. iij. Eodem verò tempore applicat carpis manuum, emplastrum ex telis araneorum Strobelbergeri.

Discipulus Riverij obs. 83. fatetur prædicto febrifugo salis absynthij, & spiritus sulphuris centenas febres sanasse.

Scroderus quoque pro universali febrifugo spiritum sulphuris insinuat; est enim simul ingens aperiens, diureticum, diaphoreticum, corruptionibus resistens, materias pravas inficientes, veluti tincturas massam sanguineam turbidam ridentes, & bilem diametraliter alKalicam, & adversam, aciditate sua præcipitans.

Si autem opus sit, incrassatas materias incidere, attenuare, liquare, hoc pariter obtenuitatem, & pene. trationem liquori cui admiscetur exhibitum perficere potest. Ideòque ad viscerum impedimenta, & obstructione tollendas est auxilium accomodatissimũ.

Jo: Baptista Dolobella medicus empyricus Veronensis, plurimos certè Venetijs desperatos sanavit, sua aqua parata, ex parvulis nucibus viridibus (scilicet quæ immaturæ circà primum diem solstitij æstivi colliguntur) contusis, & destillatis in B. M.

Nam exhibita hac aqua ad unc: j. tribus, vel quatuor vicibus, & amplius, tum intermedijs diebus exhibito sale tartari, cremore tartari, & tartaro vitriolato ad gr. x. Febres quascumque diuturnas, hydropes quart. cũ cachexia, vel etiam sanat opillatos, lienosos.

Uno verbo omnes qui habuissent fermenta viscerum naturalium, pessundata, atque glandulas abdominis infarctas, & impeditas, ne muneri suo depurationis seri alb. fungi possent, hoc certo, & infallibili auxilio sanabat.

Reputavi hoc magnum auxilium dependere non ab occulta qualitate, sed a manifesta quadam styptici-tate, confortativa glandularum abdominis, & viscerum, quæ adjuta a tartareis, restituit lapsis viscebus suum tonum, ut suo muneri incumbere possint. Et sic in cronicis disperatis affectibus vidi mirabiles effectus sortiri.

Crolij febrifugum, quod in omni febre; sed potissimum in quartana præstantissimum est, tartarum suum vitriolatum dicit esse.

Quercetani febrifugum, quo utitur in æstuosis febribus, atque in tertianis, hora una, vel altera, ante paroxismum, quòd mirabiliter bilis acrimoniam infringit, est hepar ranarum, *ita exiccatum*, ut pulverizari possit, *cum aqua destillata* exhibitum.

Vir religiosus innumeros febricitantes intermittentibus febribus, pulvere camomelli ad dr. j. cum aqua, vel decocto camomelli ad unc. j. sanavit.

Michaelis Bori decantatum febrifugum fuit (quo Romę sanavit principem Radzuil legatum regis Polonię, ad pontificem) conchæ illæ ovalis figurę, quę in paludibus nascuntur, *integræ exiccatæ in ola*, ut pulverizari possent.

Princeps enim magno præcio solutum secretum, pro charitate in proximum promulgari voluit.

Riverius narrat, quod febrifugum sui præceptoris Varandei erat (aparentibus *signis* declinationes febris) theriaca ad dr. j. cum ciatho aquæ *plantagini*, tribus vicibus, ante paroxismum febrilem.

Nostrum verò bferifugum, quòd cautè, & tempestivè exhibitum, nunquam fallit, vel saltem utiliter exhibetur est china chinæ, seu cortex Pervanus; cujus primus promulgator in Italia; fuit TenKe, parvulo libello suo circà medietatem sæculi elapsi.

Quam proponit statim in principio, sine ulla prævia purgatione, vel sanguinis missione, nam illicò supressa febri, præservantur ægri ab omnibus symptomatibus, & a febre maligna.

Præterea prodesse scribit in omnibus morbis cum febre, in quibus insignis est in massa sanguinis fermentatio ex. gr, in alui floribus, doloribus capitis, &c. quos omnes cessare facit, cum ipsa febre.

Interim monet, quod post sumptam Chinam saltem per 20. dies, ab omni purgante abstinendum est.

China creditur a multis esse corticem radicis gentianæ, quæ pariter febrifuga, in vino exhiberi potest pulverizata. Vel in forma tincturę, extracti, vel decocti, &c.

Hip. 7 epid. ait: *Febres intermittentes, quibus horrores accedunt, hæ quandoque malignæ fiunt, & ad morbos acutos perveniunt; quare præcavere oportet.*

Nostris verò temporibus non habemus præcautionem magis securam, & certam, quam per chinam febrifugam, que mediante medicus christianus charitativus, statim vocatus, primis diebus certus est febris cursum ad acutiem, vel malignitatem properantem, se frænare posse.

At impij medici, & sine ulla charitate in proximũ, hypocrisi bonę conscientię fringentes se velle methodicè, secundùm Galeni doctrinam curare, reliquunt ut febris suis medicamentis lenientibus stimulata, naturalem cursum peragendo, sine præcautione chinæ, ad acutam, vel etiam ad malignam febrem feratur.

Sic enim certi sunt (dolenda impietate in proximum, quam ipsi ab alijs habere nolent) quod si sanetur æger magni Maceonis nomen reportaturi, sunt, & conspicuam utilitatem.

Si enim citò per chinam sanentur, neque honor, neque utilitas ab ingrato Mundo reportabunt. Sed parum ingratitudo hæc movet probos medicos, qui in terris mercedem suorum bonorum operum, paucis diebus duraturam non querunt, sed ad æternam mercedem, gloriam, & coronam anhelant, quam Deus,

diligentibus se, & proximum repromisit.

Saltem Auri sticuloſi. Et boni nominis varia ratione occultatam chinam ægro, ipſi propinent (hoc enim commendatum esse potest, penes Deum, & homines ingratos) ideoque antiquitùs Hippocratem pacta mercede ægros suos citissimè curasse reperimus, & hoc paritèr jussisse discipulis suis.

Et nostris temporibus nemo magni medici nomen adepturus est; nisi qui habuerit saltèm decinam secretorum, in magnis necessitatibus a se paratorum.

Stultissimus enim mundus, habet hoc, ut quæ vilia, plebeja, & omnibus nota sunt, contemnat, quæ sibi occulta, & secreta sunt magni faciat.

Invidia quoque pessimorum medicorum coegit medicos prudentes, quandò certo sciunt cum juvamine se posse exhibere suum secretum, non contendere cum eis, qui in æternum non admitterent tale secretum, mille oppositiones interponendo; nec non si casu malè succedat curatio; os illis claditur, qui blaterare non cessarent; si medicamentum innotescat.

Quare commendabiles sunt isti, per aliqua sua peculearia secreta sanatores. Non desunt enim in curtu morbi alia, quæ penès hipotecarios venialia habentur, quæ præscripta faciunt, ut apotecarii taceant, neque increpent medicum pro lupo insociabili, & stolo.

Quæsita quæ fieri solent circà chinam febrifugam;

1. Cur chinæ usus celebrandus est; sicuti enim certò recedit febris, ita citò revertitur; imò quandoque vehementior. R. quòd sine arte, & vulgari modo exhibita, febris revertitur, ac recidivat; sed cautè, & prudenti ratione exhibita integrè cessabit.

2. An china habeat rationem incrassantis, an attenuantis? nam observatur quod materiam febrilem in sua minera mortificat, & veluti præcipitat, & fixat per aliquod tempus.

Re tamen vera si qualitates primæ observentur, & acutam, amaram esse, potiùs rationem habet attenuantis, quam incrassantis; ideòque cautè exhibita magis obstructionibus tollendis, quam augendis, vel firmandis inservire potest. Imò in computo sudoriferorum penes auctores venit.

3. Quomodò fieri potest, ut china unicum, & simpliciſſimum medicamentũ existens, tot varias, & inter se differentes febres tollere possit, quorũ aliæ fiunt a materia frigida, crassa aliæ a materia fervida tenui.

R. Hoc esse summum nostrum testimonium, quòd febres omnes ab unica causa immediata, procedant, nempe a turbata sanguineæ massæ mixtionem, propter turbatum, & irritatum Archeum, incolam spiritum vitæ in corde.

Ita ut infallibili chinæ experientia confirmatus, deindè libera loquendi formula adversùs Galenum, & Galenicos, sine ulla titubatione calami usus fui, hoc meo libro de febribus, unicam in essentia sua esse febrem, ideòque unico tantùm remedio tolli, ejus autem differentias esse plures; sed accidentales, ut in progressu patebit.

4. An china agat ignota quadam vi inexplicabili, propter quam unica vice in magna copia exhibita febres suprimere valet. An verò agat concordando cum spiritu nostro sensitivo calorifico.

R. Quod dono creationis, singulis rebus exhibito ab Altissimo, china fuit instructa spiritu quodam æthereo, concordante cum spiritu nostro paritèr ethereo, illumque iratum, ac effervescentem veluti pacificat, materiam verò febrilem acidam, suo amatore AlKalico moderatur, atque attemperat.

Quare prudens medicus secùm retiocinari debet. Fermentativus motus febris, a spiritu nostro concitatus, licet bonus non sit; institutus saltèm a natura fuit, in gratiam boni, quia per hunc intendit sequestrare probos, & alimentales succos, ab excrementis intermixtis.

Nullum enim est aliud Vitæ, sanitatis, & nutritionis instrumentum, seu modus; quam separatio alimentitiorum succorum, ab excrementis, propter quam circulatio sanguinis directa ad tot instrumenta depuratoria, instituta fuit.

Non expedit igitur unica vice, & subitò, copiosa china exhibita manum veluti injicere in operibus naturæ, recte operare tentantis. Sed licet solùm per opiata quadam, & blanda ratione spiritum invitare, ad deponendum favorem, & ad assumendum suum conaturalem motum, sufficientem excrementorũ expulsioni, dum interim sua quoq; præsentia eatẽ excrementa modificat alterat, atque attemperat, ut non recalcitrent expulsioni, ab eodem spiritu peccato faciendæ.

Quæ intentiones potissimùm obtinentur per chylum, apta ratione preparatum, imbutum viribus chinę.

Ideòque observamus certò, & infallibili experimento, quod prima, & secunda die pòst exhibitam more nostro chinam, spiritus confortatus vehementiorem febrem concitat; sed deindè post tertiam, vel quartam exhibitionem, mitigatis etiam febrilibus excrementis, minoratur, & mitigatur febris, & tandem in infebricitationem desinit; neque certè redit, nisi in ijs qui intemperanter vivere volunt.

Verùm si unica vice tantùm, & in copia exhibeatur china, laboratur veluti spiritus, postquàm semel illius febris fermentatione mediante, deposuit in sua minera excrementa febrilia; neque ampliùs ad ea movenda accedit, nisi in majori quantitate, & molestiori qualitate adaucta fuerint. Hinc est quòd tunc spiritus vehementior insurgit, & febrem majorem facit, quam priùs,

Vi igitur sua styptico-amara, cruditatis imminuẽdo viscera firmando, ac roborando, eis fermentum lapsum restituit, ut muneribus suis vacare possint.

Aciditates fermentativas AlKalicum auxilium præstantissimum infringit, fermentationesque sistit, amica ratione.

Archeum demulciendo, hostile ratione versùs excrementa febrilia pugnando, massæ sanguineæ optimam, & naturalem crasim, & compagem firmiorem largiendo, febres efficacissimè tollit.

De modo adhibendi tolumodò, penes medicus magna controversia est, propter quam deindè, hoc præstantissimum, & certum auxilium febrium omittunt, veluti falax, & incertum propter recidivas.

1. Primis temporibus exhibebatur infusa in vino malvatico (pro dracma singula; singulos aureos ducatos venundata) aliquot horis ante, deindè sine collatura, duabusque horis ante paroxismũ exhibebant, quo paroxismo cessato, non ampliùs comparebat febris, nisi post exactum semicirculum lunæ, scilicet circa diem xiv. vel xv. quæ iterum certa ratione redirat, sicuti certa ratione recesserat.

Ex illis tamen prudentiores, exhibere cavebant in cacochymis plethoricis, vel in quibus magna congeries crudorum humorum fuisset, nisi prius premissis universalibus, & debitè evacuato corpore.

Isti etiam dicebant se hoc agere in cura coacta, & in diuturnis febribus, ad ulteriora mala præcavenda, cachexiam, hydropem, &c.

Vel quandò ob labentes in singulo die vires, & febris acerbitatem egros in vitæ discrimine positos esse observarent; ut saltèm per curã hanc palliativã datis inducijs horum 14. dierum, vires reffocillarentur, dubia spe ne integrè febris abiret per optimam servatam vivendi rationem, in probo temperamento.

2. Alij, post dictam exhibitionem unica vice chinæ,

næ, & refocilatis jam per hebdomadam viribus, exhibebant cum china hemeticum antimoniale, vel in debilioribus drac. 5. chinæ cum pulvere Cornachini ana gr. x. Mercuri dulcis admixtis facto bolulo.

Deindè singulis tribus diebus, manè propinato bolulo ex drac. 5. chinæ, & tartari vitriolati, salis tartari, & cremoris tartari ana gr. x. Quarto verò die iterum exhibito Mercurij dulcis bolulo, pertinacissimas quasque febres, ab impeditis, & obstructis visceribus dependentes certò sanabant.

3. Alij in pauca quantitate scilicet ad sc. 1. in bolulo exhibebant, cum aquis ad indigentiam accommodatis, vel decocto, in forma syrupi matutini, & observabant, quod sequens, vel etiam alter paroxismus vehementior fiebat; deindè sensim in paroxismis subsequentibus imminuebatur, & tandèm omninò evanescebat.

Sed in usu continuò chinæ ad sc. 1. per 14. dies constanter perseverabant. Quia etiam ratione primis temporibus, me sempèr felici omine plurimos ægros sanasse fidelitèr attestor.

Atque observavi verum esse, id quod Syndenhamb observavit, quod china a vasibus cordis propellit longè humores febriferos, & potiùs ad aluum, vel sudores; nam post usum chinæ urina semper lympida aparet.

Hoc pertinaci plurium dierum usu, observatum fuit, curari hecticas puerorum, dummodo a materia febrili in vasibus cordis efferveścente fiat, & non sit hectica vitio malè conformati stomachi,

4. Alij in delicatis personis chinam in forma extracti porigebant; sed experientia innotuit multò debilius operari quam si exhibeatur in substantia.

Ideò sine menstruo spiritus vini, alij excogitaverunt facere tincturam chinæ, priùs in alKol deductam, & in pulverem impalpabilem imissam in spiritu alicujus vegetabilis febrifugi, ex. gr. cardui benedicti, & aromatizatam cum guttulis essentiæ citri, vel aquæ cinamomi propinabant assiduò, &c.

Parabatur verò ex unc. j chinæ pulverizatæ, in aqua accomodata indigentiæ ex gr. spiritu aperitivo, vel alio vexetabilium, additis drac. ij. salis tartari.

Hanc quoque tincturam aliqui evaporabant, ad mellis dilutæ consistentiam, cujus coclear aromatizatum, dulcificatum cum hyacinthina, vel alKermes admixta, illicò ante cibum exhiberi potest; vel etiam in jusculo, pluribus diebus.

5. Alij unciam chinæ sumebant, & cum rob de sambuca, & pulveribus absorbentibus efformabant veluti electuarium sumendum ad drac. j. circitèr manè, & vesperi, donec eodem absumpto, febris cessasset omninò; sic enim a recidiva præservantur.

6. Alij in tali usu chinæ perseverabant; sed admixtis alijs febrifugis ex gr. centaurio minori, cortice radicis gentianæ, & similibus; sed certò experimento observatum fuit, quod non augetur; sed potiùs valdè imminuitur vis febrifuga chinæ; forte ob varios agendi modos variorum febrifugorum. Certum est enim, quod post propinatam chinam, si aluus medicamentis solvatur, recidivat febris.

7. In vino albi unc. iij. infusa dr. 1. chinæ, singulo die per clysterem immittunt, nam mira ratione omninò agere observabant, ac si singulo die per os scr. j. chinæ sumpsissent; nam circa septimum diem febris cessabat. Interim non desistebant ab usu recto alterantium.

8. Nos qui observavimus, ex aureo textu Hip. in lib. de veteri medicina, superiùs citato, difficultatem sanandi febres in principio, quandò *excrementa læduni crudæ, meraca, intemperata, nisi aliis admixta coquantur, & attemperentur*. Excogitare cepimus modos, qui bus intentionibus istis satis facere possemus.

Cæpi igitur exhibere chinam in pauca quantitate, scilicet ad gr. x. cum cibis manè & vesperi, ut sic cum chylo delata ad cor, massæ sanguineæ certò admisceretur, & diluta etiam bilis a blando chylo attemperaretur, & expulsori spiritui obtemperaret.

Atque observans, quod hæc oblatio chinæ cum alimentis benè inserviret, cæpi excogitare pro delicatissimis illis, quia solo nomine medicamentorum abhorent, quomodò inscij decipi possent.

Jubeo igitur coquo, ut pullum accipiat, pro conditione ægri (nam pro ægrotante acutè, ac inapetente accipiat parvulum *pullulum*, pro ægrotante non adeò acutè neque *inapetente* accipiat pullulum grandiorem) Atque inpulli jam apparati ventre, ponat pastam sufficientem, paratam ex drac. 15. circitèr chinæ, mixtæ cum pasta marciapani, seu amygdalis, seminibus melonum mundatis, sacaro & gr. x. cinamomi simul mixtis, & contusis.

Vel crassiori modo accipiat chinam, & cum pane contrito, vel medula panis recentis, & modica pinguedine recenti gallinæ, vel vituli, saccaro, & cinamomo, luteo uno, vel altero ovi subactis corpus pulli repleatur, & in saltem mensuris quattuor aquæ incoquatur.

Totus pullus deindè, cum pasta, & toto jusculo, inservire debet, pro duobus diebus; scilicet in singulo pastu quartam partem assumens pulli; Tum quartam partem dissolutam in jusculo, vel in panatella, vel hordeato parato ex eosdem jusculo.

Hoc itaque artificio febres omnes tolluntur, si statim in *principio* (*in corpore non cacochimo* priùs valida purgatione indigente) adhibeantur; duobus vel tribus, ad summum quatuor pullis adhibitis. Nam *præcaventur febricitantes*, ne ad malignæ *febres scopulum* impingant, prout singulo die *inexpertis*, & incurijs medicis videre contingit. Febres enim prò ab initio vehementes, vel malignæ sunt, (exceptis pestilentibus) sed acquisita intemperie, quam non habent, fiunt vehementes ac malignæ.

Principijs obsta, serò medicina paratur;
Cum mala per longas, invaluere moras:
Ovidius.

Præsente verò jam febre maligna, solum jusculum dissoluta pasta adhibitum pro panatillis, vel hordeo tutum est nisi vires prostratæ cogant etiam carnibus pulli contusi uti.

9. Alij contenti sunt chinam tenuiter pulverizatam scr. 5. exhibere infusam cum potulentis bis in die jusculo, aquis destillatis, decoctis. Vel facta sola decantatione, sine depuratione, & dulcificato, atque modicum aromatizato potulento, cum cibis potissimùm propinato.

Sic enim certè abibit, & non redibit febris, quia palatina hac chinæ exhibitione cum alimentis potissimum, vel etiam extra, acidum febrile fermentativum, a chinæ amaris alKalicis particulis, non ligatur, & veluti captivus in carcere detinetur, sed paulatim cicuratur, & corrigitur, ita ut liber existens, sed minus molestus, ab Archeo ad portas excrementorum, sine tumultu ducatur, & educatur.

10. Sed præstantior modus qui mihi semper placuit, in personis potissimùm delicatis, est occultare ægro & alijs quod velimus uti china. Atque jubere apothecario ut accipiat unc. j. optimæ chinæ, atque teneuiter pulverizatam ponat in bona quantitate

aquæ destillatæ cum ʒ.j. circiter salis tartari, atque post paucas horas, eliciat per solam inclinationem turbidam tincturam, quam deindè evaporet, ad liquidæ mellis consistentiam, & hujus sumpta uncia una, admisceatur confectio hyacentina vel alterius cum præstantioribus pulveribus ex. gr. margaritarum, lapidis bezoardici, & aliis juxta oportunitatem.

Nam hoc auxilio coclcatim exhibito; sed potissimùm in bona copia tempore cibos assumendi. Non potest explicari quantum ægri præcaveantur, ne ulteriùs serpat malignitas, atque a stomacho arcentur anxietates, vomitiones, cardialgiæ aliaque symptomata pessima, quæ sunt stimuli, ad iter mortis. febris autem alias quascumque; longo usu hujus medicamenti infallibiliter tollentur.

Atque hoc admirabili observari poterit medicus, quod etiam statim a primis exhibitionibus hujus auxilii, producta febrilia, sponte evanescunt; ex. gr. tumor ventris, durities, impedimenta in visceribus facta, propter quæ suis muneribus vacare non possunt.

Præterea cum dicta tinctura, vel crasso modo facto extracto chinæ possumus in urgentibus symptomatibus dolorum, vigiliarum &c. admiscere gr. ij. vel iij. laudani opiati, & camforæ, vesperi ante somnum propinando, vel etiam expectato noctu sudore, & ultrà omnes fidem æger se levatum sentiet.

Terminata adhùc febre probum consilium est; per aliquot dies insistere in tali usu tincturæ chinæ cum aliis quæ liberent, & confortent viscera; nam reliquias febriles viscera impedientia removet, & pericula omnia recidivæ tollit. Quæ etiam, si cum tartareis propinetur in melancholicis diu, magni emolumenti erit.

Denique ut indigitem febrifuga, ex quibus varia antifebrilia auctores parare solent; hæc sunt: rad. contrahiervæ. Imperatoriæ. Vincitoxici. Absynthium. Camomellum. Carduus bened. Cicoreum. Plantago, Acetosa. Pimpinella.

Centaureum minus, gentiana. Verbena. Ruta. Aloes. Rhabarbarum. Elleborus niger. Canfura. Cornu cervi. Salarmoniacum. Salprunellæ.

Salinfine antedictorum simplicium. Tum scordii, tamarisci. Fraxini. Tartarea omnia. Spiritus vitrioli salis, sulphuris dulcificati. Aqua febrifuga Minsicht, & aliorum &c. vel ejus sal febrifugum.

Bezoar minerale, animale. Et alia plurima &c. Quia verò innumera sunt alterantia, quæ in variis febribus, pro variis symptomatibus offeri possunt; ideò hæc in fine libri, capite peculiari, exarare decrevimus.

Dietitici canones in febribus, & morbis acutis.

HIpocratis qui protoparentis Medicinæ nomen juxta ratione promeruit, in tribus, supercæterorum viventium notitiam, gloriam reportavit Primo. In notitia futurorum eventuum, quorum causa divini nomen reportavit.

II. In notitia occultarum causarum affectuum, quæ solis nostris temporibus, anatome riformato, & principiis philosophiæ exprimentalis manu ducentibus, tandem exlarescere potuerunt.

III. In notitia dieteticorum canonum, in qua se unicum parentem protulit, non solum peculiari libro de ratione victus in morbis acutis. Sed in aphorismis, & ubique.

Quare si quis melius instrui vellit, circà hanc sume necessariam medico materiam, debet appendicem primam consulere post lib. de cons. val. a me conscriptam de ratione victus in morbis acutis ex Hipocrate ubi ampliſſimam mensam apparatorum ciborum, & potulentorum, etiam in morbis cronicis, ad invenire poterit.

Quarè hoc loco non universa; sed quæ præstantiora nobis monita visa fuere in aphorismis exarata, in medium asseremus.

Hipocratis 1. aph. 4. *Tenuis, & exquisitus victus in morbis longis semper, in acutis, ubi non conveniat periculosis est. Ad extremum quoque tenuitatis progressus victus, difficilis est. Nam & repletiones, quæ ad extremum progressæ fuerint, difficiles sunt.*

Morbus itaque acutus vel brevis est, scilicet quatuor dierum, qui peracuti exactè nomen promeret &c. Vel septem dierum, & dicitur non exactè peracutus. Vel intra 14. dies terminatur, & acuti simpliciter nomen acquirit. Nam si excedat 20. dies non exactè acuti nomen suscipit. Si autem ad 40. dies extendatur cum acutie; acutus ex decidentia dicetur.

Victus pariter varias suscipit denominationes; nam plenus adhibetur in sanis, ad corporis partes continentes, contentas, & impetum facientis, restaurandas, vigorandas, & (si fieri possit) augendas.

Medius verò victus adhibetur pro una, vel altera intentione præcipue; ex. gr. in morbis cronicis, ad virium tantum conservationem, per aviculas montanas, & similia &c bonæ & facilis nutritionis:

Tenuis verò victus, & humidus; ad partium invenis contentarum conflagrationem arcendam destinatus est; ideòque per sola potulenta completur.

Vniversaliter verò alendi ratio ex Hipocrate de vet. med. *Eadem in sanis, & in ægris est scilicet in utris. que ab sanitatis inventa. Peculiarem deinde alimentorum assumendorum rationem, docuit sola experientia;* Æquè sani, ac ægri, descendentes semper a fortioribus cibis, ad debiliora, & ad debilima, quæ non reluctarent, & viribus stomachi superiores essent; *Illis electis, quæ accommodata, stomacho esse comprobarunt debili, vel forti,* adeò ut neque cibos debiles tollerare potentes ad solas sorbitiones descendere coacti sunt.

Hipocratis igitur lib. 1. auctorum antiquos increpat, qui indiscriminatim in *omnibus, morbis, unica victus ratione utebantur.* Tum lib 6. epid. Prodicum damnat qui *laboribus, inedia & exercitiis ægros interficiebant.* Non minùs quam diatritarios illos medicos, qui *per tribus dies ab omni cibo, & potu arcebant ægros.*

Mentes tamen Hipocratis esse colligimus hic, & ubique quod in morbis acutis potiùs laudandi sunt medici, qui ad tenuiorem, quam qui ad pleniorem victum declinant; quia major est in his indicatio desumpta a morbo; quæ paucitatem cibi exigit; quam quæ a viribus desumitur quæ ciborum copiam ad earum conservationem requiret Hipocratis 1. aph. 5. *Intenui victu ægri delinquunt, & ob id magis adunctus. Omne enim delictum quod committitur, multò maius fit intenui, quam in paulo plenius victu. Ideò etiam sanis periculosus est valdè tenuis victus; nam efficit ut debiliores fiant, & difficiliùs errata ferant.*

Hipocratis exemplo sanorum suam probat propositionem sic: *Sani si exquisitiùs vivant difficiliùs errata ferunt, quia debiliores fiunt, multò magis a tenuiori victu quam deceat ægri debiliores fierent.*

Mor-

Morbo acuto laborantibus, quam grave peccatum sit hoc, exemplo nautarum demonstrat, libr. de veter. Medicin. *Nam in tranquillitate navigantes, si quid peccetur, non magnopere lædit; Sed forti procella exorta, parvus error navem perdere potest.*

Faciles autem sunt in egrotantibus errores; nam lib. de arte notavit; *Ægros morbi plenos, ciborum innanes, potiùs quæ morbo grata sunt, quam quæ sanitatem faciant apetere solet.*

Sanos itaque *nullis certis legibus obligari debere sui nominis magna gloria indicavit Celsus.*

Sed eadem libera vivendi ratione, quod utantur etiam ægrotantes; sunt aliquorum Neoticorum cerebrorum vino gravatorum judicia.

Certum etiam est, quòd tutior est, ut cibus in acutis detrahatur, usque ad morbi vigorem, quam augeatur; nam ex Hip. libr. acut. *Longè magis peccat, is qui cibum dat ubi non convenit; quam is, qui negat, ubi convenit.*

Hip. *Ubi morbus peractus est, statim extremos habet labores, & extremè tenuissimo victu utendum est. Ubi verò non; sed pleniùs cibare licet; tantùm à tenui victu recedendum est; quantùm morbus remissior ab extremis fuerit.* j aph. 7.

Morbus quatenus morbus est, semper victum respuit. Sed ejus urinæ circumstantiæ victu requirunt. Nam vel fit plenitudine, vel cacochymia, vel a corruptione sola, vel etiam malignitate, vel a resolutione spiritus. Atque cogimur per oblata vires reficere.

Hip. 1. aph. 8. *Cum morbus in suo vigore constiterit, tunc tenuissime victu utendum est.*

Quo enim tempore summi sunt naturæ labores, & natura materiæ peccantis coctioni maximè incumbit, deturbanda non est per oblata alimenta, sic enim revocatur ab opere. Vigor autem morbi, seu status cognoscitur a symptomatibus, & a signis coctionis, vel cruditatis, &c.

Alia etiam ratio est; quia tunc alimenta in ventriculo nidoroso, æstuante, corrumpuntur, & non digeruntur, sed augent causam morbi.

Hippocratis 1. aph. 9. *Conjectare itaque oportet, an ægrotans usque ad morbi vigorem, cum tali instituto victu tenui sufficere possit. An verò æger deficiat, & cum tali victu tenui suficere non possit. Vel etiam morbus priùs deficiat, & obtundatur.*

Per alimenta sufficientia, curandum est; ut natura seu spiritus sufficere possit ad superandum morbum. Conijcimus vero egri, vel morbi vigorem a natura egri, & morbi, à symptomatum conditionibus, ab ætatæ, anni tempore, conditionibus, & prægressis, &c. pulsu, respiratione, motu, sensu.

Debilitas alia provenit a vi morbi seu materiæ comprimentis spiritum, quæ requirit potiùs evacuationem quam cibum. Alia provenit a resolutione spiritus, quæ indicat refectionem per cibum, evacuationem verò nullam. Ideò esclamat.

Hip. lib 2. acutorum adversùs medicos, qui ægrorum debilitatis non agnoscunt; quæ fiunt ob virium oppressionem, ob morbi violentiam, & quæ fiunt, ob vasorum evacuationem, & concidentiam; (talis enim cognitio salutem, vel mortem afferre potest) ait.

In sanis itaque robur ciborum additionem indicat. Debilitas verò ablationem. Sed in morbis contrarium evenit, quo enim robustior fuerit virtus, minùs de cibo dandum, quo debilior magis. Alendi sunt ergo ægri acuto morbo laborantes, quantum vires perdurare possint validæ, usque ad morbi vigorem, ut possit esse morbo superior.

Hip. 1. aph. 10. *Quibus igitur statim morbi vigor adest, statim tenuiter alendi sunt. Quibus verò in posterùm vigor futurus est; His ad illud, & paulò ante illud tempus subtrahendum! Anteà verò uberiùs alendum, ut sufficiat æger.*

Quia in principio minor solet esse morbus, ideò tunc pleniùs alere conceditur, quam in vigore. Victus enim prohibetur a morbo, & quo morbus minor fuerit, minùs prohibetur victus. Ideò.

Hip. lib. acut. reprehendit medicos illos, qui *primis diebus integra inedia instituta vacua vasa facientes, deinde cibos copiosos exhibebant; quandò morbus egrum maximè affligere observabant.* Tutius est enim (ait lib. 1. acut.) *nullæ die vasa fieri vacua; exhibita ex. gr. sorbitione ptisanæ, potu, &c.*

Atque certum est quod errata quæ in principio committuntur, non adeò ægro damnum inferunt ut ea, quæ in vigore committuntur.

Hip. 1. aph. ij. *In accessionibus cibum subtrahere oportet; nam exhibere noxium est. Et quæcumque per circuitus exacerbantur, tali subtractione egent.*

In accessione igitur a cibo abstinemus, ne naturæ afflicta, distrahatur a pugna, tum ne corrumpatur; & morbo præstet augmentum, & cruditates. Per accessionem enim a calore ad partes internas retractas, necesse est ventriculum incalescere, ac nidorosum fieri fastidio plenum, cum corporis jactatione.

In morbo qui non habeat accessiones, atque cibo, indigeat, exhibeatur tempore sanis etiam consueto; sed si habeat accessiones, & intermittat, in intermissione, vel saltem in declinatione exhibeatur. Universalitèr eligatur tempus, in quo natura minùs affligatur.

Aliquandò tamen (docuit Galenus 10. meth.) *nutrire in accessione cogimur. Primo quia concidant vires, & fit in febribus incipientibus cum hypotimia. Secundo quandò intentio cibi exhibendi est, ut non solum inserviat pro alimento; sed pro remedio, ut in febri biliosa, cum condictionibus temperamenti calidi, sicci, habitu gracili, & raro, &c.*

Hip. 1. aph. 13. *Senes facilimè jejunium ferunt, deindè ætate consistentes. Minùs adolescentes. Sed omnium minimè pueri: & potissimùm qui inter ipsos sunt alacriores.*

Quo corpora magis propinqua sunt generationi citiùs in famem incidunt, & a fame magis læduntur; ideò omnium minimè pueri famem tollerare possunt, deindè adolescentes, per hos consistentes, deindè senes, omnium facilimè tollerare possunt famem. Spiritus enim calorificus major, & efficacior est in principio. Corpus quoque multo humidius, & rariùs, quare major fit resolutio, & major consumptio.

Hip. 1. aph. 14. *Qui crescunt, plurimum habent calidi innati, plurimo ideò egent alimento, seu minus corpus absumitur. Senibus paucus est calor, propterea paucis fomitibus egent,* a multis enim extinguitur. *Idcirco etiam febres, senibus non similiter, acutæ fiunt. Frigidum est enim eorum corpus.*

Adducit Hippocratis aphorismi præcedentis, cur scilicet senes facilimè jejunum tollerare possit. Pueris enim nisi præstò adsit cibus, corpus ab innato calore absumitur, &c. Puerorum spiritus, quòd in maxima copia, & efficacia adsit, ex de

arguitur, quia magnum, & celerimum nutrimentum, & augmentum corpore affere observatur, magis, quam in alia ætate.

Longum autem esset, ac tædiosum, hic geneologiam talis spiritus ætherei (quem insitum appellamus) adducere. Sufficiat in initit. nostris med. ref. fusa verba de eo fecisse.

Calidum hoc innatum, a nasutis primæ classis vires, fuit etiam olim subolfactum; sed a Galenicis, prono vultu in terra, quærentibus inter sublunaria elementa omnes suas nobiliores notitias fuit obscuro velamine noctis contectum, pessimis interpretationibus Aristotelici textus, in quo expressè edocentur, inesse æthereas, & non elementarem coruptibilem substantiam in semine, quæ fœcunda facit semina, &c.

In cujus interpretatione legitima laboravimus in nostris libris physicis, & hanc substantiam ætheream, esse creaturarum sublunarium animam (homine excepto) vitam, formam, entelechiam, potentiam unicam in terris motricem.

Spiritus hic igneus, etherrus, solaris, de sua vera ratione mitis est, & non combustivus suæ conjugis humiditatis nativæ, & elementaris; sed a motu genitorum astrorum, in varias atamen jas concitamur aliquandò, ut febres, & carbonum incendia in se concipere valeat.

Hip. 1. aph. 15. *Ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi. In his igitur temporibus etiam alimenta plura exhibenda erunt; innatum enim calorem majorem habent; & nutrimento copiosiore indigent. Cujus rei testimonia sunt æstates, & athlete, qui non alia ratione plurimùm alimenti assumunt; nisi quia calido multo abundent.*

Hyemis igitur frigus, per antiparistasim calorem pellit ad viscera, & unit; tum per prolixùm somnum arcetur, ne laboribus vigiliæ spiritus calorificus nimis dissipetur, Estque Hippocratica doctrina; quòd somnus, & cibus visceribus vigilia verò, & labor carnibus, & articulis conferat.

Hip. 1. aph. 16. *Victus humidus febricitantibus omnibus convenit, maxime pueris, & alijs tali victu uti consuetis.*

Victum humidum, nos potulentum liquidum dicimus, qui in febribus utilitèr adhibetur, quia per hunc, humidorum in nostro corpore consumptionem faciliùs prohibemus, quam per alimenta sicca Nec non, si quæ humida necessaria consumpta sunt, faciliùs reparantur. Ideòque inventæ sunt artificiales sorbitiones; liquidum enim facilùs transmutatur, quam siccum.

Et lib. de loc. in hom. *Expressè cibum solidum febrientibus offerre prohibent, præsente scilicet febre; tempore enim intermissionis licet offerre.*

Pueris verò; quia in hac æstate humidum substantificum plurimum esse expedit. Et qui humido victu uti consuevere, majori indigent humectatione, ne humidum absumatur.

Victus autem frigidus, non æquè febricitantibus convenit, ac humidus; ideòque potiùs tepidæ potiones adhibentur. Imò in inflammationibus internis, potum frigidum propinare vetat. Humidum verò semper convenire; ita ut in hydrope ipso, cui sit adjuncta febris, siccum victum non convenire scribat lib. de int. affect. sect. 2. Quare concludit Prosp. Martian. in com. Si hæc dicta Hippocratis attenderent nostri; non ita facilè febricitantibus, *carnes, & aviculæ igni assa, concederentur.*

Victus ergo humidus propriè febri opponitur, ut contraria contrarijs curantur. Pueris maximè confere dicitur, quia naturalia sunt servanda similibus.

Consuetudo quoque servanda, quia est altera natura. Per victum quoque humidum in febribus intelligere possumus alia humectantia, somnum, quietem, aerem humidum, fomenta, balnea, inunctiones, &c.

Hip. 1, aph. 17. *Et quibus semel, vel bis, & plura, vel pauciora, & per partes oportet offerre considerandum. Concedendum tamen est aliqid consuetudini, tempestati, regioni, & ætati.*

Virtutis quidem variatio, atque morbi, quæ per singulos dies fit, variam victus rationem exposcit, vel quòd magis, vel minùs nutriat. Vel quod in pauca, vel in majori quantitate summatur. Vel semel, aut partis vicibus offeratur. Conjectura verò habetur, a duratione virtutis, usque ad morbi vigorem; consideratis circumstantijs etatis, anni temporis, &c.

In acutis itaque constante virtute, cum plethora, vel etiam cum cacochymia, parùm, & rarò nutriendi sunt, & cibus debet esse parum nutriens.

Si verò virtus debilis sit, cum plethora, vel cacochymia, parùm, & rarò nutriatur; sed cibus debet esse majoris nutrimenti.

Si autem virtus debilis sit, cum succorum corruptione, parum, & sepè nutriatur, cibusque attemperans sit.

Parùm, & sepè nutriantur ægri æstate. In regione calida sicca, consuetudine tali; In biliosis, rari habitus; In infantibus, &c.

Parùm, & rarò nutriendi, tempore autumni, debiles, in regione humida; in primo senio, densi habitus, frigidi, sicci. Sic assueti;

Multum, & sepè nutriantur in pueritia, regione calida, & humida, temperamento calido, & humido.

Nutriendum multum, & rarò esi hyeme cum juventute in regione frigida; in temperamento calido, habitu denso. Cum tali consuetudine.

Hip. 1. aph. 18. *Estate, & autum cibos difficilimè ferunt, hyeme facilimè, deindè vere.*

Multus calor multam copiam cibi tollerat, hyeme autem, & vere multa inest copia caloris, ideòque facilius fertur copia cibi.

E contra difficultèr æstate, & autumno, quandò minor est copia caloris.

Superiùs enim docuerat in 1. aph. 15. *Ventres hyeme, & vere calidiores esse*; ut sic ex causa, & effectu veritas dicti comprobetur; nempè ubi multus est calor, faciliè copia cibi tolleratur. Ubi paucus est calor difficultèr cibi copia tolleratur.

Lib. de aere, aquis, & locis Hip. *hyeme, & verè solidum cibum, & carnes assas admittit; tum exhibet potus meraciores; sed in minori copia æstate verò e contra, multum potum, atque dilutum jubet, paucam verò comestionem*; neque enim fieri potest, ut simul multum bibamus, & simul etiam multum commedamus, sine noxa. Sic experientia docuit, quod strenui potatores non multum edunt.

Hip. 1. aph. 19. *His qui per circuitus exacerbantur, nihil dare oportet; neque cogere, sed auferre de oppositionibus, ante judicationem.*

Ratio deducitur, quia natura a violentia exacerbationis irritata, a superveniente alimento ita obrueretur, ut faciliùs a morbo superari posset.

In paroxismis febrium, omninò a cibo abstinendum est. Sed in exacerbationibus per circuitum factis, in ijs maximè, quæ crises præcedunt, non omninò abstinendum est a cibo, sed partem ejus tantumodò exhibere; ut constat ex verbis illis, sed *auferre de appositis, ante judicationem.*

Tunc enim fit dimicatio morbi, & naturæ, quæ quan-

quandòque diutiùs perdurat, quare æger absque alimento detineri non potest, potissimùm si sensibili evacuatio subsequatur, resistere enim æger non posset.

In paroxismis vero periodicis febrium, ideò abstinendum est omninò, quia eo transacto succedit quies, in qua æger refici potest; neque evacuatio succedit; quæ ab alimento impediri posset.

Accessio itaque deterius morbi tempus est, in quo natura cibum corrumpit, & in coctum relinquit.

Atque ob vim morbi, & non propter alimenti indigentiam æger debilis apparet in accessionibus a quibus indocti medici decepti, cogunt ægros alimenta summere, cum magno præjudicio.

Hip. 2. aph. 10. *Impura corpora, quo magis nutriveris, eò magis lædes.*

Impuris enim corporibus oblata alimenta augent quantitatem, & malitiam pravorum humorum. Alimenta enim quæ ægris offeruntur, non ad roboris augmentum; sed ad virium conservationem, & ad fluidam massam sanguineam reddendam atque attemperandam (si fieri possit) offeri debent.

Impura corpora propriè cacochymia dicuntur, Impura corpora impropriè sunt plethorica; quæ priùs a copia, & sarcina sanguinis deoneranda sunt; ante quam cibo ulteriori onerentur.

Præsente tamen magna corruptione in humoribus, quia sunt hi omninò inepti nutritioni, & restaurationi spiritus, tunc coactè exhibenda sunt alimenta, ne vires concidant; majorque est tunc utilitas, quæ saltem transitoria, & ad modicum duratura resultat, ex alimento exhibito, quam damnum quod ex corruptione cibi in progressu subsequi solet.

Ideòque prudens medicus debet eligere tunc cibos minus corruptioni obnoxios, imò corruptionibus obsistentes, vel attemperantes, spiritum, & massam sang. effervescentem, demulcientes, atque paccantes; qualia sunt jusculorum variorum cum succo limonis apparata a nobis in appendice prima de cons. val. mensa, Ptisana cum contusis, &c.

Hip. 2. aph. 11. *Facilius est repleri potu quàm cibo.*

Quandò igitur citiùs nutrire intendimus, monet Hip. potu, seu humido alimento potiùs utendum est, quam cibo, seu sicco alimento. Potulenta enim faciliùs transmutantur, ac distribuuntur, &c. ideòque facilius reficiunt.

Et quia sunt tria, quæ in corpore refectionem requirunt; Spiritus rebus spirituosis fragrantibus reficiunt; humores humida substantia aquea fluida membra solida, solidiori substantia terrea magis reficiuntur; semper tamen in his tribus refectionibus, id quod magis humidum est, citiùs, & faciliùs reficit.

In febricitantibus humida alimenta, calorem ad temperiem deducunt, & faciliùs mutantur. In corporibus debilibus, & malè valentibus, magis conveniens est alimentum debile, scilicet humidum. At benè valentibus siccum alimentum, *robur magis præstant, magisque inservit longiori vitæ, ac firmis viribus*, prout insinuat nobis Hip. lib. de alimento.

Hip. 1. aph. 18. *Eorum quæ conferetim, & celeriter nutriunt, celeres etiam fiunt egestiones.*

Cibi igitur, qui facilè, & brevitèr reficiunt, & qui aptissimi sunt debilibus atque convalescentibus potissimùm ijs, qui celeri refectionem indigent sunt cibi debiles, fluxiles, quorum etiam fiunt in proportione celeres deijectiones.

Nutrimentis enim duæ sunt partes; alteraquæ trahitur utilis, altera quæ expellitur, inutilis; quare Hipocratis nutritionem assimulavit secanti serra, qui *altera parte trahit, altera parte protrudit*; nam membra trahere dicuntur utilia; & *inutilia expellere*.

Ex pulsu & actione motus dignosci potest celeris refectio simul enim ac ventriculus suscepit reficiens alimentum, spiritus est qui primò reficitur. Tardæ autem refectionis, crassa alimenta terrea, tardas quoque habent expulsiones.

Hip. 2. aph. 38. *Paulò deterior cibus, & potus, jucundior tamen, eligendus potiùs est, quam meliores quidem; sed ingratiores.*

Paradoxum videtur, pejorem cibum, meliori esse anteponendum, & tamen hoc faciendum, dumodò idem cibus non sit *valdè malus*. Gratificandum itaque per hunc aphorismum docet Hip. ægris, quantum fieri potest, dumodò ne quid nimis.

Cibus namque suavior, indicat magis ægri naturæ esse familiarem; ideòetiam si deterior sit, insuavi anteponendus est. Dum igitur magis sit ægri naturæ familiaris, sequitur quòd meliùs a stomacho suscepitur, & amplectitur; nec non faciliùs, & meliùs concoquitur.

Fertur verò æger magis ad hunc, quam illum cibum, vel potum. Primo ob consuetudinem, quare nos docet Hippocratis *melius nos ferre cibos, & alia licet deteriora, quam inassueta, licet meliora 2. aph. 50.*

2. Ob aliquem humorem, qui in illo cibo peculiariter reperitur, corpori utilem.

3. Ob proprietatem occultam, naturæ amicam, morbo repugnantem, cujus causa, quandòque monstra contingunt in arte, dum sanationes fiunt ab ijs, quæ *manifestè morbo* similia sunt, postquam avidè ingurgitata fuere.

4. Ob peculiarem cujusque naturam, alij enim caseum aversantur, alij cepas, &c.

Cautus tamen in hac re debet esse medicus, & gratificari potest, dumodò periculum sit, ne magna consequatur noxa; si enim quid mali acciderit ex mala indulgentia, vulgus in medicum culpam facilimè refert.

Certoque experimento constat, quòd ægri magis appetunt quæ morbo sunt familiaria. Et potissimùm febrientes *magis appetunt aliquandò vinum quam aquam*, propter longam *assuetudinem*, quam habuerunt tempore sanitatis, dum siticulosi, statim a vino refici, & se humectati sentiebant, meliùs quam ab aqua; ita ut ægrotantes ab aqua sitim non extingui sentientes, probare veluti velint, an vinum meliùs sitim ipsorum tollere valeat.

Hip. 4. aph. 45. *Quibus tubercula ad articulos, vel dolores, ex febribus longis fiunt, hi pluribus utuntur cibis.*

In his enim languido adhuc spiritu existente; neque adhuc benè redintegratis viribus, & fermentis viscerum, cruditates in corpore generantur, quas spiritus noster calorificus movet, attenuat, & ad loca debilia articulorum relegat.

Febres autem acutæ bilioſæ potiùs quam per decubitum, solent per sudores, vel insensibiliter terminari per invisibilem traspirationem.

Solent febres longæ, factæ scilicet a materia frigida seri alb. acidi incrassati, hos decubitus ad articulos facere. Naturaliter enim etiam tempore sanitatis sinovia (seu serum alb.) ad articulos irrigandos defertur. Talis ergo sinovia in febribus longis ex copioso cibo cruda acida, præternaturalis ad articulos delata, tumores, doloresque in eis concitat.

Eruditur igitur medicus ab Hipocrate ut in febribus longis non fit adeò indulgens, ut crassiora, & copiosiora alimenta permittat; languidus enim in his

his spiritus, cibi copiam rectè conficere non potest; sed crudinatibus in dies coacervatis, periculum est, ne postmodum ad articules illæ re legentur.

Sic Hip. lib. 2. epid. observavit, quòd *qui febricitantes in Aceto leguminibus usi sunt, cruribus impotentes facti sunt.*

Hip 5. aph. 64. Docet quod *lac dare febricitantibus non convenit. Neque capite dolentibus. Neque febricitantibus acute. Neque quibus elevata hypocondria murmurant, Neque siticulosis. Sed convenit solumodò tabidis diu, non admodum febricitantibus. Tum in febribus longis. Tum in languidis ac extenuatis, dumodo neque caput doleat; neque hypocondria elevata murmurent. Neque admodum siticulosi sint. Neque dejectiones habeant biliosas. Neque copiosi sanguinis facta fuerit evacuatio.*

Lactis usus, apud antiquos frequentissimus fuit; Nam sepè ad leniter purgandum Hipocrates; non tàm ad abluendum, & attemperandum, post purgationem. Sepè ad humorum acrimoniam corrigendam usus est. Denique ad crasse faciendum utebatur lacte.

Ad purgationem itaque omnium tenuissimum, atque serosum eligebat, scilicet lac asini; atque in satis notabili quantitate; scilicet ad 3. vel 4. libras, & ultrà utebatur.

Ad crasse faciendum verò, crassius ex. gr. bubulum eligebatur. In reliquis casibus mediocris substantiæ attendebatur.

Illo etiam utebatur, coctione incrassato (ex. gr. in panatellis, hordeatis, &c.) vel varijs liquoribus securitatem illi conciliando, ne corrumperetur.

Dum igitur in hoc aphorismo dicit; quòd lac dare capite dolentibus malum; de eo non intelligit quod purgationis gratia in notabili quantitate exhibetur; quod propriè loquendo, est potiùs lacte purgare.

Lac enim hoc modo exhibitum ea incommoda non affert quæ lacti alio modo exhibito imputantur.

Et ratio est, quia diù non moratur in ventriculo, neque ideò corruptionis periculo subijcitur, a qua noxe lactis dependent.

Talem autem esse mentem Hippocratis ex ejus doctrinis sparsim colligimus. Lacte enim asinino, vel caprillo diluto *ad purgandum utitur in capitis ulceribus lib. 2. de morbis. In Epilepsia lib. 4. acut. & tamen caput affectum est.*

In febribus lacte asini purgationem instituit. *Nam in quotidiana ex bile, & in febre interficiente ab eo dicta* lib. de morbis adhibet. *In febri ardente* quatuor acutorum lacte asini purgandum esse jubet. Taceo alios morbos, qui febrem acutam conjunctam habent, in quibus lacte purgat ex. gr. *in erisipelate* lib. 2. de morbis, & alia plurima exempla, &c.

Lacte igitur utitur Hipocrates purgationis gratia in illis omnibus casibus, in quibus per præsentem aphorismum damnatur videtur. Sed prohibetur hoc loco dare lac refertorium, quod alterationis gracia exhibetur.

Id quod colligitur ex eo, quia referens casus in quibus utilitèr exhibetur, eos tantumodò recenset, qui refectione egent, scilicet tabidos, febribus longis vexatos, præter naturam extenuatos; Alijs igitur prohibetur tale lac refectorium.

Nam prohibet dare affectu hypocondriaco laborantibus, & similibus, &c. in quibus felleus amarus succus, motu præter naturali ad ventriculum assurgens, vel per naturalia viscera discurrens. Modò acidus pancreatious succus, motu paritèr præternaturali ad ventriculum assurgens, facit cum pugili compari colluctatus, prævalens, vel compressus, in ventriculo corruptiones, modò nidorosas, modò acidas, quæ repertum lac valdè alterare, & corrumpere possunt, atque in sui, naturam convertere valent.

In his igitur casibus in quibus suspicamur, quòd in ventriculo amarus, vel acidus succus vigeat, melius erit abstinere a lecte.

Tutò verò solumodò exhibeatur, quandò ventriculo puro existente, neque preternaturaliter incalescente, citrò extrà ventriculum elabi possit.

Non indiget enim longa mora in ventriculo, quia lac, est ipsemet chylus ab animali jam elaborantibus, prout in instit. med. ref. ostendimus; ideòque per calorem stomachi diuturniorem corrumpitur, sicut lac solaribus radijs diutiùs expositum.

At extenuatis, tabidis, longis febribus conflictatis, indigentibus restauratione, nil aptius, quàm exhibere lac; quòd non fatigatur naturam in concoctione, quia jam concoctus, & elaboratus est chylus, & a sano, vegeto animali confectum jamque pronum ad butyrum, seu ad copiosum aereum, frigidiusculum; blandum serum alb. præstandum, quo maximè isti miseri ægrotantes indigent.

Stomachus enim eorum, pravo fermento contaminatus, imperfectè concoquens, imperfectum chylum ex alimentis elycit, ineptum ad copiosum serum alb. nutritivum generandum.

At in animali sano optimis cibi pasto, celebratur chylus (seu lac) quod facilimè transit ad restaurandum serum alb. in massa sang; indè in cerebro, indè transit ad universa membra spermatica, atque vires omnes, facultates, & viscerum fermentare, suscitare, atque firmare valet.

Palmam verò cæterorum lac mullebre refert; nam lac, seu chylus juvenculæ mulieris sanæ hilaris, optimis cibis benè pastè, cæterarum bestiarum lacti præferendum est, quæ bibunt aquam, & pascuntur gramina.

Quod si ludens, & edens coram languido jacenti, dicens se laborare, & edere, in graciam suam, cum impotens sit, eique ut puero mamas porrigere velle fugendas; omnem operis paginam complere poterit.

Hip. 7. aph. 65. *Si quis febricitanti cibum dederit, convalescenti quidem robur, ægrotanti morbus fieri.*

Per cibum Hip. non intelligit hoc loco omne genus alimenti, cibos solidos, potus, &c. quasi alimentum febricitantibus dare prohibeat.

Tantum enim abest, ut hoc doctrinæ Hip. conveniat, ut ei penitùs adversetur, *inediam enim tanquam febri adversam damnat lib. 6. epid. sect. 3. Prodicum reprehendens, &c.* sed de solidis tantumodò cibis intelligit, qui magis propriè cibi dicuntur.

Hoc ergo febricitantibus ubique damnavit; & potissimùm in lib. de loc. in hom. sect. 2. sic: *Febricitanti cibum ne offeras.* Lib. verò de affectionibus expresè ait: *Si calor febrilis apprehenderit; nec dimiserit; gravitas autem corporis ægrum detinuerit, sorbitionibus, & potionibus curato.*

Libro autem de veteri med. concludit *ægros plus lædi a dieta sanorum, quam sanos a cibis quibus bestiæ vescuntur.* Sanorum igitur dieta nullo modo ægris febricitantibus convenit.

Prout

Prout viceversa ægrorum febricitantium dieta, corporibus sanis esset perniciosa.

Cibi igitur qui a sano stomacho superantur, ab ægro superari nequeunt, neque vires adducunt. Spiritus enim calorificus, cum massa sang. agitatus invasibus sanguifluis, lassus, debilis, præternaturalem calorem ad stomachum adducit, ideò difficultèr alimenta superare potest. Alimenta autem assumpta, dum non superantur, cruda, corrupta morbum, & morbi causa adaugent.

Ideò Hipocratis lib. de alimento ait: *Tunc assumpta alimenta aiunt, quando superantur; partes autem quæ ab eis nutriuntur superant.*

Tum libro de vit. med. docuit *ægris potiones potius convenire; sanis verò solida alimenta; quia potiones debiliores sunt, & facilius a stomacho debili superantur.*

Hipocratis pariter lib. de vet. med. ait: *alimentum proportionandum est viribus; plenum quidem sanis indigentibus vires conservare, & augere. Ægris tenue quod a viribus imminutis superari possit.*

Hipocratis 6. epid. notavit, quòd Herodicu *febricitantes interficiebat cursibus, luctiis, inedia frictionibus* & ait: *Febris est inimica fami, luctis, cursibus atque laboribus.*

Io: Helmontius cap. de dieta ait: *Quoties corruptibile, seu cadaverizabile in stomachum ingeritur, putrefit, non digeritur. Ideo impura corpora quo plus nutries, eo plus lades: ait Hipocrates.*

Ructus igitur nidorosi, nausea spontanea, aversio a carnibus &c. monstrant solis potibus alendum esse ægrum, ut sic soletur sitis ægri, & mitigetur febrilis ariditas, vires autem sufficienter restaurentur.

Cavendum est ergo a jusculis carnis, & ab aliis quæ cadaverantur; Acidum enim stomachi fermentum naturale deest, quare assumptæ carnes corrumpuntur, *veluti si plantis pedum vel stomacho, crudam carnem alligasses.*

Infebricitante enim stomacho, calente, nidoroso provida natura effecit, ut illicò stomachus carnes aversetur; *ne assumptæ cadaverentur.* Stomachus autem ab exaltata bile in febribus nidorosus fit, compari acido jam facto, & subjugato: Hæc ille.

Hipocratis lib. 1. de morbis testatus est, quod *ab ineptis cibis, & potibus, bilis nutritur, & augetur in febribus* atque invalescere bilem, & pituitam post cibos potissimum monet.

Hipocratis de loc. in hom. Infebribus exhibere docet *aquam plurimam mulsam, cum aceto tepidam* Nam in corpore manens, vel per urinam movebit, vel sudabit; atque undique apertum, ac respirans corpus faciet, quòd maximè conducibile in febribus est.

Th. VVillis de febribus cap. 4. fatetur quod *in curandis febribus, plus naturæ, & benè institutæ victus rationi; quam pharmaciæ imbuendum est; Per dietam verò aptam curandum est ut massæ sang. conflagratio minoretur.*

Galenus lib. 11. meth. 5. *Morbis ab obstructione, victus attenuans convenit.*

Galenus lib. 9. meth. 13. ait: *indicatio quæ desumimitur a virtute, absolutè exteris præ fieri debet circa quantitatem cibi, quia sine vigore virtutis nulla curatio perfici potest.* Tutiùs est ergo morbum aliquo modo cibo oblato augere, quam ægrum ob debilitatem non posse pervenire ad statum morbi.

Galenus lib. 8. meth. ait: In calidis, & siccis temperamentis, atque *viribus existentibus imbecillibus, non officies ante accessionem cibum offerendo; Secus isti, si aliqua phlogosi, vel inflammatione cum febri afficiantur omnes moriuntur.*

Vnica enim salutis spes reposita est in virium robore tunc verò quoad inflammationem non est cibandum, quoad imbecillitatem cibari debent, utrum feceris lædes. Hæc ille.

Ibidem pariter inculcat Galenus; ut *de ventriculi robore solliciti omnino simus.* Ex ventriculi enim robore, robur facultatum omnium facilè colligere possumus. Ex ventriculi robore, concoctio morbi, sanitas, & vita sperari potest; nam solus est ventriculus, qui succos blandos, *diluentes*, attemperantes, acres, intemperatos humores, præstare sua bona constitutione potest; vel illos viceversa in dies magis augere valet malè constitutus ventriculus existens.

Potus multus in febribus per se non nocet; immò diluendo bilem plurimùm prodest. Solummodò cautio esse debet, ne a magnis viscerum obstructionibus, atque impedimentis, potus non detineatur ad obstructiones, & indurationes augendas.

Quare priùs examinanda est urina, an benè procedat; an tactu duritiei, atque viscerum impedimentorum signa manifestentur.

Si enim spes adsit, quod aqua pertransire possit, ingens jam habetur febris auxilium.

Pro ratione temporis, & circumstantiarum copia augetur, vel minuitur. Pro majori verò securitate quod præterlabi possit; spiritu potissimùm vitrioli acidula reddatur.

Hipocratis lib 3. de morbis, 24. *potiones in febribus recenset*, quas tamen præstantiores reputavi hoc loco recensebo. Sunt ergo aqua hordei, ex aqua potissimùm majali parata. Vina alba aquosa, ex uvis passis Corinthiacis parata. *Passularum decoctum*, cum radice pentaphilli. *Mala* odorata contusa in aquæ macerata, percolata. Mala cydonia, & similia eodem modo parata, si potissimùm alvus soluta fuerit in febri acuta.

Ante totius expiationem, & primarum viarum mundationem; syrupi attenuentes, aperientes incidentes, & consimilia non adhibeantur, ne in penitiorem regionem, cruda excrementa ducantur.

Galenus 8. meth. *In omnibus diariis febribus se exhibere vinum oligophorum aspectu, & viribus aquosum fatetur* quia utilius est aqua in omnibus, coctionem enim juvat, urinas, & expectatos sudores feliciùs movet. Immò subjungit se observasse Hipocratem non solùm indicariis, sed *in acutis vinum porrexisse ægris suis.*

Galenus tamen de arte cur. ad Glauc. monet quod in 37. *antequam morbus concoquatur a vino priùs abstinendum est. Sed post apparentem concoctionem vinum exhibere licet.*

Tamarindorum decoctum pro potu, & usu quotidiano febricitantium, celeberimum super cætera est; Nam stomachum firmandi, & simul alvum solvendi, bilem verò frænandi insignem vim habet.

Aqua autem hordei magnum est solamen in febribus acutis, æstuosis siticulosis; Nam particulas aliquas habet nutrientes, refrigerantes, humectantes.

Lubricitate sua oppillationibus adversatur, atque alvum movet, sputum, & respirationem facilitat, urinam promovet.

Et quod considerabile est, minus adversatur stomacho, quam aquæ destillatæ, vel fontium; itaut omni tempore, & semper cum majori commodo usurpari possit, inserviens quandoque pro cibo, & potu.

Vel loco aquæ hordei, ptisana valdè diluta, vel mixta

mixta cum *emulsione* sem. melonum, & pulvere perlarum, *vel* oculorum cancrorum in magnis casibus, cæteris potulentis securius, & efficacius, restaurationi virium præferatur.

Mirabilis namque *conditio* febricitantium est; quia æstuante spiritu *calorifico*, & massæ sanguineæ parte tenuiori conflagrante, nihil aptius inveniri posset, quàm copiosa alimenta offerre, atque ventriculus copiosum chylum probum massæ sang. suppeditaret; sic enim antedictis intentionibus facilè satisfieri posset.

Sed doctrina Hip. 7. aph. 65. suprà citata non fallit; ventriculusque nidorosus omnia corrumpit; quare solus ille tutus incedit, qui *vasa vacua fieri non permittit*, & aqua crassa hordei, vel ptisana diluta, in acutis usus fuerit.

Copiosæ autem potiones, cum diureticis refrigerantibus, prosunt in febribus, diluendo massam sang. & particulis suis contrarias amplectendo calorificas, eas secùm ad vias urinæ deducentes.

In febribus non adnòdum æstuosis, jusculæ parvorum pullorum sunt magis tutæ, ex quibus etiam parari possunt emulsiones, panatellæ, &c. vel luteo ovi, modico succo limonum, & saccaro pro viribus restaurandis gratissimæ sorbitiones.

Aquosa autem insipida potulenta in magnis ardoribus potissimùm commendantur.

Decoctum hordei, seu hordeatum Hippocratis (titulo cremoris, celebratum) quia a nidoroso stomacho, atque excursu biliosior circà stomachum, ejus fermentum coinquinantium ac pervertentium, omnia corrumpuntur, & in acrem substantiam, *bili analogum* mutantur; sed observavit Hippocratis, quod hordeatum alteratum ab hoc præternaturali stomacho accessit. (More liquidorum succorum refrigerantium calori expositorum) & sic potiùs bili contrariatur, eamque potius attemperat quam acuat; quare lubricando etiam alvum lenitèr solvet, & bilem secùm adducit.

Natura ipsa in febribus edocet potulenta refrigerantia, dum siticulosa potius ad hæc, quam ad esculenta convertitur. Famis enim sensus nullus molestus est, languente stomacho, sola *appetentia* in stomacho restitante, aqueorum liquidorum, potulentorum, ut posset diluere, attemperare, ac mitigare molestiam impressam a circumstantibus excrementis salinis biliosis, vomitum, nauseam, & alia provocantibus.

Ideò pessimè agebant *illi boni veteres*, qui ægros in tormentis sitis ardentes, sine indulgentijs, sine misericordia extinguendi, vel minuendi incendium languescere sinebant; umbra falsæ formidinis decepti; quia scilicet febricitantes aliquos impatientes omninò sitis, omni momento, atque intempestivè bibere volentes, in primis vijs, seu in glandulis mesenterij, lienis, & oppillationes, & excrementa congerebant, quæ difficultèr postmodùm removere poterant, vel febrem cronicam ad menses procrastinabant.

Intempestiva igitur, vel nimia, vel inepta potulentorum aqueorum sumptio, est ea quæ a nobis reprobatur; & quæ ante dicta mala causare potest.

Nam debito modo, & tempore propinata, plurima bona adducuntur, symptomata sitis, & siccitatis tolluntur, febres verò breviores fiunt.

Disponenda sunt igitur prudentèr tempora potulentorum, Hippocratica ratione j aph. ij. *in accessione abstinendo, & patientèr expectando, donec transacto, molestante frigore, pedes equè incalescant ac pectus, tunc molestiam sitis arcere licebit.*

Deindè proportionata tempora disponenda sunt prandij cœpæ, atque sumptionis potulentorum, ita ut tempus proportionatum concedatur; ut assumptum priùs, jam sit a stomacho elapsum, quòd in pueris, in juvenibus, in condictionibus valdè æstuosis, solet brevi, & intra duas, vel tres horas fieri; sed in senibus, & condictionibus minus æstuosis, diutiùs protrahitur, quare ad quartam, vel quintam horam procrastinari potest potulentorum exhibitio.

In parco victu rarò committitur error in febribus experientia enim ostendit, quod abstinentia ciborum paroxismum febrilem, retardat, & minorem facit.

E contra victus plenior, paroxismum anticipare facit, tum symptomata rigoris, vomitus, anxietatis, doloris capitis, & alia adauget.

Si febris ex præcedente ciborum, plenitudine fiat, nil præter aquam hordei, vel ptisanam dilutam, per tres primos dies offeratur. Vel decoctum tamarindorum, vel decoctum cornu cervi cum radice acetosæ, vel pimpinella, semper instillatis guttulis spiritus salis dulcis, nitri, vel vitrioli.

Universalitèr abstinendum a vino ob acidum fermentativum occultum, quod in sinu gerit, quod æstum, & fermentationem in massa sang. adauget, ideò in causa inflammatoria est detestabile.

In febri tamen maligna, & ingenti humorum corruptione viribus prostratis, exhibetur cocleatim muscatum vinum, quod omni aciditate careat, & habeat rationem delicatissimi julapij, concinati cum margaritis, oculis cancri, & similibus qui a vino removere omne acidum Neoterici experimentatores declamant.

Eoque facilius his conceditur, qui longa usu crassa vina bibere assueti, ægrotantes bibere aquam coacti, sibi manifestè vires imminui persentiunt.

Frigida actu potio non exhibeatur, illis potissimùm, qui de aliqua interna inflammatione sunt suspecti, & potissimùm pectoris, pleuritidis, &c.

Bocheta varia parantur gratissima ex frustulis cinamomi decoctis. Vel passulis, liquiritia, &c.

Acetositate citri, limonum aurantiorum, Ribes, amarenarum onfacium granatorum, cum sale prunellæ spiritibus mineralibus acidis dulcificatis, &c.

Donec urina probè concocta non fit, atque sanorum similis, a carnibus abstineant ægri.

Julep Alexandrinum, quod apud præcessores nostros fuit magni nominis, & usus, paratur ex aqua fontis cum aqua rosarum, succo limonum, & saccaro, vel julep de pomis, vel de citro, vel syr. acetoso, ad libitum ægri edulcoratum, vel mixtum.

In febribus longis, præsentibus viscerum obstructionibus, languente ventriculo, Riverius in obs. com. bochetum ordinarium per mensem, & ultrà constituit, ex rabarbaro; scilicet infusio dulcificata rhabarbari, moderata enim stypticitas, & amaror rhabarbari, stomacum læsum ab acido succo pancreatico exaltato in febribus quartanis, & consimilibus mirabilitèr juvat ad concoquendum. Felleus enim succus tunc mortificatus solet esse.

Observamus autem quòd vesicula fellis constituta fuit a natura contigua tunicis ventriculi, ut ejus concotricem juvaret calore ejusque expultricem amarore vigoraret.

Jo. Helmontius peculiari cap. de dieta in febribus ait. *In primis detestor in febribus siticulosis abstinentiam a potu depopulatur enim massa sanguinea, solidarumque partium alimenta pereunt, cum viribus.*

Caro, ova, pisces, jusculæ, in stomacho nidoroso febriente, cadaverantur, corrumpuntur, & minimè nutriunt.

De

De vino, & dubitatio; Attamen certum eſt, quòd peſtis ſolis ſudoriferis, & potiſſimum vini meracioris potu ſolvitur. Nemo quoque dubitant, quòd tunc theriaca, aliaque potentiora ſudorifera calida *in vino*, vel in ſpiritu vini, vel cum copioſis elixirijs paratis ex ſpiritu vini propinantur. Eſt enim *vinum ex. gr. malvaticum* (quod eſt pluſquam vinum) *plauſtrum medicamentorum naturæ amicum ad intima penetralia facile admiſſum.*

Calor autem vini non eſt pertimeſcendum; nam læthales, & peſſimæ febres, vix calent, & febres circà exitum vitæ, calorem remittunt. Calor enim a ſolo archeo, ſeu ſpiritu calorifico excitatur, qui ad hoſtis morbi expulſionem inſurgit, in quo operè eximiè a vino adiuvatur, in vino enim plurimus congeneus ethereus ſpiritus reperitur.

Præterea a medico prudenti, varijs rationibus attemperari poteſt, atque præcioſis mixturis miſceri aquis fragrantibus cinamomi, florum aurantiorum. Nec non confertim exhibenda talis mixtura non eſt ſed ſano modo, & calceatim in ſingulas horas.

Aqua ſcaturiens de ſabulo ſimplex, *optima eſt, quæ a fonte ſummatur*. Nam quæ per canales decurrit, vel è lutoſo fonte ſcaturit, non crudam; ſed infectam voco. Aqua enim per ſe, *neque cruda, neque cocta eſt; neque per ignis calorem maturatur*, aut aliquid aquirit; ſed ſufficit, ut ſummum frigus ejus retundatur. Nemo igitur infectis aquis utatur, neque potu ſummè frigido, ſed ſaltem carbone tepefiat.

Aqua vino mixta, adhibita *pro oris tantummodo collutione*, ſitim magis compeſcit, quam aqua pura, ſi potiſſimum ſalis prunellę modicum admiſceatur. Hæc ſunt monita Helmontij.

Concludimus igitur quòd aquæ potio in febribus æſtuoſis, ſtrenuum auxilium eſt; nam adverſatur febrili calorifico incendio. Bilis ſiccitati opponitur, eamque diluit, vim ejus infringit.

Innacreſcentia membra humectat, reſſolutam aqueam lympham, ab igneo calore reperat, ac reſtaurat. Sitim clamoſam demolcet. Somnum blanda irrigatione invitat. Ventriculi fermentum vel amarore circumſtantis bilis diluendo protegit.

Viſcera æſtuantia ſuo humido refrigerio refocillat. Humores ſalinos aſperos, hinc indè herentes do'orificos, diſſolvit, ac diluit, ut ſic ſoluti, & fluidi facti, ad vias urinæ, vel ſudoris devehi poſſint.

Quare magnus eſt error eorum, qui in febribus aquam denegant, quæ ſolummodò in febribus longis cautè, & ad menſuram exhiberi debet.

Galenus lib. 4. acut. 12. in totam ſpem profligandæ febris ardentis *in potu aquæ gelidæ, adſatietatem uſque reponit; dumodo ab interna inflamatione jam ſuperata non ſit natura, ſeu a morbo. Tunc enim ægri nullo auxilio juvari poſſunt.*

Hip. lib. 3. acut 40. Solumodò quando circa ventriculum a pituitoſis humoribus craſſis obſeſſum, in craſſata pituita facit ſitim, *aqua deneganda eſt, dum enim præterfluere non poteſt fit bilioſa, atque ſtagnans in ſtomacho dilutiorem facit bilem, & mobiliorem, ut ulterius facilimè extendi poſſit; quare febris ſymptomata augentur: & interim neque ſitis ſedatur, ſed ſtomachus magis lædatur, infrigidatur, labefactantur, ut deinceps apte coquere poſſit.*

Mala ergo, quæ ab aqua venire poſſunt, a ſtagnatione ejus proveniunt; quare cauti medici, ſemper acidulam propinant, cum ſpiritibus acidis mineralibus dulcificatis, a quibus confortatur ventriculus ad celerem expulſionem aquæ.

In principio autem paroxiſmi aqua frigida, valdè nocet; a ventre enim repellitur calor ad pectus, ei major fit; Expreſſio humoris febrilis retardatur in ſua minera, dum veluti coagulatur.

Eſt que cauſa quòd febrilis calor tardiùs expandatur ad partes extremas. Aqua præterea vias præ frigiditate conſtipans, obvias materias in primis vijs alterat, materiamque febrilem ſui adheſione adauget, omnia incrudans, craſſefaciens, & ſic febris ſymptomata duplicantur, morbus procraſtinatur; refrigeratur, cum periculo obſtructionum increſcentium, indè fiat tranſitus ad cachexiam, & hydropem.

Galenus lib. 10. ſimplicium cap. 5. *Vini amantibus*, in febribus ſiticuloſis, favorabilis eſt; ſuſtinet enim, quod *aqua copioſa, ſi vino permiſceatur (ut vix odorem vini ſapiat) multo magis, & multo citius refrigerat, & reficit, quam aqua pura.*

Vel etiam Hippocratis monumento obtemperent iſti violenti, & *aquam tantillo aceto mixtam ſecurius bibant, quam poſcam Hippocratis ſuperius nominavit.*

In declinatione autem vinum album oligoforum (Galenus ait) ſine ullo timore bibere poterunt, quia omnes evacuationes promovet, & ventriculum recreat.

Sed qui veræ aquæ nocere copiam habere poſſunt, in ſiticuloſis febribus; ſine ullo ſcrupulo his uti poterit, ſemper cum fructu, abſque eo quòd aſtrologentur de varijs potionibus, & incertis.

De cęteris, univerſa, quæ chilum progignere poſſunt viſcidiorem, craſſiorem, acidiorem, crudum, omnino vitentur. Legumina. Fructus. Olera. Otreacea. Soli piſſerculi marini elixi cum ſucco aurantiorum, & oleo amygdalarum concedantur, copioſo etiam eorum juſculo aſſumpto, quia mirabiliter alvus juſculo piſcium, cum oleo amygdalarum, & ſucco aurantij dulcis, ſolvetur. Idem dicatur de piſcibus ſaxatilibus, & optimæ notæ.

Alimenta ſaccarina, dulcia, mellita vitentur; ut paręè acidum fermentativum occultum in ſuo ſinu gerentia. Nihil pariter exhibeatur ſpirituoſum, inflammabile, quod conflagrationem cruoris augere poſſit.

Neque ex Hippocrate præbeatur quidquam febricitantibus, quod magnarum virium ſit; & adversùs imbecillem ſtomachum, reluctari poſſit. *De aere monita.*

Riverius in obſ. com. contra vulgi opinionem ſuſtinet, linteamina febricitantium, ſubuculas, & alia fręquenter mutari poſſe; atque cavendum eſſe ſolumodò inſtante criſi.

Hæc itaque benè exiccata, & fricata (ne lotionem reddoleant) ſuffumigata, vel gutulis olei lavendulæ, vel aquæ ejuſdem prius conſperſa (niſi inter flores lavendulæ manſerit priùs) mutentur etiam poſt ſudorem, duobus, vel tribus aſſiſtentibus in vaſibus gerentibus carbonem ignitos ad propulſandam omnem aeris noxam tempore potiſſimùm hyemis.

Plumea ſtrata auferenda, atque laneis utendum, vel magno eſtu urgente, marochini pelles ſubſternantur.

Lectus ſpacioſus ſit, ut locum mutare poſſit, dumodò ſudor non ſit præſens, vel expectetur. Cautè paritèr, & decentibus ſtragulis cooperiatur æger; neque impatiens eadem abijcere ab aſſiſtantibus admoneatur, eaque firmentur conſuetudo ſi opus ſit.

Hominum fręquentia arceatur, gratiſſimis ſolis amicis admiſſis. Fulgores potiſſimum meridiani æſtivi, obſcurato cubiculo propulſandi; tellis etiam extra feneſtras eſtenſis.

Vel ſi commoditas adſit terreni cubiculi, potiſſimùm aurę ſeptentrionali expoſiti in æſtuoſis febribus.

bus, nil desiderabilius est, ad quietem spiritui, & sanguini æstuanti procurandam, cum somno nocturno; sed cautè, & benè tecti stragulis jaceant.

Pavimentum etiam, aqua, acetoso, & copioso nitro perfundatur, aqua rosacea, vel floribus frigidis rosarum violarum, nenufaris, sambuci, ebuli, syringæ, &c.

Æstate copia nivis, & glaciei in magnis vasibus in angulis cubiculi ponatur, plurimo sale, & nitro conspersa. Qua etiam fructus conglaciari possunt in magna ægri prunella, ore detinendi.

Tunc etiam Julep Alexandrinum parari poterit ex aqua fontis lib. 1. rosarum unc. iij. succo vero limonum saccaro admixto, quantum satis esse videatur; atque de alto loco cadere, in subiectam pelvim argentea per modum fontis permittatur, in delicioso ægrotante, cujus haustulos frequentare desideret.

Et ut omnia ad refrigerium conspirent, singulo die in febri æstuosa valdè, crysteres, sine oleo, sine melle, vel saccaro parentur actu, & potentia refrigerantes, ex succo, vel decocto ex. gr. cucurbitæ, citruli. Vel florum ebuli decoctorum, vel fructuum, &c.

Si aer cubiculi temperatus optetur tempore hyemis benzoini trochiscis alteretur; vel saltem fumalibus vulgaribus trochiscis.

Sed temporibus æstivis Aqua rosacea in olula ponatur, cum aurantio, gariophilis integris perfosso, & plurimo pulvere cinamomi, & nucis muscatæ, bulliatque ad exiccationem in angulo cubiculi; & nil ulteriùs exquires, si autem plures sint olulæ, temperatus & fragrantissimus odor ad libitum augebitur.

Frigidus verò aer (nisi urgente æstu) semper viterur, ne scilicet cute densata, porositates ejus occludantur, cum summo febrium sudoriferarum præjuditio.

Calidus tamen æstuosus, particulis nitrosis carens, debitum refrigerium cordi adducere non potest; inde est causa summæ agitationis, in inquietudinis, & anxietatis.

Præterea nitrosæ aeris frigidi particulæ, massæ sanguineæ moderatam consistentiam elargiuntur, & spirituum volatilitatem suo pondere comprimere, & ad quietem inviare possunt. Quate cautus, & prudens medicus in aeris electione, & procuratione se aptè gerere debet. *De motu, & quiete.*

Præsente febres, certè quiescere expedit; spiritui enim validè agitato, non sunt addendæ per motum agitationes; per motum enim animalem, augetur motus progressivus humorum, non solumodo, sed etiam intrinsecus, & fermentativus motus massæ sanguinis.

Itaut particulæ febriles in tubulis latitantes ejiciuntur, & de suo loco dimoventur, quæ massæ sanguinis commmunicatæ, turbationem ejus adaugent.

Quies tamen è contra, sua mala adducit, particulæ enim febriles quiescentes, per moram, & stagnationem, acrem, pravam naturam induunt, post moram deindè confertim impetu facto accessionis, & paroxismi, massam sanguinis multò vehementius turbant.

Hac igitur rationabili causa, Hippocratem, tum veteres fermè omnes invenimus, quòd in declinatione febris tertiane jubebant, ut exurgeret æger, & aliquas corporis commotiones faceret.

Imò expressè Galenus jubebat, *ut balnearent, deinde cænarent.*

Veritas quidem est, quòd in die intermissionis corporis commotiones prosunt, & vires valdè conservant; quare medicus prudenter se gerere debet intentus ut sudores a libero, frigido aeri non supprimantur; sed potius permotum Diaphoresis promoveantur.

Per commotiones enim corporis fibrillæ sensitivæ commoventur; Tartigrada, stagnantia excrementa, de sua sede dimoventur. Expultrix verò vegetior insurgit ad sua naturalia munia feliciùs obeunda.

Et sicuti motus primariò, & directè calefacit, secundariò verò, & per accidens refrigerat. Ita quies primariò infrigidat, secundariò calefacit; quia excrementa coacervat, a quibus calor promovetur. *De somno.*

In principio accessionis, somnus prohibendus est, secùs rigor, & cætera simptomata prorogabuntur, dolor capitis, &c. Fluxus enim humorum ad interiora augebitur, & massæ sanguinis fermentatio major increscet.

In statu verò, & declinatione permitti potest, quia ad vias urinæ tunc excrementa movere solet; vel etiam ad sudores.

Somnus autem *omnes evacuationes sistit, præterquam sudoris, & seminis excrementitij ex Avicen. p. 4. tract. 2.*

In declinatione igitur semper juvat; vires enim ex præcedentibus temporibus dissolutas, & fatigatas restaurat. Spiritum recolligit, & ad quietem componit, ut muneribus suis rectè vacare possit; & potissimùm, ut attenuatam per calorem febrilem materiam, per sudorem vegetus eliminare possit, qui facilimè etiam in sanis per somnum promovetur.

Retrocedente enim per somnum spiritu, & sanguine ad intima penetralia, vires ingeminantur concoctricis, & expultricis, membra universa humectantur, & sic corpora potissimùm calida, & sicca, eximiè restaurantur.

Si febris implacida sit cum anxietate, dolore capitis, & in obscuro cubili detineantur ægri lumen, vitantes, & quietem amantes, somnum etiam emulsionibus singulo vespere aversant, & opiatis.

Vigiliæ enim maximè nocent, & massæ sanguinis combustionem juvant, bilem acuunt, & symptomata exasperant. Neque sola corporis sed, animi quoque quies imperetur, ut feliciùs coctiones omnes celebrari possint; & ad optatum salutis portum pervenire valeant.

Liber Secundus Caput I.

De Febribus non humoralibus dictis scilicet de Ephemera, de Hectica, de Synoco, in particulari.

Leoninus affectus febris ephemera, a Plinio dicta fuit; quæ leoni familiaris, singulo die invadit, insuperabilemque bestiarum regem, inter febres minima domat, & per aliquot tempus diei regit.

Humanum quoque, & veluti familiaris affectus, sæpè sæpius ephemera, nobis non advertentibus accedit, & recedit.

Sæpè magno terrore incusso, sub larvato febris tegmine invadens, etiam occultissimos medicos illudit.

Nam solumodò in tergore fugiens spectata, notitiam sui exhibere gaudet, prout jam jam oflensuri summus.

Ephemera Græcè dicitur; quia diem naturalem excedere non solet. Sic ephemeridas in nostris libris constellationes appellamus, vel alia pertranseuntia, quæ unius tantumodò diei cursum non excedunt.

Imme-

Immera enim diem Latinè significat. Ephemeriq. nomen multa insensilia, & flores adepti sunt.

Ephemeram Fortunam fuisse brevem mecum Ovidius juvenis conquestus est lib. 5. de tristibus.

Nos quoque floruimus; sed flos fuit ille caducus,
Flammaque destipula nostra, brevisque, fuit.

Inanes interim reputamus, & metaphysicas differentias ephemeræ, quod alia sit Epagmastica, scilicet semper crescens. Alia Paragmastica, scilicet semper decrescenti. Alia Omotona scilicet ejusdem semper tenoris.

Nisi enim metaphysica ratione imaginari possemus, quòd in momento possit esse in summo sui vigoris, seu statu, & omotona permanere possit; vel semper augeri posse, vel decrescere usque ad ultimum sui finem.

Sed nos qui physicam transcendere nolumus universa quæ sub cæli motu commensurantur, a Cælo fatemur, necessariò subire debere totam Sortis communem, quæ omnibus constituit principium, augmentum, statum, & declinationem.

Quod autem hæc singula tempora in singulis febribus ephemeris variari possint, & in aliis longior sit augmentum vel status, in alijs longior declinatio, hoc magis naturæ, & veritati consonum est.

Differentias potiùs aliquas accidentales admittere possumus, & aliam legitimam ephemeram appellare, quæ ultra 24. horas non pertransit.

Aliam esse ephemeram spuriam, quæ peculiari nomine dicebatur a veteribus *Synocha*, quæ deindè bipartiebatur in synocham putridam, factam scilicet cum fermentatione humorum, & in synocam non putridam, sine fermentatione humorum factam.

Re tamen vera secùndum nostra principia, eadem est omninò febris, quæ juxta aliqua accidentalia, a se ipsa differre observatur, potissimùm pro majori, vel minori turbatione spiritus, & conjugis massæ sang. Ideòque jisdem auxilijs fermè omnes ephemeræ curari consuevere, magis, vel minus &c.

Deffiniebatur ab antiquis, quòd sit *intemperies calida cordis, & totius corporis, primario in spiritibus accensa, a causa aliqua procathartica, spacio unius diei durans.*

A neotericis verò deffinitur, quod sit *levis quædam perturbatio spiritus sensitivi calorifici, subtiliorem sanguinis portionem exagitantis, & calefacientis plus, minus &c.* excitata accidentaliter a causa aliqua procatharticu ex. gr. aeris calidioris, motus, laboris, iræ & consimilibus &c. vel etiam a crapula, intempestivo cibo, vel potu.

Ideò helluones multos observamus, qui post festum in mensa factum, noctu postmòdum in lecto vigiliam facere coguntur, febricula, & stomachi anxietate incalescentes.

Idem quoque ab aere, vel externa frigidiuscula aqua, cutis porositatis densante contingere solet; febricitant enim, donèc porositatibus a spiritu calorifico apertis diafora restituatur.

Signa.

Solet ephemera legitima, initium habere a causa externa, manifesta. Ut plurimum sine rigore, aliquandò cum leni horripilatione. Cum calore miti, & halituoso, declinante in madorem. Cum urina sanorum. Pulsu celeriori quidem; sed in cæteris condictionibus, a statu naturali non recedente.

Febrilibus fumositatibus cum spiritus calorifici portione expirantibus, diluta, tenuisque, assati cruoris bilis, excernitur tandem.

Synochus vero 3. vel 4. & ultrà dies durare solet, sine intermissione. Ei tamèn solet esse annexa lassitudo tensiva, gravitas capitis, somnolentia. Pulsus magnus fit, & frequens. Urina solito crassior, & rubicundior, calor blandius tamen, halituosus, non mondax percipitur.

Sed ut diximus ab initio, vix venientes in facie sua dignosci possunt ephemeræ; sed solummodò quando recesserunt, & terga verterunt, etiam vetulis manifestæ fiunt.

Causæ.

Ephemeræ causæ veræ, atque immediatæ, sunt communes cum alijs febribus, videlicet perturbatus motus naturalis Spiritus calorifici, atque massæ sang. conjugis.

Ita tamem, ut causa efficiens immediata sit spiritus calorificus irritatus. Causa autem materialis immediata est tenuior pars ipsius massæ sang.

Causæ autem primitivæ, & remotæ plurimæ enumerantur, quæ se habent ad instar spinæ Helmontianæ; nempè sunt causæ occasionales, a quibus archeus irritatus in febris ephemeræ thymiosim erumpit; Vnicus est enim motor hujus scenæ, & *unicus igneam* calorificam vim depromere potest, juxtà nostra principia.

Aeris igitur æstus, sol, ignis, balneum, potiones, vel assumpta alia intemperata, potissimùm calorifica sed aer præcipuè calorificis particulis imbutus, mixturam sanguinis turbare potere; sicuti aqua, quæ sensim, & sensim particulis igneis imprægnata, tandem ebullit; sic massa sang. ab accumulatis sensim particulis aeris fervidi, tandem præternaturali motu ebullit.

Vehemens exercitium. Multus meri potus, possunt esse causæ ephemeræ, copiam spiritus fervidi adaugentes, qui impetuosè, & præternaturaliter massam sang. commoveant, & exagitent.

Causa occasionalis frequenter est stomachi vitium & cruditas, cremor enim, seu chylus præternaturaliter arescens, facto tumultu in primijs vijs non solum, sed in massa sang. excitat cordis spiritum calorificum, ad fermentationis fervorem.

Quoniam in foro cordis, veluti ignis vestalis assiduò ardet spiritus insitu, ideò indiget, ut perspiracula *cutis, & pulmonum, inserviant* veluti, procaminies, undique sibi apertis. Quod si constipatio horum pororum contingat, tunc excrementa fumosa, retrocedentia, massæ sang. confunduntur, & naturalem motum ejus deturbant.

Eadem ratione evacuationes suppressæ, regurgitando massæ sang. motum turbare valent.

Vigiliæ nimis sanguinem attenuando atq. exagitando, labores, longæ inediæ. Ira, timor, animi contentio, tristitia, effusa lætitia, uno verbo omnes animi affectus, æquabilem massæ sang. motum turbent, & ephemeras concitare valent.

Dolores, bubones, erisipelata, catarrhi destillationes, irritatione spiritus massæ sang. motum deturbant.

Observamus, quòd urinæ a statu naturali non multùm mutantur, si febris ephemera brevis sit; sed si longiori tempore progrediatur, tunc in quarta culina, in qua scilicet celebratur nutritio membrorum, præternaturalis calor excitatus, est in causa, ut nutritio, & restauratio membrocum, non adeò felix celebretur, quare excrementa consurgunt, quæ salina condictione, acriora, & copiosiora a lympha lotrice diluta, ac soluta, colore magis fatura fetum urinosum tingere valent.

Obs. quod sunt quædam naturæ adeò debiles, potissimum declinante ætate; quæ a parum *copiosiori* cibo, vel improportionato, onerato stomacho, sentiũ

veluti

veluti se gravari, vireſque concidere, pigri ad motum facti, cum quodam ſenſu caloris univerſalis, veluti evenit defatigatis poſt laborem.

Atque iſtos dicere poſſumus horaria quadam ſpecie febris ephemeræ laborare, quoniam horum pulſus alteratæ, agitatur, frequentior fit, cum calore, quæ tolent eſſe duo pathognomonica ſigna febris ephemeræ.

Obſ. quòd in temperamentis ſanguineis vel biliosis; tum in juvenibus, plethoricis, æſtate, & aliis conditionibus indicantibus copiam ſpiritus fervidi, maſſæ verò ſanguinæ mobilis, & facilè alterabilis, fræquentes febres ephemeræ obſervantur. E contra verò in ſenibus, temperamentis, & conditionibus frigidis in fræquentes ſunt ephemeræ.

Obſ. quod qui putant ephemeram fieri a parte ſubſiliori ſanguinis in motu ſuo turbata; quod vera dicunt, ſi hanc accipiant pro cauſa tantumodò materiali immediata ephemeræ.

In hoc enim error eorum conſiſtit, quod putent quod partem hanc tenujorem ſanguinis, non eſſe contradiſtinctam a ſpiritu, & ab hac, ſanguinis maſſam moveri, ita ut ſanguis motum ſuum habeat, ab intrinſico iſto principio. Quam falſam opinionem centenis in locis in noſtris inſt. med. ref. confutavimus.

Obſ. Kergerus lib. de fermentatione, quòd inter hiſtorias Indiarum *de inſula Zeilam narratum eſt, in ejus fluvio Aroiam dicto capi piſcem, qui manu detentus, illicò febrem inducit; ſed abjecto piſce paulò poſt, ceſſat febris.*

Tunc igitur nullam fieri putredinem ſeu corruptionem humorum certum eſt; ſed fit impetuoſa fermentatio maſſæ ſang. a ſpiritu calorifico ſenſitivo, excitato a ſpiritu hoſtilli, de piſce prodeunte. Quo abſente iterum ad naturalem ſuum motum componitur ſpiritus, & maſſa ſang.

Prognoſtica.

Si itaque brevi tempore, iterum in maſſa ſang. particulæ confuſæ, & agitatæ, ad priſtinum motum naturalem fermentationis, ſpiritu paccato reſtituantur, dicetur febris ephemera, ſalutaris, continua, uſq. in finem.

Differt enim in hoc, a febribus continuis tertianis, malignis, & alijs, quæ cauſam calorificam diuturno tempore in venis permanentem habent, a qua perturbatur motus naturalis fermentationis ſanguinis; ne adeò citò ad priſtinum naturalem ſtatum reddire poſſit.

Credere enim quòd ſolus ſpiritus excandeſcens, conſtituat ephemeram (ut putant veteres) ſunt nugæ pueris recitandæ. Concurrit enim in quacumque febri fermentatio, ſeu motus maſſæ ſang. perturbatus, & præternaturalis, qui cum ſpiritu calorifico, ſenſitivo motore, conſtituit eſſentiam febris. Secùs neque febris nomine digna eſſet ephemera.

Non differt enim ephemera ab alijs febribus continuis, niſi ratione brevitatis temporis, & facilioris reſtitutionis ad ſuum priorem naturalem fermentativum motum ſpiritus, & maſſæ ſang. ob cauſam calorificam exiguam, tranſeuntem, ac fortè externam.

Hinc eſt, quòd ephemera appellatur *difficilis cognitionis, & facilis curationis a Galeno*. Vix enim dignoſci poteſt ephemera, diſtincta ab alia continua, niſi circa finem, ex brevi, vel longa ceſſatione.

Ita ut Neotericorum plurimi, in hanc opinionem venere, quod aliquæ febres peſtilentiales continuæ, brevi evaneſcentes, in numero ephemerarum recenſendæ ſint.

Ephemeræ igitur natura ſua ſalutares ſunt, & ſanguipurgiæ a maſſa ſang. impuritates evacuant. Sed quandòque per comiſſos errores, vel ratione plethoriæ, vel cacochymiæ, in alias febres tranſeunt.

Synocha autè vera, ſudore, vel hemormoragia, intrà quarta ad ſumùm quinque dies terminum habet.

Ut plurimùm ſponte ceſſat cum madore, vel ſudore; non tamen negligenda, quoniam ſi loco ſedandi, & compeſcendi ſpiritum, blandis refrigerijs, novis calorificis cauſis intendatur, atque ſtimuletur, periculum eſt, ne ephemera diutiùs protrahatur, atque ne interturbatis in quatuor ſolitis alimentorum officinis, digeſtionibus; fiant excrementa, quæ ad cor circulando delata mixtionem ſanguinis efficaciùs turbent, & febrem putridam cauſent.

Imò per intenſiorem cordis motum a ſpiritu calorifico excitatum in ephemera, dum copia major ſolito cruoris comburitur, in fuliginoſam bilis ſubſtantiam dum vertitur, niſi promptè, & expedita via in hepate ſecerni poſſit, & per vias naturales, & conſuetas eliminetur, regurgitans, & cum cæteris liquoribus circulando ad cor deducta in ſufficienti copia, ob progreſſam ephemeram plurium dierum, tandem tranſit in putridam dictam.

Indicationes.

Spiritus ſenſitivi caloriferi fervor eſt compeſcendus. Sanguineæ maſſæ tumultuoſa fermentatio, & motus ad mediocritatem deducenda. Quibus intentionibus ſanguinis miſſio in plethorico ſatisfacere poteſt ſi ſynocha ultrà diem prorogari obſervetur, pro præſervatione, ne tranſeat in febrem putridam dictam, ſeu humoralem.

Refrigerantibus humectantibus cruoris incendium niſi omninò extingui poſſit, ſaltèm ut mitius, & cum minori noxa deflagret procurandum eſt.

Liquoribus etiam aqueis, fluidis, attemperetur, & irrigentur, particulæ fuliginoſæ bilioſæ combuſti per febrem cruoris; ut declinante febre, & deflagratione peracta, facilius vias excretionum ad invenire poſſint.

Blandus igitur, vel inſipidus aqueus liquor (lympha) cordi æſtuanti; atque maſſæ ſang. conflagare incipienti adducendus eſt, ut ſic incendij magni fomites tollantur, & ad naturalem temperiem, & motum, cor cum maſſa ſang. deducatur.

Expedit igitur, magnique intereſt in ephemora lymphæ penu potulentis augere. Lympha enim, ſeu aqueus humor, unus ex tribus liquoribus maſſam ſang. conſtituentibus eſt (prout in noſtris inſt. med. ref. inſinuavimus) a natura inſtitutus, ad triplicem potiſſimùm uſum.

Primo ad diluendum terreum, craſſum cruorem; ſuaque mixtura frigida, humida ad eum præſervandum, ne ab igneo cordis inſito ſpiritu calorifico, igneæ naturæ, comburatur, atque ultrà naturalem menſuram bilis generetur; ſed tantùm quæ ſufficere poſſit naturalibus functionibus rectè obeundis.

Secundo ad utrumque liquorem alimentitium; maſſam ſang. componentem (ſerum alb. & cruorem) diluendum, ut ſine mora expeditè per minima vaſcula deferri poſſit.

Tertio ut ſalina corpuſcula in ſe ſuſcipiat (proprium eſt enim aquæ ſalia diluere, ac diſſolvere) & ſic excrementa ſalina quatuor culinarum in ſe ſuſcepta, ad vias excretionum ducat, & ſecum excernat.

Si natura ad ſudorem inclinare videatur, & urina cum bonis ſignis appareat; tunc blandis diaphoreticis uti licebit. Atq. fortàſis ſolo copioſo potu aquæ frigidæ, adaucto penu lymphæ ſufficere poteris.

Fræquèter .n. obſervamus, æſtivis tèporibus, quòd juve-

juvenes veluti febri æstuantes, copioso sumpto potu aquæ frigidæ, paulò post ingenti sudore erumpente, summa quies, & refrigerium subsequitur.

Quinque igitur præcipuè in ephemera requiruntur. Primo causæ procatharticæ remotio.

Secundò Spiritus, & massæ sang. ad suum naturalem, & æquabilem motum restitutio.

Tertiò conflagrati cruoris fuligines *biliosæ* a massa sang secernendæ, atque excenendæ.

Quarto Sanguinis, cordis, & totius fervor attemperandus, & compescendus.

Quinto Transpiratio verò libera omninò procuranda, per quam ut plurimùm ephemere, evacuari, & tolli consuevere.

Curatio.

Si ab æstu æstivo ex. gr. fiat, & laboribus in sole; victu refrigerante; & loco umbratili, frigidiusculo, tolletur. Procurato cubiculo propè terram; Vel cujus fenestræ sint apertæ ad auram septentrionalem.

Vel nisi haberi possit tale cubiculum, internatur pavimentum floribus refrigerantibus, rosarum sambuci, tiliæ, nenufaeris &c. vel foliis vitis, salicis cucurbitæ, ninfeæ &c. quæ aceto aquâ, nitroque admixto conspergantur.

Vel introducantur plura magna vasa lignea frigidissima aqua plena, & glacie.

Vel quòd breviùs est, in magno vase copia nivis, & glaciei reponatur, mixta copioso sale, & nitro (quibus æstate cum magna delicia conglaciantur fructus) interìm magna custodia habita, ut corpus integumentis optimè tegatur, & æger contentus sit frigidiusculam auram pulmonibus æstuantibus haurire.

Nemini junior, quòd in fervidissimis diebus, æstivis, cum veluti febricitans horis pomeridianis, nec quiescere, neque studiis vacare possem Montagnanæ, me recipiebam suprà portam amplissimæ cellæ vinariæ, benè munitus vestibus, ubi intrà quadrantem horæ sedato pulsu, & anxietate respirationis, alta pace, & quiete poteram legere & scribere, procùl etiam ab omni molestia bestiolarum illius regionis; loco interìm vini Vicentini proximi, bibens emulsionem, vel fructus in proximo puteo refrigeratos.

Si igitur ephemera fiat a calore, & labore; Quiete, & frigidiuscula refectione, concoctu facili tollctur.

Si fiat ab ira. Animus blandis, & mitibus amicorum alloquiis placandus. Vel nisi hoc fieri possit, saltèm ad imitationem iratorum canum, frigidiuscula sorbitione, iræ calor attemperetur.

Si fiat a vigiliis, somnum etiam quacumque hora diei post emulsionem sumptum, captare possunt ægri.

Si ab inedia, paulatìm, & per vices, victu euchimo reficiendi erunt.

Si a crapula, & repletione, jusculis refrigeranti. bus ciborumque crassorum abstinentia, vel solo aquæ potu cessabit.

Si a constipatione pororum cutis, orta sit, facta ab externo frigorifico; sudore procurato cessabit.

Si ab abrietate; Vomitu. Potu aquæ, & refrigeratione testium, cum posca Galenica cessabit.

Si a nimio exercitio cum exolutione spirituum; Propinetur copiosus aqueus potus fragrans, spiritu vini admixto, vel rosolino, vel elixirio, aut guttulis essentiæ citri, vel cinamomi cessabit.

Universaliter pro quacumque causa calorifica, ephemera concitante, non omittatur posca Galeni (scilicet aqua aceto mixta) vel aqua ros. florum aurantiorum, vel alia consimilis refrigerans, testibus applicita.

Spiritus enim hac ratione ultrà id quòd credi potest, demulcitur, paccatur, & veluti ad somnum componitur. Prout satis claro ebriosor, experimento observare possumus.

Si sudor provocandus sit; Interpolatis vicibus summatur cum apto liquore lapis prunellæ ad Dr. v. cum Scr. j bezoardici mineralis ex. gr. in aqua cardui benedicti, vel scabiosæ.

Si sitis vexet, singulis potulentorum haustulis, addantur guttulæ spiritus nitri.

Universaliter verò nitrosa omnia tunc conveniunt quatenus alkalinam bilem præcipitant, atque ingens refrigerium spiritui, & sanguini inducunt.

Si ingens capitis dolor adsit, & alia symptomata timorem inducentia de graviori febre, ad certam præcautionem, quæ certum juvamen, & nullum damnum exhibere possit; exhibeatur cum cibo manè, & vesperi Scr. v. chinæ febrifugæ, cum granis duobus canfuræ facto cum conserva ros. bolulo.

Certus enim eris hoc modo, quod turbatus motus spiritus, & massæ sang. saltèm intrà quintum diem cessabit, & pericula febris humoralis, pravaque symptomata silebunt.

Si synocha tertia die declinare videatur, in declinatione cassia cum rhabarbaro, & sale tartari vel nitro exhibeatur, vel quid simile.

In principio enim ephemerarum, nullo modo alvus movendus est, nisi fortassis clysteri, vel vomitu, dum fiat a crapula, ebrietate, in primis viis adhùc cruditatibus herentibus, medicamento non attenuandis, & commovendis.

Si fiat a potu generoso, tolletur aquosis potionibus acidiusculis factis, potissimum tinctura rosarum vel florum papaveris erratici exiccatorum acidiscula facta cum aliquo acido spiritu minerali dulcificato.

Vel in lib. i. aquæ communis positis uncis duabus aquæ rosarum, vel florum aurantiorum acidiuscula facta cum spiritu nitri, adendo syr. de papavere, vel violarum ad gratam dulcedinem.

Vel eliiciatur tinctura ex conserva rosarum, vel florum papaveris erratici.

Si fiat ab animi passionibus quibuscumque ira, merore &c. Vesperi post modicam cænam summant emulsionem ex 4. sem. vel ex amygdalis, cum granis tribus laudani opiati; vel saltem canfuræ, ut somnus impetretur *malorum omnium domitor ex Haratio*.

Si alvus indurata sit, & magnus æstus urgeat ac sitis de refrigerante, alterante certo, sine ulla calorifica ventris turbatione exhibentur copiosum serum lactis depuratum cum copioso cremore tartari.

Secùs turbata sanguinis mixtio, non restituetur validis purgantibus, sed potiùs hlandis diaphoreticis.

Si itaque tertia die observatæ, quòd non sit febris tertiana sed sinoca, tutò exhiberi possunt declinante febri aqueum solvens copiosum, ea intentione, ut attemperata bilis, edoceatur per sibi consuetas, & naturales vias ductus cholidoci tacitè ad intestina deferri, sine tumultu calefacientium, atque fermentantium purgantium.

In quo casu decoctum tamarindorum cum cremore, vel sale tartari, syrupus ros. vel violacius solutivum. Vel etiam vulgaris potio laxativa dicta ex mana, senacrē. tartari, integrâ paginâ supplere possūt.

In casu æstuoso, & cum magna siti, facta etiam superhibitione copiosi seri depurati, cum cremore tartari. Sola etiam aqua fontis cum Dr. j. salis prunellæ, & Dr. v. salis tartari, sufficiens esse poterit cum refrigerio ad laxandam bis, & ampliùs alvum, quæ etiam aliis diebus pro syrupo adhiberi comodè potest, augendo sal tartari, si opus sit.

Pro arcano in ephemera reputatur canfura, quia volatilitate sua, cum spiritu calorifico magnum

gnum ſymbolum gerit, & quietem ei procurat.

Ejus igitur grauula tria, quatuor, vel ultrà in emulſione, vel decoto, aut aqua florum papaveris erratici, veſpertino tempore poſt cœna exhibita, nocturnum ſomnum conciliando Spiritui, & maſſæ ſang. quietem procurare valet dolores, anxietates, aliaque incommoda tollere poteſt, abſque periculo obſtructionum, ob ſuam tenuitatem.

Victus ratio.

Omnia erunt incaſsùm profuſa, niſi apta victus ratio in ephemeris conſtituatur. Quare æſtuanti potiſſimùm ſtomacho magna cautela adhibenda eſt, ne ejus acidum ſtomachum pervertatur, & aſſumpta corrumpat.

Ideòque acidiuſculis, ſive ſpiritibus mineralibus dulcificatis & attemperatis; ſive acidiuſculis vegetabilium citri, limonum, berberis, rhibes &c. confortandus, & vigorandus eſt, ut acidulum, frigidiuſculum chylum cordi ſuppeditare poſſit, lympha dilutum, qui in alKalinæ bilis amplexum ruat, atque ſufficienter incraſſatam, ad hepatis incerniculum ſubeundum facilitet; indè ut excernatur.

Impoſſibile enim eſt in ephemera, ut dum maſſa ſang. a præternaturali motu, & calore ſpiritus calorifici accenditur, & agitatur, non generetur major copia bilis, ſeu faliginis flavæ, amaræ, ex aſſato cruore, quam in ſtatu ſano.

Potiones igitur refrigerantes; ſed præ ceteris ſomnus, & quies procuretur ideò opiata, & anodina conveniunt. Spiritum verò nitri peculiarem vim habere omnes deprædicant, in æſtuoſa ephemera, vel ſynocho ad ſanguinis æſtum ſimul, & ſitim ſedandam.

Tinctura elycita ex ſandalis, vel meliùs ex ligno rubro Braſiliano (quod ſpecies ſandali eſt) inſtillatis guttulis olei tartari, rubicundiſſima fit pro illis qui appetunt vinum rubrum. Cui deindè ſi inſtillentur aliquot guttulæ ſucci limonum, ſpecioſa metamorphoſi ægro jucunda, & utilis, in vinum album mutatur; cui deindè portio ſaccari ad placitum admiſcetur.

Hæc pro ventriculo laxo, cordeque æſtuante, & hepate, præſtantiſſima potio eſt.

Si autem ſudorem æger expectet, vel movere conducat; decoctum ſumitatum cornu cervi aptiſſimum pro potu erit, in toto febris decurſu.

Vel potio febrifuga univerſalis Riverii, ex aqua ſimplici vel cardui benedicti, ſpiritu vitrioli acidula facta, & ſale cardui benedicti, vel abſynthii &c. quæ etiam ſavaro edulcorari poteſt.

Decoctum tamarindorum cum canfura; decoctum hordei, cum julep deciduo de taleolis limonum ſaccaro conſperſis. Decoctum raſuræ eboris, vel cornu cervi aptiſſimæ pro his ægris potiones quolibet tempore erunt.

Quibus ſi conquerantur de corde, pulveres margaritarum, corallorum, oculorum, cancri, vel diamargaritonis admiſceri poterunt; cum acido citri.

Claudamus tandem ſermonem hunc cum ſolida doctrina Hipocratis 7. aph. 42. qui ait: *Si febris non ex bile detineat, aqua multa, & calida in caput affuſa; febris ſolutio fiet.*

Febres itaque quæ non ex bile dependent, recenſet Hipocratis lib. de natura humana; *Et ſunt ephemeræ omnes, tum hecticæ, quæ balneo, capitiſque lotione tolluntur.*

Hanc tamen ſententiam (dicit Prop. in comento Martianus) *de more ſuo damnavit Galenus, qui ſub ſpecie commentandi Hipocratem dicta falſa, & erronea illa eſſe oſtendendo, protoparentem medicorum de ponte deiicere, conatus eſt; ſuamque deciſivam ſententiam afferens, ad hæc uſque illuminata jam tempora tyranni-dem occupavit.*

Poterat tamen idem Galenus legere in lib. 2. epid. ſect. 3. Hipocratem ſic ſcribentem. *Si hominem corripiat calor, non a bile, neque a pituita, ſed vel a laſſitudine, vel alias febriat, aqua multam calefacito, quæ ſuperafuſa caput irrigabis, donec pedes ſudaverint.*

Quibus ſanè verbis, clarè oſtendit, ſe loqui de febri ephemera, quæ ſolitis balneis antiquorum tolli conſuevit, & excludit cæteras omnes febres, quæ a bile ſunt, nempè tertia, vel factas a pituitoſo ſero alb. corrupto, a quo fiunt quartanæ & aliæ &c.

Verumtamen, quia his noſtris temporibus obſolevit penès caſtos & mundos Chriſti fideles uſus balneorum, linorum uſu munditiam procurantes; ideò capitis balneatio hæc Hippocratica, non adeò tuta a prudentibus medicis reputatur; Nam ſive plethora, ſive cacochymia adſit, ex hac calida capitis balneatione, magnum periculum ſubeunt ægri, ne liquentur, fundantur, & fluxiles fiant humores frigidi, crudi, tardigradi, & febris ephemera in humoralem tranſeat.

De Febre Hectica

Cap. II.

IN macrocoſmo, ſeu magno creaturarum omnium templo, lampas perenis ſuccenſa eſt. ſol. In microcoſmo verò, in quo vita, lampadis Veſtalis flammæ comparatur, hæc ut recta ratione ardere poſſit in corde (quod ſoli proportionatur luminoſe calore) debet apto ſanguine, veluti puro oleo, aſſiduò uſque ad fatalem diem reſici, atque reſtaurari. Quod ſi impurum hoc oleum ſuppeditetur, exoticis, ſalinis, terreſtribus, alieniſque particulis imbutum; neque placide, neque æqualiter; ſed cum fragore, ſtrepitu, ac perturbatione accenditur flammamque inſolitam; a conditione naturali alienam conſtituit.

Hoc in miſeris febricitantibus contingere, certum eſt; ſed in hecticis febribus præterea, hoc miſerabile contingit, quòd in lampade cordis, oleum iſtud vitæ, ſenſim, & ſenſim exareſcat, atque deficiat, poſtquam diù impuris particulis admixtum præternaturali flamma conflagravit.

Vita namque Omnipotentis donum, indiſtincta a Vegetativa, nutritiva facultate ſublunaribus elargita eſt, quę humida irrigatione, antigoniſtæ morti opponitur, & ſiccitate contraponitur.

Hectica autem, veluti mortis germana, erga humana corpora ſe gerit veluti æſtas, erga ſtyrpes annuas, quas ſenſim arefaciens, & ſiccans, ducit ad interitum.

Hectica igitur febris ab habitu nomen deſſumpſit, quia ſcilicet difficultèr removibilis ſit.

Galenus lib. 1. de diff. feb. cap 7. ait: *Febris quæ firmiter ſolidas partes occupat, hectica eſt, diciturque per antonomaſiam febris habitualis. Atque definitur quod ſit intemperies calida, præter naturam accenſa, in partibus ſolidis cordis, indè communicata univerſis partibus viventibus corporis, habitualis facta, & æqualis, ſeu omnona exacerbationibus carens.* Tales igitur intemperies calida ſiccitatis cauſa, eſt in facto eſſe, atque permanens in partibus ſolidis: ideòque difficultèr eradicabilis a ſubjecto eſt. Talis eſt opinio Galeni.

Galenus adhùc in hoc lib. 1. de diff. feb. fatetur *hecticam eſſe areſcentiam veluti in ſpiritibus tempore æſtivo. Obſervatque fieri præſentibus conditionibus calidis ſiccis, proportionatis eſtivo tempori.* Magnaque ex parte ex febribus magnis, vel ardentibus, ſubſe-

subsequi febres hecticas notavit; quandòque verò ex aliqua labe pulmonis, & potissimùm phtisi. Tum ex diuturnis inflammatoriis affectibus viscerum. Describitur à Neotericis, quod sit *febris lenta continua, orta a massæ sang. fermentatione depravata, ob malam diatesin ejusdem massæ sang. Cum pulsu celeri, parvo, debili, & calore acri, potissimùm post pastum, cum manifesta corporis absumptione, ob intemperiem calidam, habitualem insinuatam in partibus solidis potissimum; tum in fluidis, quæ est causa, ut nutritio deficiat.*

Differentiæ præcipuè dissummuntur ratione magnitudinis. Vel enim levis est, seu in primo gradu; quia extenuatio sit levis, & cum tussicula sicca, calor adhùc mitior sit, & in volis manuum magis perceptibilis.

Vel est gravior, & in secundo gradu, quia consumptio adiposæ, & carnosæ substantiæ, iâ fit manifestior, tum calor intensior, potissimùm post assumptum hora una, vel altera cibum, in genis, & volis manuum.

Vel gravissima est, & in 3. gradu, cum partium fibrosarum ariditate, & exiccatione, ita ut facies Hippocratica dicta jam appareat; qualem Ovid. li. 8. mitamorp. descripsit, in persona famis.

Pus acutis, per quam spectari viscera possent.
Ossa sub incurvis, extabant arida lumbis.
Ventris erat pro ventre locus. Pendere putares.
Pectus, & aspinæ tantummodò crate teneri.

Atque hæc horribilis hectica, febris etiam marasmodes dicitur.

Differentiæ ratione complicationis sunt, quòd alia hectica sit simplex, & solitaria. Alia sit composita cum febribus humoralibus, vel aliis morbis &c.

Differentiæ ratione moris, alia benigna est alia maligna:

Differentiæ ratione ortus & causarum alia oritur per se, alia per accidens, dum scilicet aliis morbis supervenit ex. gr. post longam febrem humoralem, vel ulcus pulmonum. vel ulcus tybiarum cacoete. Vel post longum viscerum affect m. Per se verò incipiens, est adeò rara, ut non desint Neoterici aliqui, qui hanc dari omninò negent; sed aliis superveniat.

Differentiæ veræ, sumptæ juxta nostra principia, juxta tres liquores nutritios numerantur, (naturalem ordinem dignitatis sequentes, tum temporis) triplicem differentiam, seu potiùs gradus hecticæ constituentes.

Prima quidem fit à chilo depravato. Secunda à cruore. Tertia à sero albugineo. Et sic tempore, ordine, ac dignitate trium primarum culinarum, in quibus celebrantur succi alimentales tandem in 4. culina hectica terminum suum habet.

In prima enim culina stomachi celebratur chylus, qui si præternaturalis celebretur, primam hecticæ speciem constituere potest; quæ vix distingui potest a febribus humoralibus, sed solumodò in progressu temporis dignoscetur, quia eadem ratione fit; scilicet a turbata fermentatione, seu motu massę sang. ob præternaturalis chyli adventum, & mixtionem.

In secunda culina cordis celebratur cruor, qui si præternaturaliter afficitur, atque a calore febrili torrefiat; tunc in fuliginosam, amaram bilem cruor conversus, ineptus fit nutritioni partium carnosarum; atque absumpta jam pinguedine, quæ a parte butyrosiori chyli generabatur, fit jam progressus ad secundam speciem hecticæ, quæ conspicua fit per absumptionem, seu nutritionem pereuntem partium carnosarum.

In 3. culina cerebri, celebratur serum alb., quòd per acrem, diuturniorem febrilem calorem, pedisequa lympha destitutum, salinum, acre, incrassatum præternaturale, fit; quare ineptum celebrandæ in partibus albis spermaticis consuetam, & naturalem nutritionem, jam progressus fit ad tertiam speciem hecticæ, quæ conspicua fit post contabescentiam partium carnosarum; dum exarescunt, etiam albæ febrillæ partium spermaticarum.

Sed quia hæc cognitio maximi interest, pro notitia febris hecticæ, paululùm immorari debemus ad recolenda ea quæ in instit. med. ref. jam exaravimus.

Certum itaque est per nostra principia; quòd serum alb. spermaticarum partium nutritium, elaboratur in tertia culina cerebri; a quo deindè descendit per tubulos nervorum, ad irrigandas, & nutriendas albas universas spermaticas partes, album nutrimentum existens (cruor enim rubet rubicundas carnosas partes nutrit) deindè à nutritione spermaticorum residuum, per venas reassumitur, atque circulando ad cor deducitur, ut massæ sang. immesceatur, cum qua postmodum per carotidas ascendit ad cerebrum, ut rectificetur.

Nervos autem defere ad partes albas nervosas non solumodè spiritus animales, sed serum alb. nutritium pro nutritione, sequentibus rationibus nos convicimus.

Primo quia inciso, vel vulnerato nervo, vel parte alba spermatica, non extillat cruor; sed materia limpida aquea, quæ ad lenem ignem concrescit. Claro testimonio quod sit serum alb. quod titulo synoviæ in vulnere tendinum circà articulos positarum, copiosissimum effluit.

Secundo quia inciso nervo ex. gr. in superiore parte brachii, pars inferior contabescit.

Tertio quia hecticis multum prodesse experientia ostendit, injunctiones circà nucam, & spinalem medulam nervinis factas.

Quarto Rachitis morbus novus clarè ostendit nutritionem a cerebro venire, *excrescit enim caput*, ejusque partes cum cerebro, adeò ut giganti sufficere posset, dum cætera membra omnia pumilionum ad instar pusilla manent.

Quinto. Quia in paralysi pars intumescere, indè amittere sensum & motum, tandem tabefieri solet.

Differentiæ denique hecticæ, quæ cadunt inter gradus ejus, sumuntur quando jam est *in* tertio gradu, & dicitur febris marasmodes; quandò scilicet colliquatæ sunt jam partes nervosæ, & exiccatæ.

Marasmus autem est duplex, nam vel ex hac caliditate febrili fit; & hic legitimus dicitur. Vel fit a frigiditate, & siccitatem, qui illegitimus est, & contingere solet in decrepita senectute, vel in defícientia alimentorum pauperculis, & miserabilibus, diciturque senium Filipi; quod sine febri est, sedi-fter, & via ad mortem sine sensu molesto, ex sola cessatione nutritionis:

Causæ.

Fræquentiores hecticæ causæ solent esse impedimenta, quæ generationem probi chyli dulcis impediunt; ex. gr. dum viscera naturalia malè afficiuntur, ac impediuntur a muneribus suis, acido potissimùm fermento ventriculi depravato, corrupto, vel quocumque modo malè affecto, salsuginoso, acri, præternaturali facto.

Id quod contingere solet, dum serum alteram febrili calore corrumpitur, & a naturali statu immutatur. Cum serum alb. sit fons a quo derivat acidum fermentum stomachi (prout in anatrographia, ostendi) impossibile est fieri posse dulcem, & probam chyli ficationem, ab impuro sero alb.

Quoniam committitur circulus, dum a prava chylificatione depravatur massa sang., ab hac depravata massa sang., pravum resultat serum alb.

Ab hoc depravato sero alb. depravatur fermentum acidum stomachi, & sic circulariter proceditur, &c.

Thomas VVillis fatetur se hos aperuisse, atque *mesenterii, glandulas, veluti argilla repletas adinvenisse.*

Observavit alibi idem VVillis, qui hecticam mulierem exenteravit; atque reperiit *viscera naturalia quidem optimè constituta fuisse*; atque solummodo observavit pulmones fuisse aridos, & exuccos, nec non undique per totum materia sabulosa vel cretæ ad instar, refertos fuisse; Et hanc fuisse spinam Helmontianam satis rationabile est credere, a qua mixtio massæ sang. assiduò turbaretur.

Partes itaque salinæ crassorum humorum terrestres, in visceribus obstructiones pariunt, quæ chylum crudum crassum; liberè transire non permittunt; sed eundem remorantur, & dum per moram magis incrassatur, naturam veluti argillæ induit, confirmatæque obstructiones partem aquosiorem, & fluidiorem chyli, vel liquorum solumodò præterfluere permittunt.

Viscera quoque ab impedito hoc libero transitu, vel naturali motu, atque circulatione liquorum, alterantur, incalescunt, intemperiem contrahunt, inde eorum fermenta depravantur, ut postmodum variæ lectiones in facultatibus, & instrumentis naturalibus observentur.

Kergerus causam materialem proximam hecticæ dicit esse discrasiam massæ sang. acido salsam, acrem, cum nimia viscositate, vel glutinositate juncta. Talis enim viscositas in apertorum cadaverum glandulis manifestatur; tum quia in viventibus hecticis, per salivam excretam paucam glutinosam manifestatur.

Galeni ridiculam opinionem sicco pede transimus qui putat hecticarum causam præcipuam, & immediatam esse *calorem fixum, & impressum in partibus solidis*. Hoc enim secundùm nos potiùs productum febris hecticæ, quam febris ipsa hectica, reputandum est.

Sunt enim liquores nutritii, qui constituunt gradus hecticæ; deficiente enim parte butyrosiori chili, deficit pinguedo in corpore. Defectu cruoris assiti a calore febrili, deficiunt, & emaciantur partes rubræ, carnosæ. Deficiente, vel corrupto sero alb. ,exiccantur, & contabescunt partes albæ spermaticæ.

Non est igitur calor insitus membrorum, mutatus igneum, qui absumat ros, cambium, glutem, & alia excogitata ridicula; sed corruptus chylus, cruor, vel serum alb. sunt hujus tragicæ scenæ auctores, & actores, membra verò sunt passiva tantummodò.

Prætetea nugantur Galenici de hoc calore in membris infixo, & dicunt, quod hectica est febricula sine alteratione, quia sit calor non fiens; sed jam factus in partibus solidis.

Cujus tamen rei vera ratio est, quia massa sang. malè affecta invasibus suis circulatur eadem æquabili ratione, & nunquam deponit sua excrementa, ut fit in febribus intermittentibus, vel remittentibus, sed est febris continua.

Negatur autem, quod sit omotona; nam Galenus ipse lib. 1. de dif. feb. docet, quod signum pathognomonicum, & indubitatum hecticæ, est incalescentia a cibo.

Febrilis igitur calor hecticæ patitur alterationes non tamen quia partes solidæ a cibo magis incalescant, (exemplo calcis vivæ aqua perfusæ) sed quia dum chylus crudus, acidus, præternaturalis ad cor, & ad massam sanguineam diluendam pervenit, novam, & præternaturalem fermentationem in ea concitat.

Non est enim possibile, ut tam brevi tempore, & sine cordis ingressu, chylus a stomacho, ad membra solida nutrienda deferatur; sed priùs debet ad cor deferri, ibique cum massa sang. confundi, postmodum per arterias ad membra irriganda deferitur.

Sed præignorato motu, & circulatione liquorum suo tempore, excusandi sunt veteres &c.

Raim Jans. cent. 3. conl. 76. Marasmodes hecticæ febris causas recensct. 1. *alimenti defectum.* 2. *imbecillitate ventriculi intemperati.* 3. *destillationem a capite in ventriculum, vel etiam pulmonem.* 4. *interemptum transfluxum chyli, in visceribus naturalibus, non probe elaborati, & tunc etiam succedere solet assidua per alvum excretio.*

Tenuitarem verò, & siccitatem tunicarum ventriculi plurimùm ad hanc hecticam conferre docet quia pauco calore innato, & humido radicali instructum esse significatur. Galenus verò 3. de nat. facult. 7. *partes ad ventrem spectantes, carnosas esse debere docuit; naturaliaque instrumenta quanto humidiora sunt, tantò ad nutritionis munia esse idonea, dura vero, & sicca inepta proclamavit; non solum quia difficilius dilatantur, vel contrahuntur juxta indigentiam; sed quia calore nativo destituuntur.*

Galenus pariter lib. 12. meth. ait: *Intemperies ficca semel a ventriculo contracta, vix unquam, ad naturalem, & probum statum reduci poterit; sed semper imbecillitate laborabit*; Non datur enim aliud membrum; quod conficere possit probum chylum, ad ventriculi vires, & substantificam humectationem recuperandam substantificam. Ex nutritionis verò defectu, deficiunt vires partium, calorque insitus earum languet, atque sic refrigerari dicuntur. In siccis igitur ventriculi affectibus, necesse est totum contabescere, ait ipse.

Ab inveterata igitur ventriculi labe, debilitate, atque intemperie, ab erroribus in victu contracta. Vel etiam ab ortu, seu a parentibus suscepta (vel hereditaria ratione, vel lue cæltica aut alia) fiunt assiduæ cruditates, & improbæ chyloses, quæ ad cor ascendentes, motum naturalis fermentationis massæ sang. turbant, & calore febrili continuato, succisque nutritiis contaminatis, tandem hectica consurgit.

Et hæc, verò nomine hectica ventriculi dici, debet, qua træquenter nuper nati laborare conspiciuntur, a parentibus morbosis orti.

Causæ adhùc hecticæ; sunt magnæ, & longæ affectiones viscerum naturalium, inservientium depurationi massæ sang., ut sunt hepar, lien; glandulæque omnes abdominis. Illis enim impeditis impuræ particulæ a massa sang. excerni non possunt; sed circulando ad cor redire coguntur, ibique turbato motu naturalis fermentationis, & contaminatis succis nutritiis, calor hecticus febrilis, insurgit & solidarum partium nutritio claudicare cogitur.

Causæ hecticæ ex Sylvio lib. de feb. cap. 27. *sunt plures glandulæ, potissimum mesenterii impeditæ.* Sunt enim depuratoria instrumenta seri alb. quibus impeditis regurgitat serum alb. acidum, præternaturale impurum circulando ad cor, & ad massam sang. contaminandam. Indè ad cerebrum ascendendo fit materia catharalium defluxionum, quæ hecticis sunt familiares.

Causis igitur adeò manifestis non obstantibus, Galenus lib 8. meth. pronunciavit, quod *febres hecticæ nullam habent causam a qua ascendantur sicuti lapis, qui non potest dici esse causam caloris, neque in se habere causam caloris; sed habere calorem.* Quem tamen errorem antecedenter satis reprobavimus, falsumque esse ostendimus, essentiam, & causas hecticæ in partibus solidis consistere.

Pars enim primario & principaliter affecta est massa sang. Secundariò deindè, & concomitanter sunt par-

partes solidæ malè affectæ a vitiosa massa sang. & a spiritu turbato.

Causæ procatharticæ.

Sylvius notavit sepe fieri hecticas a laboribus, & exercitiis nimis, dum deturbantur munera facultatis naturalis, seu nutritivæ potentiæ.

Ab ira vehementi, ac diuturna. A longo mærore & uno verbo, a diuturnis omnibus animi passionibus.

Ab importunis vigiliis. Ab inedia diuturniori.

Ab alimentis pauci, vel pravi succi.

A corporis enim, vel etiam animi laboribus diuturnis, spiritus animales, cum succis alimentalibus exhauriuntur, reliqui verò succi acriores fiunt, naturam aquæ fortis sumentes, quæ non ad construendas, sed ad conterendas, & destruendas partes solidas insinuatur.

Per longum animi mærorem, serum alb. acidam præternaturalem condictionem aquirit, per quam massa sang. assiduò præternaturaliter fermentari cogitur.

Passio heroica, in qua scilicet juvenes amata objecta depereunt, ad hecticam multos rapere potuit. Sicuti de Seleuco depereunte nostercam Stratonicam legimus; qui a sagacissimo medico Erisistrato sanatus fuit, Demetrio patre decepto, & incestuosis nuptiis procuratis.

Medicamenta, vel etiam alimenta acria longo tempore continuata, massam sang. acrem, scepticam, nutritioni inepetam reddere possunt, excitando febrem hecticam.

Alimenta quoque quæ paucum, & pravum chylum ineptum restaurationi, ac dilutioni massæ sang. donant hecticam promovere valent.

Aer vitiosis acribus, calorificis nimis tenuibus arsenicalibus particulis inquinatus, pulmonem ad frequentes respirationes stimulans; Cor verò, & arteriæ, dum pariter ad frequentiorem pulsationem stimulantur, præter naturalem fermentationem cruoris combustionem, atque massæ sang. motum turbant, indè succi nutritii alterantur, ac pervertuntur, hecticamque aliquando acceriunt.

A spirituosis in copia, & diù assumptis ex. gr. Spiritu vini; vel vinis generosis &c. aliqui hectica ratione contabuerunt.

Scopulus studiosorum est, in quem facile impingunt nobilia ingenia, lucubratio diuturna, vel intempestiva, potissimum a pastu facta, intermissis exercitiis, atque famelico stomacho cibis repleto, crudus enim acidus, improbus chylus, tunc generatur, quo postquàm saturata, atque immutata fuerit dulcis massa sang. jam nutriendis partibus solidis inepta, per febriculam hecticam manifestatur.

Causæ denique externæ, quę ephemeras concitant, hecticæ quoque febri tribuuntur. Ideòque nobis satis rationabile videtur; quod nullæ dentur febres hecticæ, a causis externis oriundæ, quod priùs non præcesserint febres ephemeræ. Per se enim, & absolutè quod incipiat statim febris esse hectica nobis valdè difficile videtur.

Observamus interitu, quod ex triumviratu liquorum massa sang. constituentium, primus qui a calore febrili corrumpitur, alteratur, ac resolvitur est lympha; data a natura ad diluendas duos alios succos alimentales, & a bis excrementa salina diluta removenda, ut nutritioni partium solidarum cum apta fluiditate satisfacere possint. Arescente enim lympha, massa sang. crassior, viscidior fit, salibusque non dilutis, neque purgatis fit acrior, & nutritioni inepta.

Obs. igitur quod arescente lympha, necessariò cruor per calorem febrilem torefieri debet in majori copia; caret enim attemperatrice aqua, a qua diluatur, & qualitate frigida defendatur, ne ultrà debitam naturalem mensuram affetur, copiaque bilis fuliginosè generetur.

Obs. enim quòd est naturalis, & ordinaria singulis diebus *bilis* generatio, ex assatione cruoris cum quadam proportione naturæ nota. Qua deindè fuliginosa, bile, natura ad plurimos necessarios usus vitæ, & nutritivæ potentiæ utitur.

Inservit enim veluti miles armatus acutie, ad propulsanda, & dequienda torpida, crassa, quietem amantia excrementa.

Si igitur contingat, quod per febrilem calorem major copia cruoris affetur, major certè bilis fuliginosæ amaræ copia producitur, quæ post nodum est causa, ut cruor minus fiat aptus nutritioni partium rubrarum carnosarum, (*nutrimur enim dulcibus*, non amaris) & sic post pinguedinem, imminuuntur partes carnosæ, atque hectica secundi gradus manifestatur.

Obs. quod secundum nostra principia in antrogabilis, seu materia fellea, a contrario acido veniente a proximo liene, ligatur quodamodò & præcipitatur in vasibus cholidocis hepatis, & relegatur in ergastulum vesicæ fellis, ne seditiosa, naturalem motum fermentativum massæ sang. contaminet.

Si igitur contingat, ut tale acidum (quod provenire solet à sero alb. in liene depurato) præ calore febris mortificatum imminutum sit, vel a liene malè affecto paucum vel improportionatum veniat; Ideòque non possit debitè incrassare, indè in suo ergastulo præcipitare bilem; hæc tenuis, mobilis, soluta circulando per venam cavam ab hepate ascendit ad cor, & sic perenem febriculam continuam fovere, ac excitare valet.

Obs. deindè quod ex hoc assiduò fomento febriculæ continuę facto à bile ascendente ab hepate per venam cavam ad cor circulando, dataque occasione, *ut cruoris copia major affetur in dies*, semper magis, *magisque ineptus nutritioni partium* carnosarum fit cruor, indè conspicuus fit secundus gradus hecticæ, donec contaminato consodali succo nutritio, ad tertium gradum hectica ascendat. Verificato proverbio; quod *abissus, abissum invocat*, & quòd dato uno inconveniente, cætera accidunt.

Obs. igitur quod non sunt partes solidæ causæ febris hecticæ (ut putat vulgus) sed istæ emaciantur quia à corde non suppeditantur apti liquores nutritii, pro eorum restauratione, celebrati in gratiam membrorum in tribus culinis.

Nam propriè loquendo quarta culina nostra, non sunt membra solida, nam potiùs mensa sunt, quam culina; quia veluti ad mensam sedent, & expectant venientia alimenta præparata in 1. 2. & 3. culina.

Sed quia post factam nutritionem in membris varia fiunt excrementa crassa, & tenuja (ut contingit etiam in præcedentibus tribus culinis) ideò abusivè nomen culinæ etiam partibus solidis impositum est.

Obs. itaque quod si in *prima*, & magis *præcipua* culina, chylus vitietur, non erit ampliùs *possibile*, ut in secunda *terza* vel quarta culina corrigatur. Quare in mensa assidentia membra veruna *manere* cogunt*ur*.

Obs.

Obſ. autem quòd boni veteres, proni, & faciles in methamorpheſes Ovidianas, putabant quod ſanguis ad membra nutrienda delatus, quatuor ſubiret metamorpheſes, & fieret 1. ros, deindè cambium, 3. glutem 4. pars nutrita.

Sed hoc contigit præ ignoratione, quòd duo ſint ſucci nutritii, alter qui rubicundus, nutrit partes rubicundas carnoſas. Alter albus, nutrit albas partes nervoſas, ſeu ſpermaticas. Quæ omnia latis in noſtris inſt. med. ref oſtendimus.

Quæritum eſt hoc loco, an humidum radicale membrorum ab igne febrili hecticę continuo diuturno conſumatur, vel non?

R. Quod humidum radicale noſtrum, habet quidem aquæ rationem; ſed aquæ craſſæ, ſtabilis, firmę, deſtinatæ in matrimonium, cum igne ęthereo, qui longo contubernio faſtiditus, non poteſt uxorem propellere, neque ejus humidam dotem diſſipare, abſumere, anihilare.

Sed ſolumodò poteſt hęc more oleoſorum, craſſorum, pingium liquorum, longa caloris actione denſari magis & incraſſari.

Sic humida, viſcida, extenſibilis humidi noſtri radicalis ſubſtantia, quæ fuit in infantia, & pueritia, per calorem pubertatis, indè juventutis, & ætatis conſiſtentiæ, denſior, & firmior redditur.

Denique per ſenectutem, & decrepitam ætatem. Vel etiam per febres longas, vel errata in victu, deficiente reſtauratore pingui ſero alb., (quod ſpermaticor membrorũ humidum radicale in ſingulos dies fovebat) agglutinatum hoc humidum a membro recedere non poteas, neque in auras evolare, exiccatur, induratur, minorem occupans locum, & ſic in hecticis tertii gradus, fit viſibilis ſua induratio, & exiccatio; Nam cute indurata, & tenui facta, oſſa aſſiſtentibus tendinibus, & partibus aliis ſpermaticis fermè nuda conſpiciuntur.

Accommodato ſatis exemplo coriorum, quæ præ vetuſtate non deficiunt, ſed magis indurantur, & areſcunt. Sic tendines, & partes ſpermaticę &c.

Obſ. quod magis deficit in maſſa ſang. butyroſus, blandus chylus magis deficit adeps, necnon ſerum alb. quod diſunt maſſam ſang. quæ ideò aquirit intemperiem calidiorem, acrem, magiſque comburitur cruor, & copiam bilis amaræ fuliginoſę alienę a nutritione donat.

Obſ. itaque quod duplex eſt præcipua cauſa depravatæ chyloſis in hectica. Altera eſt ſpiritus calorificus igneus factus, qui blandus accurrere debuiſſet, ad ſubigenda aſſumpta alimenta. Altera eſt materia nidoroſa, biliоſa, tenuis volatilis, quę a vaſibus cordis aſſiduò eructatur in ventriculum, quę dulcis, blandę chyloſis naturalem elaborationem interturbare valet.

Obſ. quod cauſa materialis contabeſcentię membrorum, ſunt ſucci nutritii amare lenti, ſalini, inepti nutritioni, in vaſibus ſanguiſluis contenti; ſed cauſa efficiens eſt ſpiritus inſitus calorificus cordis accenſus, & veluti ignitus, qui conſtituit igneum ſpiritum influentem, qui loco blandi, & naturalis ignis inſiti in ſingulis membris reſtaurandi, & conſervandi, illum accendit, & veluti igneum reddit, deſtructioni potiùs quam nutritioni aptum.

Et ſic non unica, ſed multiplex eſt cauſa fruſtratę nutritionis membrorum. Unico tamen nomine Neoterici hanc comprehendunt, ſcilicet intemperiei membrorum, Vel depravati fermenti membrorum; nomine verò intemperiei, non nudam qualitatem Galenicorum calidam intelligunt; ſed complexionem ſpiritus inſiti calorifici, humidi radicalis, & ejus liquores nutritii, tum fibrarum nervearum, & aliarum partium, quę integrè partes ſolidas conſtituunt.

Quę ſemper concurrunt omne, ſimul ad admittendam, vel propulſandam refectionem, & reſtaurationem nutritionis, & non ſolus ſpiritus calorificus, vel ſolus liquor nutritius, vel ſola pars ſolida ſufficere poteſt.

Obſ. quod poſt alios febres, ut plurimùm ſubſequitur, hectica quę febris continua eſt; nam per multiplices precedentis maſſę ſang. præternaturales motus fermentationis, ſpiritus adeò languidus fit.

Tum ab aſſato per febres cruore, tanta fuliginoſæ bilis copia ſuccreſcit; ut maſſa ſang. non poſſit amplius regulari, & ad ſuum naturalem motum fermentationis reſtitui, depoſitis excrementis; ſed invaſibus cordis aſſiduò circulando morboſa excrementa, febriculam continuam conſtituunt.

Obſ. quod omnia ſalia cauſtica, acria, valdè irritantia febrillas cordis, & vaſorum ſanguiſluorum tum corrupti quique liquores, coacervati à cauſis procatharticis, tum etiam a cauſis internis, dummodò ſufficientes ſint, ad aſſiduò turbandum maſſæ ſang. naturalem motum fermentationis, febrem hecticam incutere valent.

Sic materia acris, corrupta, reſidua poſt inflammationem internam ex. gr. pleuritidis, in vaſibus ſanguiſluis circulando ad cor delata, a ſpiritu verò calorifico debili dum extrà vaſa propelli non poſſit, neque excerni, aſſiduam fermentationem concitans, febriculam hecticam conſtituit.

Idem omninò dicatur de magnis fiſtulis internis, vel de ulceribus cacoetis externis, à quibus dum maſſa ſang. (naturaliter ad es veniens, ut partem diluat, nutriat, & reſtauret) inficitur, partioque materiæ ſanioſæ ulceris rapitur, & per venas circulando ad cor deducitur; ibi mixta cum ſuccis alimentalibus, maſſæ ſang. motum naturalem fermentationis turbat, & febriculam continuam hecticam conſtituit.

Nihil omninò diſcrepantem ab hectica illa febricula, quæ fieri ſolet ab ulcere pulmonum in phiſicis, ſola diſtantia a corde, & loci nobilitate diſſimilis.

Obſ. itaque quod tales febriculæ hecticæ factæ ab affecto ventriculo, vel a viſceribus depuratoriis læſis, ac impeditis. Vel ab ulceribus; vel a fiſtulis, & ſimilibus, ad diſtinctionem aliarum cauſarum, appellari poſſunt ſymptomaticæ, naturam, & eſſentiam febris hecticæ non mutantes; Sed variant tantummodò ratione cauſarum remotarum, & quarundam circumſtantiarum; nam ratione cauſarum proximarum, & immediatarum, omnes conveniunt.

Obſ. quod febriculæ hecticæ potiſſimùm fiunt in annis in quibus cruor majorem combuſtionem patitur, & bilis fuliginoſæ copiam majorem donat; ſcilicet ab anno 14. ad annum 35. Tunc enim prævalente fuliginoſa amara bile, dulces, butyroſus chylus, ad pinguedinem nutriendam adeſſe non poteſt, & ſic in primo gradu hectica obrepit. Præ amarore quoque cruor ineptus fit nutritioni partium rubrarum carnoſarum, & ad ſecundum gradum hectica progreditur.

Bilis tandem ſiccitate prævalente, ſerum alb. frigidum humidum, ſub contrariæ bilis tyrannide compreſſum, & conculcatum immutatur, contaminatur, ita ut nutritioni debitæ ſpermaticarum partium ſufficere non poſſit, & ſic ad tertium gradum hectica feſtinat.

Obſ.

Obſ. quod in quibuſdam locis febriculæ hecticæ fræquentiſſimæ ſunt, & quaſi endemicæ; ubi aquæ, & aura arſenicalibus particulis diſſeminata ſunt. Vel aura ſit admodùm tenuis, acris, particulis frigidis, nitroſis incraſſantibus orbata, quibus tenues, acres, arſenicales particulas in aere contentas figere, & incraſſare poſſit.

Tunc enim aſſidua irritatio veſiculas pulmonales vexat; quod ſi etiam addantur errores in victu, facillimè pulmo contabeſcit, flueſcit, vel etiam ulceratur, aut aliam labem contrahit, cum febricula hectica.

Obſ. magnum teſtimonium eſſe, quòd incaleſcentia quæ hecticis poſt unam, vel alteram horam a paſtu contingit, fiat a tranſitu chyli a ſtomacho ad cor; quin per experientiam anatomicam ſcimus, quòd diſſectis canibus poſt unam, vel alteram horam à paſtu (neque citius, neque tardius) tunc obſervabiles ſunt turgidæ venæ lacteæ, ob tranſitum chyli, quo ceſſante, deindè obliterantur, neque inveniuntur.

Quæſitum eſt de hectica, an habent cauſas materiales, vel non. Præceſſores enim noſtri, uſque ad hæc tempora, auctoritate Galeni ſuffulti; eſſe affectum meræ intemperiei calidæ ſine materia, ſeu eſſe affectum immaterialem, ore rotundo pronunciant; Sicutioves, alia aliam ſequentes, ſine ratione, ſine experientia, ſolis metaphiſicis conſiderationibus, hoc ſtatuentes,

Nos meliori phyſica inſtructi Neotericorum Carteſianorum fatemur, quod varia molecularum diſpoſitio, connexio, ordo, numerus &c. eſt vera cauſa realis univerſorum accidentium ex. gr. coloris, fluoris, denſitatis, raritatis. &c.

Tales autem moleculæ, ſunt reales, corporeæ, materiales, & potiſſimùm moleculæ calorificę, quę primarum qualitatum locum occupant, & quas in noſtris libris phyſicis de generatione oſtendimus eſſe particulas ſolares, ſolque eſſe ſpherram actualis, & veri ignis; quæ niſi haberent ſuum eſſe verum reale, materiale, quomodò eſſe poſſent activæ, & qua ratione corpora naturalia movere, agitare, atque alterare poſſent?

Si concedant hecticam cauſam materialem habuiſſe; ſed carere efficiente particulari, & conſervante; ita ut a nulla cauſa materiali dependeat, quia talis calor ſit jam factus, æqualis, habitualis permanens.

Tunc incidunt in Scillam cupientes vitare Caribdim, plurimis rationibus ſuperiùs jàm exaratis. Impoſſibile eſt enim, febrem non ſolùm hecticam, ſed quancumque imaginemur, non habere ſuam cauſam efficientem, & materialem univerſalem, quas diximus eſſe ſpiritum æthereum calorificum noſtrum, Archeum neotericorum, unicum in corpore humano humorum motore, & impulſore.

Cauſam verò materialem diximus eſſe maſſam ſang. præternaturali motu fermentationis, ab eodem ſpiritu agitatam; dum tentat per motum fermentativum, id quod præternaturale, ac moleſtum cordi eſt, extra ejus vaſa expellere.

Obſ. præterea quod hectica ſepè interdiù ſolet eſſe levior, noctu verò exacerbatur, deindè miteſcit cum ſudore. Quare ſaltem ſignum eſt, ab aliqua materia peccante foveri febrem, a qua vario tempore natura conflictatur, & quam tempore nocturno per ſudorem deiicere tentat.

Obſ. autem quod ſudoris hæc materia, nihil aliud eſt, niſi ſuccus ille nutritius, ſeu ſerum alb., quod præternaturale impurum, ichoroſum acidum exiſtens, dum nutritioni membrorum noctu inter dormiendum naturaliter accurrit, *nutritioni* ineptum, cum pediſſequa lympha ſpecie ſudoris *ſalſi* eliminatur, & membra contabeſcunt.

Obſ. etiam quòd poſt cibum una, vel altera hora calor in facie, & volis manuum manifeſtari *ſolet*, non quia chylus ad membra ſicca nutrienda recta via pergat; *neceſſe* eſt enim, ut per varia viſcera, & vias, varias *ſubeat* alterationis; hoc verò breve tempus, ad id improportionatum eſt.

Chylus enim debet præparari in ſtomacho, deindè alteratur à congreſſu pugillum circà inteſtinum duodenum, alteratur deindè in ductibus chyliferis glandularum abdominis atque Meſenterii. Vbi verò pervenit ad cor, & ad maſſam ſang. alterat ſimulet alteratur, fermentationem præternaturalem ingeminans & ſic eſt cauſa ingeminati caloris in volis manuum, & in facie.

Obſ. Avicenas 10. 3. tract. 4. cap. 21. *hecticam exacerbari noctu*, nulla alia ratione, niſi quia per ſomnum, & quietem nocturnam magis, quam alio tempore celebratur diſtributio alimenti, pro reſtaurandis, ac nutriendis membris.

Obſervat Galenus lib. de marcore cap. 7. *hecticam primis diebus, a febre diaria impoſſibile eſſe, ut diſcerni poſſit, ac diſtingui; ideòque his communis eſt refrigeratio, & humectatio, ut facile tolli poſſit.* Sic enim maſſa ſang. præſervatur, ne majorem ſiccitatem contrahat.

Obſervat Galenus lib. 1. de dif. feb. cap. 8. *tres hecticarum febrium ſpecies eſſe.* Sed perperam; nam non variatur eſſentia hecticæ, ſed iſti ſunt potiùs varii gradus hecticæ ejuſdem; ſolumodò utiles ad varia tempora hecticæ dignoſcenda, varium præſagium, & curationem inſtituendam. Quandò enim ad perfectam tabem, ſeu ad maraſmodem devenit, deſperata eſt ſanatio, non tecùs ac deſperata eſt humectatio mollis, & in priſtinum reſtitutio corii, quod ab igne valido contractum, & exiccatum fuiſſet; ſed in ſolummodò ab igne contrahi, & exiccari inceperit, in priſtinum reſtituetur.

Obſ. quod videtur ſaltèm variis eſſe hecticæ ſpecies, quæ fiunt ab ulcere pulmonis, a fiſtulis, vel a magnis ulceribus cacoetis. Sed tamen re optimè conſiderata, hectica non mutat ſpeciem, neque fit à vapore *putrido ulcerum*, ut dicunt Galenici; ſed eadem eſt ſemper eſſentia febris hecticæ, & eedem ſemper cauſæ ſpiritus ſenſitivi irritati, & maſſæ ſang. ad præternaturalem motum fermentativum impulſæ.

Non ulceratur enim ex. gr. pulmo, *niſi* a materia acri, acida, corroſiva, fermentativa; quæ perſeverans circulari in venis, in progreſſu augetur magis, magiſque a corrupto ichore ulceris, qui circulando in vaſibus cordis perennem, fermentationem febrilem concitat, quæ tandem corruptis omnibus ſuccis, ad maraſmodem contabeſcentiam ducit.

Obſervamus igitur, quod nugæ ſunt, a putrido vapore ab ulcere elevato, fieri tales hectica ſpecie differentes ab aliis, quæ cordis ſubſtantiam in dies magis exiccando, tandem cor calorem in habitu contrahat, ſimul cum cæteris membris.

Ita ut etiam ſi ulcus curetur (dicunt illi) calor tamen præter naturam in corde, & membris perſeveraret, & hectica. Quòd tamen experientia falſum eſſe oſtendit; multi enim a deſtillatione acri, poſt ſputum ſanguinis, & ulcus inceptum pulmonum, a prudenti medico introductus fuit callus ulceri & ſic ceſſante materia acri irritante ulceris ceſſavit febricula hectica.

Hoc idem mihi contigiſſe teſtor poſt ſanata ulcera magna

magna cacoheta in tibys; quæ erant causæ, ut continua febricula hectica concitaretur, illis enim sanatis, hectica sanabatur.

Observavit Hipocrates lib. 1 de morb. pop. post febres acutas æstivas facilè hecticas febres succrescere, sic: *In Thasso post progressam hyemis constitutionem australinam, initio æstatis in febres acutas inciderunt, & facti sunt rabidi plurimi.*

Obs. quod id quod evenit in senio naturali, hoc idem præter naturam juvenilibus annis contingere posse sicut enim senium a deficientia succorum nutritiorum fit. Ita quoque hecticæ gradus fiunt. Irreparabile autem ob hanc causam senium hominibus advenit, & fiunt sicciores.

Quarè jure meritò Galenus philosophum quemdam irrisit, qui quadragenarius librum conscripsit, quo ostendebat senium vitari posse, deindè *octogenarius adeò exiccatus, & consumptus est, ut risum apud omnes concitaret.*

Observamus igitur quod hæc siccitas hectica, non a calore simpliciter, sed a defectu succorum nutritiorum fit, sicuti fit in senibus, qui non a calore sed a penuria nutritionis arescunt.

Sic universæ causæ exiccantes penu nutritionis vigiliæ, labores inediæ, hecticam concitare valent.

Sic hypocondriaca affectio, venis lacteis obstructis, impeditis, phlogosi existente circà pylorum, & ventriculo sicco, aptam nutritioni membrorum materia non suppeditante, est sufficiens, ut membra arescant.

Obs. insuper, quod frequenter hectica conjungitur cum cachexia, non quia humiditas deficiat, & calor siccus introductus sit in membris; sed quia liquores nutritii sunt corrupti, & inepti nutritioni membrorum inde regurgitant in spatiis intercutaneis, musculorum, extravenati.

Obs. quod humectatio membrorum alia est vera legitima, & intrinseca, quæ solumodò per nutritionem fit. Alia est spuria & extrinseca, quæ fit per balnea, & alia externa, quæ modicum prodesse hecticæ solent.

Obs. quod hectica non distinguitur essentialiter a febribus humoralibus, quia omnium essentia consistit in ignito Archeo præternaturaliter movente, agitanre, ac fermentante massam sang. Sed solumodò accidentaliter distinguuntur, vel ratione symptomatum vel materiæ vel ratione partium affectarum ex. gr. quia in primo gradu afficitur pinguedo, in secundo carnes. In 3. partes spermaticæ, a varia materia nempè defectu chyli butirosi; Cruoris, vel seri alb.

Observavit Hieronimus Barbatus lib. de sero, & sanguine quòd sal copiosum in hecticorum urinis observatur, quia ab ignio calore cordis, & membrorum, torrefit massa sang. & in salinam naturam convertitur:

Atque salsuginosi semper humores præcedunt, & subsequuntur ad hecticam, ex.gr. destillatio salsuginosa a capite; quæ fræquenter solet febriculam hecticam, cum tussicula sicca excitare.

Itaut constet hecticam salinis, siccis, acribus gaudere; & per consequens tolli debere dulcibus blandis, humidis atque nutrientibus particulis.

Quæsitum etiam est, an *labes pulmonis, qualiscumque sit, valeat inducere hecticam*, sive labefactetur a destillatione perenni capitis, sive ab ulcere, sive a privata nutritione pulmonis, ut vult Sylvius, *sive a catharro in pulmonibus putrescente*, ut vult Raim. Ianf. centuria 2. qui pulmoni flaviditatem, & fraciditatem inducat, & sine ulcere tabem universalem.

Creditum fuit enim a præcessoribus nostris, quod pulmo molissimum membrum inter cætera nostri corporis, esset quoque primus qui excusaretur, & senectuti subiiceretur, essetque indè causa primativa, ut etiam cætera membra exiccarentur, & arescerent; nec solùm in senectute; sed in quacumque ætate.

Re tamen vera non ita est; nam pulmo universalem sortem membrorum sortitur, bonam, vel malam; neque ipse est causa malæ sortis, seu siccitatis, aliorum membrorum; sed si proba nutritio cæteris membris contingat, a probis succis nutritiis, ipse quoque probè nutritur.

Quare culpetur potiùs senectutis, vel ariditatis in juventute, facultas naturalis nutritiva, quæ recedens a statu puerili, & pubertatis humidæ & augescentis; per externos juveniles errores in victu vel per ætatem efficit internam membrorum veterascentium naturalem ariditatem.

Quare contingit, ut potiùs stomachus sit causa malorum, dum enim priori tempore, erat veluti uberimus foris, qui affluenter dabat succor nutritioni accommodatos, nunc sensìm exarescens, tum sibi, tum cæteris membris, est causa siccitatis, & ariditatis, potiùs quam pulmo, ad quam assiduò a ventriculo & a membris omnibus circulando humiditates undique affluunt.

Observavit igitur Galenus 17. meth. 6. *Aliquandò juvenes præ intemperantia, senum ventriculos aquirere antequam senescant.*

Observavit Barbatus *sanguinem per venæ sectionem ab hecticis extractum, fuisse admodum crassum, nigrum, siccum, bilioſum;* quia scilicet massa sang. privata est ferme consociis aliis duobus liquoribus, cruorem diluentibus, atque attemperantibus, scilicet sero alb. & pedisequa lympha.

Indè deducit rationem cur super cætera auxilia lac hecticos juvat, quia scilicet cruorem a combustione frigida humectatione præservat, & massam sang. attemperat, ut nutritionis muneri satisfacere possit.

Observavit insuper quod rara est hectica, quæ *non fiat, vel foveatur a capitis destillatione.* Tunc enim duplex malum contingere solet; tum assidua irritatio in pulmonibus, & partibus spiritualibus, quæ febriculam fovet. Tum defluxio ad ventriculum acris quæ stomachi fermentum subvertit, & probam chylosim deturbat.

Observavit Galenus lib. 12. meth. *Quòd hecticis est exitialis acidorum austerorum usus* quia scilicet auget in massa sang. acidam condictionem fermentativam, quæ dulcibus succis nutritiis adversatur.

Obs. quod hectica marasmodes sepè incautis juvenibus, lue Veneris contaminatis advenit, quia scilicet per luem, seri alb. probi in cerebro elaboratio subvertitur, inde destillatio pravi seri alb. stomachi fermentum pessundat.

Quare felix sanator hecticorum ille semper censendus erit, qui lapsum quomodocumque ventriculi fermentum erigere novit, & per consequens optimum dulcem chylum massæ sang. attemperandæ, ac dulcificandæ præstare valet, ut fiat probum serum alb.

Obs. quod aliquandò hecticæ fit causa tumor; vel alicujus membri corruptio interna occulta quæ solummodò manifestari poterat per aliquos dolores præcedentes, vel per duritiem. Vidi enim optimi temperamenti, & non innordinati in victu, agentem Serenissimi Ducis Contareni, cujus veræ causæ hecticæ contabescentiæ, tum inveniri

veniri non poſſent, me ſuadente poſt mortem aperuimus, inventuſq. fuit tumor ſuppuratus in dorſo. Quare quandoq. tubercula interna hecticam concitare poſſe judicavimus.

Obſ. pronos ad hecticum eſſe, qui malè ab ortu conformatum caput habent, parvum deſtillationibus catharalibus obnoxij, febriculis frequentibus ac doloribus capitis.

Signa Diagnoſtica.

Ab urinis nulla certa ſigna haberi poſſunt, bilis enim conſuetum emunctorium eſt hepar, & inteſtina, nullo verò modo ſunt renes, & vaſa urinaria.

Prò experientia conſtat, quod non amara, ſed ſalſa urina a ſalibus elatis a maſſa ſang. & a membris incaleſcentibus magis vel minus colorat.

Exemplo lixinij qui a ſalibus copioſis, vel paucis coloratus magis vel minus. Obſervamus enim, quòd ſi guttula fellis in urina inſtilletur amarescit.

Quare tinctura urinarum in hecticis, habetur partim ab intenſo calore, ſalia ſoluta corporis dentante, atque ad unius urinæ mittente; partim a ſalitibus iſtis acribus, ſolventibus partim craſſiorem Terreſtrem cruoris, ejus tincturam ad urinas deferentibus proprium enim ſalinorum menſtruorum eſt, eliicere metallicas, vel terreſtres tincturas ſolvere.

Si tamen vehemens, & colliquativa febris fuerit, quia circa renes tempore ſanitatis copia adipis circumſtare ſolet, occaſione ignis febrilis eliquatur, ejuſque portio ſimul cum lotio eluitur, & ad veſicam delabitur, quæ deindè in matula forma oleoſa ſupernatare conſpicitur.

Hos ægros infeſtare ſolet ſudor, præſertim nocturnus, moleſtiſſimus, vires valdè proſternens, quia colliquativus eſt, indicans præternaturalem ſalinam humiditatem, loco probi dulcis ſeri alb. nutritij, ad membra nutrienda fuiſſe delatam; quæ ut inutile rejectamentum per ſudorem eliminata, vires confractas reliquit, & membra ſine nutritione.

Pathognomonica verò, & propria ſigna hecticæ febris ſunt.

Primò quod ſit continua, quia fit a materia morboſa quæ continuam infert cordi moleſtiam, & aſſiduam turbationem in motu fermentativo maſſæ ſang.

Secundo quòd emaciatio membrorum notabilis obſervetur, juxta ordinem, & gradum primum, ſecundum, vel tertium hecticæ, ſepiùs indigitatum.

Terzio quòd a paſtu una, vel altera hora, fiat febritis veluti exacerbatio ſeu paroxiſmus, cum manifeſta incaleſcentia, & rubore, circà caput & genus.

Quia tunc duplus dum pervenit ad cor crudus, acidus, præternaturalis exiſtens, inveniens alKalinam bilem, excitat cum ea luctam, æqua ratione, qua fieri videmus, inſtillatis guttulis ſpiritus vitrioli, in oleo tartari &c.

In capite verò potiſſimùm conſpicuus fit calor, & rubor genarum; quia cordis, & maſſæ ſang. motus eſt potiùs directus ad caput per carotides, recta via, quam per reflexam aortam deſcendentem.

Ideoque obſervavimus in piſcibus, & alijs quibuſdam animalibus, ductum eſſe amplum, & reſtim a corde ad caput (ſedem præcipuarum facultatum) a corde verò, ad alia membra, in his animalibus vix ſenſibiles ductus invenimus.

Quandoque etiam in volis manuum, & plantis pedum calor a paſtu manifeſtatur, quia inibi reverberatur ſpiritus calorificus ſimul cum maſſa ſang. quæ circulando regreditur ad cor.

Pulſus fit celer, frequens, ab atazia ſpiritus ſenſitivi, ſeu Archei in corde, & in fibrillis arteriarum, excitata a ſpina Helmontiana, ſcilicet particulis præternaturalibus, aſſiduò maſſæ ſang. motum fermentativum deturbantibus.

Adeſt febricula lenta, ægro ab initio vix ſenſibilis, cum calore leni, & quaſi occulto ad primum tactum, ſed ſi corpus ægri diutius detineatur tunc aliquo modo manifeſtatur. Interim ſecunda, vel tertia poſt paſtum hora, ſe magis prodit, fitque acrior, & vehementior.

Pulſus fit ſolito frequentior, pavus, durus, anguſtior, debilis.

Succeſſiva fit, & clandeſtina virium proſtratio; corporiſque emaciatio.

In primis caro muſculoſa inter policem, & indicem evaneſcit, deindè adipoſæ, & carnoſæ partes.

Urinæ ab initio ſanarum ſimiles. Vel albæ pellucidæ, tenues, ſi vitium ſtomachi concurrat.

Alvi quoque excrementa cruda, potiùs liquida, copioſa, affecto ventriculo, neque debite concoquente. In progreſſu tunc fit alvi fluor continuus, & coliquativus.

Sudoribus nocturnis moleſtantur, eo tempore, quo membra per ſomnum nutriri ac reſtaurari deberent.

Progrediente jam ad tertium gradum, jam oſſa cute contecta manifeſtantur. Oculi cavi. Tempora collapſa, cutis faciei ſqualida. Pedes tamens cacheticè. Capilli defluunt, areſcente probo ſero alb. nutritio in ſuo fonte.

Calor puſillus in hectica ſolet eſſe, quia ſpiritus calorificus, debilis, languidus non poteſt inſurgere ad validam expulſionem moleſtantium faciendum; ſed veluti bajulus in terram proſtratus, fractis viribus, eadem ſemper ratione ſub onere compreſſus, moveri, ac gemere cogitur; neque onus deponere poteſt.

Æqua igitur ratione ſemper neque ſe magis febricitare ſentiunt; neque niſu facto dolere, aut magis gravari ſentiunt, ſed eodem modo progrediuntur.

Galenus 1. de dif. feb. cap. 9. cauſam incaleſcentiæ a cibo putat eſſe *inovationem dupli ſupra arida membra, exemplo calcis vivæ frigida inovatæ.* ſed hujus rei falſitatem, ſuperiùs deteximus.

Cum caloris augmento a paſtu, fit etiam pulſus in magnitudine, & celeritate augmentum, & quòd notabile eſt, tunc etiam veluti vires augeri perſentiunt ægri per modicum tempus, inſurgente ſpiritu calorifico aliquantùlum ad fermentationem vehementiorem concitandam.

Galenus verò alibi lib. de marcore dicit, quòd in omnibus febribus hecticis, bilioſus ſuccus, amarulentus ſucus, in ventriculo imbibitus eſt, ita ut phogoſis quædam fiat circa ventriculum; quæ poſtmodùm eſt cauſa, ut poſt aſſumptos cibos efferveſcentia concitetur.

Sed hoc non univerſaliter, ſed particulariter in hypocondriacis affectibus conflictatis, contingere conſueviſſe concedimus, qui febri contaleſcunt, ac emaciantur.

Io: Zechius *in* ſuis conſilijs obſervavit, quòd hectici ſemper quidem habent *pulſum parvum frequen-*

ter

tem debilem; sed solumodò duyum àquirunt, postquam abit in rabem.

Idem pariter observavit quòd si quandoque hectica conjungatur cum corporis mollitie, scilicet *cum cachexia, tunc calor a cibo non solet observari.*

A motibus etiam lenibus, alterari, & pulsus frequentior fieri observatur, cum universali incalescentia, ob conatum languentis spiritus, ad motum efficiendum concitati.

Appetitus solet esse prostratus. A pauco cibo se gravari persentiunt.

Somnus fit brevior, quandòque nullus præsicitate.

Tuniculosi solent esse; sed sputo carent.

Sudor fit potissimùm circà cervicem, & pedes, qui etiam intumescere solent.

Calor circà hypocondria primo tactui miti aparet; sed in progressu acer, mordax, aridus manifestatur.

Si jubeantur manus lavare in aqua frigida, deinde tangatur pulsus, arteria sensibiliter calidior, & calore acri persentietur.

Prognostica.

Quia in hectica primi gradus peccat chylus, medici probi, & circumspecti prudentia, adhibitis stomacho auxilijs, & aptis institutis in omnibus sex rebus non naturalibus vivendi ratione, ac longa patientia, tales hectici restitui possunt, qui per malam vivendi normam egrotarunt; secùs bonis visceribus instructi; nam qui ab ortu malè constituti, viscera infirma, malè conformata habent, ne quidem ab Esculapio sanabuntur, & isti dicuntur hectica ventriculi laborare.

In hectica secundi gradus spes dubia est; quia in eo potissimùm consistit, quòd cerebri officina non sit contaminata, atque de cerebro pessima pluvia destillationum assiduò demittatur ad stomachi officinam deturbandam, & ad partes spiritales lacessendas.

Spes igitur posita est, ut dulci, blando, frigido humido sero alb. in cerebro elaborato, attemperetur, diluatur, præservetur a preternaturali assatione cruor in corde, & vasibus sanguineis.

Tunc enim procedit de cerebro probum serum alb. quod est materia fermenti stomachici, a probo verò fermento stomachico coprovenit proba chylificatio, a proba chylificatione dulci butyrosa, provenit dulce blandum serum alb. & sic circulariter procedendo rectè, salus necessariò advenire debet.

In hectica enim tertij gradus, jam labefactato, & corrupto sero alb. nutritio, quod sua blanda frigida humectatione possit corrigere, & attemperare cruorem, possitque chylosim dulcem, aptam diluendæ massæ sang. promovere; tunc desperata salus est, membra enim arescere coguntur sine nutritione. Massaque sang. præternaturalis omninò fieri cogitur; & sic spiritus calorificus, lapsa conjuge massa sang. ad suas cognatas auras evolare compellitur.

A signis igitur primi, secundi, vel terzi gradus jam recensitis, prognostica haberi possunt. Primi enim gradus hectica, sicuti difficilis omninò cognitionis est, ita facilis est sanationis. Tertij verò gradus, e contra, sicuti est facilimæ cognitionis, ita est difficilimæ sanationis. Secundi verò gradus medio modo se habet.

Hectica conjuncta cum alicujus visceris magna labe, ut plurimùm est insanabilis. Vix enim motus perturbatæ massæ sang. fermentationis ad naturalem motum redigi poterit; assiduò ad cor affluentibus a tali viscere impedito excrementitijs, præternaturalibus, fermentativis particulis.

Mulieres multò facilius curantur, quam viri ab hectica, & potissimùm quæ semel peperere, tutæ solent esse ab hectica; quia naturalitèr plurimùm de sero alb. nutritio frigido, humido congregare solent, destinato a natura profetuum nutritione.

Universalitèr hectica, quo magis fuerit proxima rabi, & exiccationi, eo difficultèr curatur.

Hectica putridæ conjuncta, adhùc curatu difficilior est, quam simplex, & ut plurimùm læthalis; quia a labe alicujus depuratorij visceris fieri solet.

Hectica in junioribus faciliùs. In adultis difficiliùs. In senibus nullo modo curatur, quia paucam, & ineptum nutritioni serum alb. generant. E contra verò juniores, quo magis suæ nativitati proximi fuerint, & majorem copiam probi, dulcis, seri alb. congregant, a quo facilitatur sanatio.

Hectica quæ jam deduxit ægrum ad faciem Hippocraticam nari m acutarum, oculorum, concavorum, collapsorum temporum, cum cute attenuata, ossa velante, desperata est.

Quibus si aceedat alvi profluvium, vel lienteria, cruribus intumescentibus; jam mors in foribus est.

Quotiescumque de hectica suspicamur, prudens medicus debet secùm ruminare, tam etiam interrogando investigare, nam possint subesse reliquiæ Celticæ luis. Notavit enim Zac. Lusit. lib. primo praxis med. obs. 124 quod *sepissimè febres longæ æmulantes hecticam ab hac lue proveniunt, quæ hecticæ minimè sunt; ideòque aptis auxilijs curato affectu Gallico, sponte cessant. Pro ut etiam notavit Io: Vigo lib. de morbo gallico.*

Galenus libro primo de dif. feb. hecticam ad tabem jam deductam, *impossibilem curæ esse pronunciavit.*

Hip. lib. 6. epid. *Hominis status* (scilicet spiritus æthereus calorificus) *semper producitur* (restauratur) *usque ad mortem. Si autem efferbuerit, una cum morbo* (scilicet cum massa sang. corrupta) *corpus depascitur, & tabefacit.*

Quibus verbis clarè ostendit spiritum æthereum ignitum esse causam efficientem, massam sang. esse causam materialem, ut corpus de pascatur, & contabescat.

Indicationes curativæ &c.

Primo bilis incerniculum, scilicet hepar ad suum probum, naturalem, non impeditum statum deducatur; ut liberè possit per ductus cholidoros felleum amarulentum, suliginosum liquorem in intestina exonerare. per alvum deyciendum.

Secundo omnibus viribus pena seri alb. nutritij, simul cum pedis equa lympha resarciatur, instruatur. Secùs recta nutritio semper claudicabit, altero pede ex his deficiente, quo rectè incedere possit.

Terzio Aquei, frigidi, humidi liquores in subsidium vocandi sunt, ut cordis, & vasorum sanguis fluor, incendia extinguere, vel moderari possint.

Quarto! Turbatus motus fermentationis massæ sang. spræternaturalis, ad naturalem statum deducendus est.

Quinto Si hectica facta sit, & foveatur a materia sanioſa ulterum a vinis circulando rapta, & ad cor deducta; Ante omnia sanationi ulcerum incumbendum est.

Se-

6. Cruoris conditio fervida, acris, conflagrationi disposita tollenda est refrigerantibus humidis, dulcificantibus, attemperantibus.

7. Aqueisque conflagrationi obsistendum.

8. Spiritus atazia atque excadescentia mitiganda.

9. Motus fermentativus massæ sang. turbatus, & præternaturalis, ad naturalem statum deducendus est.

10. Si qui sunt morbi, vel intemperies, vel impedimenta viscerum, ut suis muneribus vacare non possint, tollendi sunt.

11. Sanguinis acrimonia corrigenda, aqueis spirituosis, dulcibus, acrimoniæ expertibus, diluentibus.

12. Somnus, & quies procurandus est vespertino tempore emulsionibus papaverinis, & opiatis.

13. Caloris excedenti attemperantibus obviam eundum est.

14. Siti molestæ & siccitati, refrigerantibus humidis resistendum erit.

15. Sudor molestus, & noxius cohibendus.

16. Acida errantia, calorem fermentationis fóventia alKalicis absorbenda, atque concentranda sunt.

17. Alimenta quæ exhibentur, massam sang. attemperent, dulcificent; boni succi existentia, & facilis coctionis.

18. Totis viribus optima chylificatio procuranda. Si enim prudens medicus invenerit artem, qua optima chylificatio stomachi promoveri possit, victoriam hecticæ sibi promittere poterit.

19. Difficultas verò consistit in malè affecta massa sang. quæ ex jam dictis est causa, ut male afficiatur stomachus scilicet fermentum ejus pervertatur.

Circulariter enim liquores progrediuntur, ex mala chylosi, mala hematosis, ex hac mala, malum fermentum stomachi, à quo malo, mala chylosis celebratur &c.

20. Siccitas itaque hectica nulla alia ratione arceri poterit, quam procurata apta chylosi, qua mediante attemperari possit massa sang. & hæc attemperata, nutritioni partium solidarum sufficere possit.

21. Causæ interim exiccantes externæ si quæ sint ex. gr æstus aeris animi affectus strepitus, vigiliarum causæ, & consimilia arcenda sunt.

22. Excrementorum proventus inhibendus.

23. Si inter causas hecticæ culpetur aer tenujor montanus isti mutent cælum, atque se conferant in locis planis, humidis palluſtribus crassi aeris.

Vix enim credi potest quantam hos juvet crassa, paludosa aura. Observavi enim Adriæ, Laureti, & paluſtrium locorum incolas, vel advenas hecticos, semiphtisicos, satis comodè prosperaque sanitate frui; dum alii cachetici, hydropici citissimè moriuntur, & ante tempus incolæ.

24. Ventriculo denique super omnia habeatur respectus, quam Hipocrates ducem membrorum appellavit.

25. Ideòque medicamentis purgantibus, nullo modo deturbandus est. Sed morem gerere debemus Cardano, qui libro de malo medendi usu, errore sextimo ait: *Error est in hectica dare medicamenta alvum solventia, licèt etiam syr. ros. vel violarum essent; quia naturam turbant, viscera incalescere faciunt, ac inflammant, sine ulla fruge. Sed tota intentio versari debet, sanguinem arterialem refrigerandi, & humectandi.*

Curatio.

QUia maxima spes sanationis hecticorum consistit in cura lactea; ideò ante omnia de hac sermonem faciemus.

Hipocrates quidem 5. aph. 64. *Lac exhibens iis, qui non multum febricitant, tabescentibus, diuturno tempore febricitantibus, languidis, extenuatis;* adamusim describit hecticorum lacteam indigentiam.

Nam de humoralibus febribus intelligi non potest, quæ omnes a lacte exacerbantur, prout ab initio aphorismi protestatur: *Lac dare capite dolentibus malum, tum & febricitantibus &c.*

In hectica igitur febricula, conveniuut omnes auctores, lac exhibendum esse. Neque obstare debent obstructiones, nam lac siccas, & induratas, pertinaces obstructiones, emolliendo; atque attemperando leniter, tollit, & potissimùm lac asini, quod caseosum non est.

Potest etiam per aliquot dies præmitti lac artificiale, deindè sensim admiscere cum vero lacte, ut sic certifieri possimus, an conducat, vel non.

Lac igitur insigne edulcorans, attemperans massam sang. pluribus intensionibus satisfacere potest, maximamque partem in cura hecticæ habet; sed circà ejus usum hæc observanda.

1. Ne hecticæ adjuncta sit humoralis febris.

2. Ne adsit capitis dolor, vel signa intemperiei.

3. Ne ventriculus scateat excrementis.

4. Ne tensa hypocondria murmurent (ut ait Hipocrates) aut laxo stomacho affecto assiduæ diarheæ vexent, & alui fluores.

5. Eligatur optimum lac, ex animali sano, alimentis optimis saturo.

6. Exhibeatur maturo tempore, scilicet quando adhuc vires stomachi vigent. Nam quandò cum cæteris membris etiam stomachus contabuit, non est ampliùs tempus, ut possit alia membra, & se ipsum restaurare, pereunte jam nutritione.

7. *Impedienda est omni arte coagulatio*, vel corruptio lactis in stomacho, variis pro oportunitate admixtis aquis, vel julapiis, sed potissimùm julep de pomis, quod conficitur, ex pomis in taleobus concisis, & copioso saccaro conspersis in declivi patina &c.

8. Tepidum lac bibendum, vel recens emulctum.

9. Tunc etiam levissimis cibis utendum, & minimè corruptibilibus, ut sunt ex. gr. contusa ex carnibus viperarum, vel testudinum, ranarum, gammarorum, limacium &c. optimè diluta.

10. Benè attentus observet medicus an æger benè tolleret lactis usum; incipiendo ab unciis tribus, vel quatuor, ascendendo semper ad bonam tollerantiam; Quæ cognoscitur si sine eructationibus, sine torminibus, vel molestiis concoquatur; sine pondere, singultu, vel vomitu. Neque calor, neque pulsus intendatur, neque sitis urgeat.

11. Post assumptum lac, non debet æger dormire, neque validas commotiones facere.

12. Si calor febrilis urgere videatur, tutiùs est potiùs quam sincerum, adhibere aqueis admiscere.

13. Lac humanum cæteris procul dubio prerendum est, quod ex massa sugatur. Magis verò asinino nutrit. Summatur singula quarta, ad summam quinta hora, & ante quam mamam sugat, coclearum syrupi ex floribus papaveris summatur.

14. Et quia lac parum societate aliorum alimentorum gaudet, melius esset, ut solo lacte contentus æger esset, vel panatella ex lacte, butyro, saccaro, & similibus. Vel ad summum luteum ovi cum saccaro in jusculo dissolutum exhiberi potest, abstinendo a carnibus; & aliis quæ tardiorem digestionem expostulant.

15. Luteum verò ovi citissimè digeritur, & sine ullo labore stomachi, quia natura constituit illud, loco lactis, pro alimonia omnium recenter natorum pullorum, & volucrium, quare omnes habet conditiones lactis.

15. Quibus lac non confert exhibeantur panatellæ vel oriza, vel ptisana cum lacte artificiali, scilicet emulsione amygdalarum, nucleorum pineorum, seminum melonrum &c. cum perlis, vel matre perlarum.

16. Pro recto usu humani lactis; non sufficit pro juvene ægrotante una nutrix; sed duo debent esse. Vel asinino, aut caprino lacte, indigentiæ supplere debemus.

17. In hypocondriacis, vel inflammatis visceribus usum lactis quandoque intermittere cogimur, nempè ex observantes quod celeriter non effluit a ventriculo, sed retardatur, & diutiùs in ventriculo hærens (more lactis in sole) alteratur corrumpitur, in partes secedit, facit caseationes, concipit acredinem acetosam, & fluitans in ventriculo, varias molestias parit.

Debet igitur citissimè effluere a ventriculo, quia vix indiget ulla concoctione, nam jam concoctum fuit in alterius animalis ventriculo, titulo chyli.

18. Si lac asinæ sit, incipere possumus ab onz. v. usque ad onz. x. sensim progrediendo, admixto cocleare uno saccari fini, vel julep die pomis &c. quinque horis ante alium cibum, per 40. dies.

18. Neque obstare debent obstructiones; nam veteres, & Aetius tetrab. 20. serm. 1. cap. 84. *lacte asinino utitur ad tophos tollendos*; neque enim caseosam, nec butyrosam substantiam habet; sed serosam, quare obstructiones augere non potest.

19. Difficultas solumodò versatur circà stomachũ nidorosum, vel circà ejus siccam intemperiem calidam tollendam; quare omnes artes tentandæ sunt, ut ad aliquam bonam temperiem deducatur, balneis fomentis, inunctionibus, & aliis externis tum internis; quibus mediocris intemperies sanari quidem poterit, non autem magna, atque inveterata.

20. Beneficia autem, quæ a lacte emanere possunt plurima sunt; nam acrimoniam, mordacitatem intemperatæ massæ sang. dulcificare, moderari, atque attemperare valet, cruorem ab adustione præservare, succos nutritios nutritioni ineptos corrigere, & nutriendis membris aptos efficere.

Ita ut si citissimè præterlabatur incorruptus a stomacho, victoriam hecticæ polliceri possimus. Nihil enim aliud est lac, nisi chylus optimè præparatus, a probo, & forti stomacho animalis sanis confectus; (prout in inst. med. ref. jam exaravimus) quare lapsam nutritionem restituere, & motum fermentativum massæ sang. præternaturalem, ad naturalem statum deducere valet.

21. Lacti verò (si fieri possit) addatur balneum aquæ dulcis, moderatè calidum, in quo æger maneat primò modicum, in progressu ad duas, vel etiam tres horas (post assumptum lac) donec fermè sponte balneum refrigeretur.

22. Quod si balneum, ex decocto emolliente paretur melius erit, hordeo, branca ursina, malva rad. althææ, furfuribus in sacculo positis. Vel etiam lacte, aut sero lactis.

Sed tempore æstivo quo confectores theriacæ ebulliunt viperas, tale decoctum cæteris anteponendum est vel hyeme paretur ex anguillis,

23. A balneo egressus, linteis mollibus calidiusculis detergatur, inungatur oleo viperino seu viperarum pinguedine, vel absungia caponis vel gallinarum recenti, mixto unguento florum aurantiorum. Vel ol. amygdalarum.

24. Aliis magis placet post tres horas, ab assumpto cibo, ut ingrediantur balneum; in quibus expectatur copiosa nutritio membrorum; & utantur cibis, & non lacte solo, in hectica secundi gradus, & leviori.

25. Zacut. Lusit. lib. 3. praxis hist. obs. 35. *hecticam balneo parato ex aqua, & oleo sanavit.*

26. Sequenti observat. 36. *Hecticam vario ranarum usu curavit intrà tres menses*, scilicet paravit aquam stillatitiam, vel ex eis decoctum, manè bibendum cum syr. violarum, vel florum papav. errat. Exhibuit coctas cum salsamentis ex. gr. æstate cum agresta. Tum jusculà ex ranarum carnibus contusis, & expressis, saccaro, cinnamomo, aqua rosarum adulcorata, & præparata. Balneum ex decocto ranarum, & post balneum oleo ranarum pro inunctione utendo.

27. Balneum quod mirificè resistit siccitati membrorum, paretur ex lacte, & dimidia parte decocti emollientis, vel decocti capitum castrati, cum intestinis ejusdem castrati.

Per hæc balnea igitur sperare possumus, quòd præ ingenti siccitate coniventes viæ laxentur, deturque ingressus nutritivis succis, per lacteam dietam dulcificatis, corrugati cutis meatus atque porositates constipatæ, & obstructæ laxentur, & icorositatibus volatilibus, tum fumositatibus febrilibus fenestras aperiant, ut deindè etiam spiritum ethereum Vitæ restauratorem admittant.

28. Raim. Ianf. Cent. 3. obs. 76. ait: Ventriculo hecticorum emplastrum a me pluries expertum fiat, *ex menta viridi contusa, formento benè salito, pulvere mastich, & rosarum, subacta cum vino malvatico.*

29. In hectica, cum phlogosi ventriculi, siticulosa, Galenus lib. de marcore utebatur exteriùs *Omphacio, succo portulacæ, farina frumenti facto emplastro, quod nive refrigeratum imponebat duplicato linteo hypocondriis, donèc tepesceret; tunc enim aliud substituebat; donec æger inprofundo refrigeratum se esse sentiret.* Sic enim a siti liberabantur ægri, & eorum stomachus benè digerebat.

Observabat enim Galenus 3. de natur. facult. quod *modicus debet esse calor, pro chylosi apta conficienda*; & stultum esse credere, quod Etnea fucina ventri subiicienda esset. Hinc est quod calor febrilis, tantùm abest, ut sit digestionibus stomachi proportionatus, ut hecticis, imò febricitantibus omnibus exitialis sit.

30. Dum corpus valdè emaciatum est, & exangue, balneum debet esse vix tepidum. Neque diutiùs in balneo æger detineatur; secùs ejus cutis nimis laxabitur, vires & corpus dissolventur, cum periculo animi deliquiit.

Pro his igitur tutiora sunt fomenta portulacæ, sempervivi plantaginis cum sale saturni supra regionem stomachi per horam unam ante prandium facta.

Tum ressumptivæ inunctiones, ex pinguedinibus ex. gr. viperarum, anguillæ ranarum, &c.

Dit-

Dietetici canones pro hecticis.

Raim. danf. cent. tertia cap. 80. meus præceptor etiam oretenùs mihi dicere ſolitus, quod *magis profeciſſet in ſanandis ægris per optimam inſtitutam vivendi normam, quam per medicamenta; & quod nullus daretur affectus diuturnus ſanabilis, qui congrua victus ratione non ſanaretur;* ideòque ſe plurimos magni nominis ægros hecticos, tabidos, vel deſperatos hippocondriacos ſola victus ratione, & paucis alijs adhibitis ſe ſanaſſe gloriabatur.

Vobis igitur tedio non ſit longa inſtituta vivendi ratio, a nobis hoc loco recenſita: dum ſola poteſt eſſe tantæ efficaciæ, ut hecticos, tabidos reſtituere poſſit.

Aeris itaque ſalutares conditiones pro hecticis alibi diximus, potiùs debere eſſe aeris craſſi, frigidi humidi paluſtris, quam tenuis, montani, calidi.

Meaque longa experientia obſervavi, in locis palluſtribus Adriæ, Tum Clanfurthi a proximo lacu, ſeu potiùs lutuoſa magna pallude aerem infectum, non ſolum abeſſe hæcticis, tabeſcentibus, & conſimilibus; ſed eis prodeſſe, & vitam diutiùs prorogare.

Aliqui patres Ieſuitæ præſtudijs hectici, tabeſcentes, qui ab aura Clanfurthi veluti prava diſcedere volebant, meis monitis confortati, ſatis commoda ſanitate gaviſi ſunt per annos, deindè aura mutata vix paucis menſibus durare potuerunt.

Aer igitur pro his ad frigidum, & humidum inclinare debet. Mutatio autem aeris, & peregrinatio maximè his conducet; navigatio præcipuè, apparata copia pullorum, & aliorum commoditatum.

Galenus lib. 10. meth. cap. 8. *Egros hecticos collocat in loco ſubterraneo, nitroſo.* Ad cuius exemplar nos conclavis pavimentum nitro, & aqua gelida, vel etiam glacie conſpergemus. Vel glaciem nivemque conſperſam ſalenitro, & marino in magnis vaſibus propè ægrum æſtivo tempore conſtituemus.

Sic enim cor, & partes ſpiritales invenient nitroſum refrigerium, quo carentes æſtate (præ nitri in aere inopia) languidi, veluti febricitamus, dum in maiori copia aſſatur cruor, & emaciatio in nobis increſcit.

Sic experientia obſervamus, quod in locis æſtuoſis Italiæ ex. gr. Neapolis rara ſunt corpora pingua; nam potiùs macilenta ſunt. E contra in locis frigidis nevoſis, ex. gr. in Germania corpora potiùs eſſe pinguia, quam macilenta videmus.

Æſtivo tempore eligant cubiculum, ventis aquilonaribus frigidis perſpiratum; quo ſolo auxilio Riverius hecticum, *macie confectum, ſe vidiſſe reſtitutum fatetur.*

Copiam florum roſarum, ebuli, liliorum, &c. cum folijs vitis, ſalicis, &c. aqua frigida conſperſis in pavimento aerem frigidiuſculum alterare poſſunt æſtate.

Vel hyeme ebulliat in olulis aqua roſarum, cum aurantio undiq; cinamomo, & gariophillis confoſſo.

Animi motus vehementes omninò vitentur; in potiſſimum, & mæror; ſed animus in pace tranquilla degat, cum lætis amicis converſationem querendo.

Somnus ſit conſueto longior; quies etiam corporis longa imperanda.

Si tamen fieri poſſet bonum eſſet levis aliqua ante prandium ambulatio, vel ſcalarum aſcenſus, aut leve aliquod exercitium, vel rheda vehi. Mox hora una a cibo decumbere.

Iterum ante cænam leve exercitium. Sic enim ſpiritus vegetior fit, ut indè coctiones, & excretiones validiùs moliri poſſit; membra vero magis apta fiunt ſuſcipiendis nutrimentis.

Veſperi omni induſtria ſomnus concilietur (& potiſſimùm noctibus æſtivis irrequietis exhibitis poſt cænam papaverinis emulſionibus, vel lacte amygdalarum cum ſyrupo ex floribus papaveris erratici, vel etiam grano laudani.

Sudantibus verò nocte lintea, ſubuculæ mutentur, & aqua roſacea irrorentur, ac pulvere roſarum.

Somnus autem diuturnior, ſpiritus calorifici diſſipationem arcet, cerebro robur conciliat, ut coctioni ſeri alb. vacare poſſit. Corporis laſſitudines procurata nutritione tollit; humectat, impinguat; curas animi arcet. Ideòque opiatis procuretur.

Pro illis qui exerceri non poſſunt, fiant frequentes leves frictiones cum oleo amygdalarum mixto cum vino malvatico, ad promovendos nutritios ſuccos ad membra.

In cunis etiam fieri poſſunt aptæ corporis comotiones, ad ſomnum, & quietem invitantes.

Somnum paritèr mirabilitèr conciliat panis martius, ſeu paſta regalis, parata ex amygdalis, ſeminibus papaveris albi, & iuſquiami, cum ſaccaro duplicato; ex qua etiam diſſoluta fieri poteſt emulſio.

Aluus pigra, ſolis lacteis cliſteribus, ac luteis ovorum butiroque ſollicitetur. Frigida etiam imponantur.

Alimenta verò ſelectiora, quæ hæcticis inſervire poſſunt, iuxtà indigentiam variorum ægrorum ſunt.

Pro primis gradibus hæcticæ, adhùc firmo ſtomacho exiſtente carnes ex pullis galinarum, vel etiam columbarum, & eorum iuſcula, caro vituli, vernicis, ſeu agni aniculi, quæ alterata acetoſa, portulaca, pimpinella, & ſimilibus, iuſcula aptiora fiunt.

Pro his etiam paſtæ Apuliæ, & ædulia frumentacia, in pauca quantitate accomodari poſſunt.

Ova ſorbilia. Lutea ovorum præcipuè inſervient.

Cremor hordei cocti in lacte, vel avena, vel milio, &c.

Lacte amygdalarum apparatæ panatelle, vel oriza.

Alijſque centum ferculis electiſſimis pro his, amplum menſam inſtructam in noſtra appendice p. de conſ. valet. conſtituimus. Tùm penès offellarios. Confectarios, & alios, &c.

Contuſa ex optimis carnibus perdicum, & faſianorum, pro ſummis viris, ex quibus etiam reſtaura. Vel iuſcula conſumata. Vel prælo expreſſa ſucci.

Gelatinæ paratæ ex carne hedi, vituli, vel pullorum, prælo poſt coctionem aſſam, vel elixam expreſſa.

Oſtreorum album in pauca quantitate nullis valdè nutrientibus cedit, hecticis accommodatiſſimum, butyro ſaccaro, & ſucco limonum.

Sed teſtudines præcipue varijs rationibus præparari poſſunt, quia alKalino ſucco turgidæ, non habent par auxilium ad aſſationem cruoris avertendam.

Contuſa ex gammaris, ranis, cocleis celebrātur, &c.

Ex fructibus concedantur poma apia cocta. Paſſulæ longæ. Prunorum variæ ſpecies. Verdacia. Amarenæ. Viſciolæ. Perſica cocta. Pira, & ſimilia; ſed in pauca quantitate.

Potiùs hyemales fructus ſicci dabunt aptiora alimenta, amijgdalæ, nuclei pinei, piſtachia, &c.

Ex quibus paſta regalis, ſeu marciapani parari poteſt, cum ſexta parte carnis viperarum, vel ſaltem aſſatari anguillarum, vel teſtudinum elixatarum, & in clibano, &c.

Super cætera enim de dulcificatione massæ sang eogitandũ est, per aptũ chylum al Kalinũ, quod haberi potest ex viperis, anguillis, testudinibus, & consimilibus, ex quibus iuscula, morselli parentur, &c. tum horum succo expresso, loco lactis utor ad conficiendum nobilem rosadinam Italicè dictam, solis admixtis ovis, & modico saccaro lento igne miscendo.

Galenus *lib.* 8 meth. iubet, ut hectici abstineant a dulcibus, ex. gr. melle, saccaro, hæc enim exasperare calorem febrilem dicit. Sed intelligendus est de dulcibus sinceris, & copiosis, & non de dilutis dulcibus ad gratum saporem.

Inter alimenta sanguinis massam edulcorantia, boni succi, facilis coctionis, febrili calori adversa sua frigida humectatione; stomacho non admodũ laxo, sed potiùs sicco, concedũtur pisces bonæ notæ, ut sunt saxatiles, sed potissimũ passerculi lactei marini, oleo amygdalarum, & succo aurantiorum conditi.

Vel ranæ cum agresta, aut lucius, &c.

Tũ gelatinæ variæ ex piscibus optimæ notæ, vel ex anguillis, aut serpentum carnibus parari possunt.

Vel ex extremitatibus animalium, aut expressiones, ex eis, facta semper aromatizatione, paucò saccaro, cinamomo, aqua rosarũ, vel florum aurãtiorũ.

Pro firmioribus stomachis; sed plurimo nutrimento indigentibus lasaneæ, recenti butyro natantes in modica quantitate concedi possunt.

Sed multò magis lasaneę a me dictæ papales; quia fuit nostrorum temporũ Pontifex, qui mortuo coquo conquerebatur cum subsequente, quòd ei nunquã apponeret lasaneas. Cui respondit Beatissime pater, decipiebaris ab altero coquo; nam erant pelles caponum. Vade, dixit Pontifex, et tibi do indulgentiam, ut eodem modo, me decipere possis.

Ferculum Saxoniæ satis usitatum est in hecticis. Fit verò ex farina hordei subacta, cum saccaro, & china in clibano cocta; ex quo deindè parantur præstantissimæ panatellæ, pro hecticis potissimùm, a distillationibus capitis conflictatis.

Observatum quoque est chinam curare hecticam puerorum potissimùm ab infectis lue celtica parentibus ortorum, dumodò hectica non proveniat a ventriculo malè ab ortu conformato,

Pulli gallinacei nutriti ex viperis, vel saltèm carne anguillarũ, ranarum, gamarorum, coclearũ, &c. plurimùm ab auctoribus commendatur, factis morsellis cum pane contrito, & impinguatis pullis.

Nisi hecticorum febris urgeat, neque ventriculus valdè æstuet, ptisana Hippocratica non exibeatur, sua etenim vi detersoria, efficitut inconcocta, alia alimenta ante debitũ tempus a ventriculo elabãtur.

Quare potiùs pasta Apulia pro his commendabilis, est, cum ovi luteis in eodem iusculo dissolutis, vel oriza in lacte cocta, in fine admixtis duobus ovi luteis

Sed quæ a me sumoperè commendatur etiam in alijs morbis est alba subalaris caro, seu pulpa pullorum, quæ contusa, dissoluta in iusculo constituit albissimam emulsionem edulcorandã, arromatizandã, quæ inservire sola potest pro cibo, & potu vel pro zuppa nobili cum pane, vel pro panatellis, vel oriza, admiscenda, aut alia quacumque ratione loco lactis, ad faciendas rosatinas, cum ovo, & saccaro.

Grana interim tria mastiches, laxo ventriculo hora una ante cibum robur conciliabunt.

Testes animalium, inter cætera alimenta plurimùm nutrientia numerentur; tùm animalium cerebra hecticis accommodantur, sed parce sumpta.

Quia ventriculus valdè aromaticis gaudet, possunt uti rotulis partis oleo cinamomi, vel guttulis aquæ cinamomi, vel essentia citri, aqua florum aurantiorum, &c. & his fercula aromatizari.

Potiones fræquentiores sint lac amygdalarum, pineorum seminum papaveris, cum mica panis, tactis emulsionibus.

Æstate ex amarenis, visciolis, & fructibus potiunculæ in pauca dosi admitti possunt.

Alijs temporibus, absente catharali distillatione magnis viris placet exibere vina dulcia, de nulla aciditate occulta omninò suspecta, potentia tamen; sed multa aqua, vel decocto diluta, perlis, vel oculis cancrorum admixtis, ut omnis timor acidi removeatur; taliaque sunt vina navigata Græciæ, vel Hispaniæ.

Ipse tamen securiori consilio ægris meis suadeo Vernaciam, vel Garganicum, quæ sunt duo vina alba præstantissima dulcia, meæ Patriæ Veronæ peculiaria, emulantia Romana, & Florentina vina dulcia, sed tenuitate meliora, non cocta, sed fermentata, ideò celerimè per urinæ vias dejciuntur, neque caput ebrietate, neque pedes tenuitate ferientia.

Ideò cęli nectar, Ambrosia, mana terrestris paradisi (quæ sunt propè Benacum amena loci Lombardiæ in quibus nascitur) a Germanis in hospitio duarum turrium susceptis, magna ratione sepiùs proclamata potio fuit;

Est enim delicatissima, tenuis veluti aqua, saccaro, & aromatibus mixta seu iulep, vel elixir aromaticum. Qua usus sum in morbis ab acido morboso factis (ex gr. hypocondriacis) in quibus vinum concedendum non est; sed garganicum aqua dilutum, pro iulapio inservire optimè novi, præ sua non inflammabili tenuitate;

Nam ex vinis navigatis scio quod potentiva aceta habentur; ex garganico non est possibile, ut acetum haberi possit, sed inveterascens, vel æstivo tempore incalescens in loco calido, aquirit acorem quidem aliquem, sed gratum, & potulentum, æstuantibus, & sitientibus accomodatum.

Calorem, & sitim hecticorum quoque attemperant, ac moderantur aquea ex. gr. Iulep limonum, citri, aurantiorum, granatorum, rhibes & consimilium, cum aquis acetosæ, pimpinellę, & alijs, &c.

Ego accipio bonam quantitatem limonum, citri, aurantiorum, pomorum, rhibes, granatorum, visciolarum, & aliorum selectorum fructuum ex gr. armelinorum, persicorum, atque in tal. olas concita hæc sola vel mixta ponantur inter duos catinos clausa, plurimo saccaro conspersa, prona super tertium recipiens cantinum, nam intrà pauca momenta, in plurima quantitate diffluet iulapium, quo gratiùs vix haberi poterit, quod sincerum, vel dilutum adhiberi, & multis usibus inservire poterit.

Et quod si rubrum expectatur pro destillationibus capitis aptum, sandalorum rubrorum, vel ligni brasiliani scobes admiscatur, cum floribus papaveris erratici, antedicti fructus, & defluet rubicundum nobile iulapium.

Vel pro nauseabundo ægro, apotecharum nobilia quoque medicamenta accipere renuente; cum sua magna animi oblectatione parari poterit extemporanæa potio in conspectu suo sine igne, acceptis duobus pugillis florum papaveris erratici exiccator, in boccia una aquæ fontis, in qua instillentur aliquot guttulæ succi limonis, nam intra horæ quadrantem, tinctura vinosa elicietur rubicunda, quæ ad libitum antedicto iulapio fructuum, vel saccaro edulcorari potest.

Potum adhuc gratissimum præstant sine igne, post 24. horas passulæ contusæ (cum granis iuniperi) lib 1. & modico succo liquiritiæ densato, in sacculo

posita

positæ cum onz. 1. cinerum simplicium cephalicorum, vel lignorum. Pro capacitate vasis lignei, qui solet esse decem mensurarum, ut inserviat saltem per duas hebdomadas.

Alia multa gratissima potulenta descripta reperies in mea appendice p. de cons. valet. Ex quibus pro oportunitate apitiora eligi poterunt.

Interim pro hecticis simplicia quæ magis accomodata sunt, radix chinæ: Viscum quercinum est. tum santula. Rasura cranij humani in casu destillationum. Rasura eboris pro stomacho infirmo. Canfura. Papaver erraticum. Opium. Oleum amygdalarũ dulcium. Vel ex seminibus papaveris expræssum.

Saturnina auxilia, tam in usu, externo, quam interno, & potissimum sal saturni, vel tinctura.

Canfurata pariter omnia. Tum nitrata; sal enim prunellæ ignem ipsum extinguere valet.

Antihecticum Poterij pro ominibus sufficere potest, atq; ad sui normam magistralia antihectica pro varia oportunitate concinari poterunt a nobis.

Sal armoniacum solum, vel mixtum cum antihectico Poterij, vel cum cons. rosarum, cum stibio diaphoretico, impeditis visceribus inservire potest.

Tinctura antiphisica parata ex floribus papaveri erratici, oculis cancri, perlis vel matre perlarũ, in alkol. deductis. Sumitatibus hypeconis, floribus rosarum.

Potus theæ paratus cum lacte.

Cicoracem. Lactuca portulaca, &c.

Si hectica coniungatur cum alio morbo, qui potissimum præcesserit hecticam; ante cætera morbo illo sanando intenti erimus.

Si adsit phtisis, observavit Tachenicus in suo Hip. chimico, quod Paracelsus hos sanavit *per Alkalia herbarum vulnerariarum*, sicenim acidum præternaturale fermentum mortificatur, tollitur, & ulcera pulmonum hecticum inducentia sanantur.

Si de reliquijs gallicis suspicio sit, mercurius dulcis unicus horum sanator existit. Bona fideteſtari possum me aliquos hecticos tabescentes sanasse apta exhibitione mercurij; & inveni quod non est par auxilium, pro tollendis catharalibus fluxionibus horum malorum causis; glandulæ enim depuratoriæ seri alb. mira ratione deobstruentur, aperientur, & sic serum alb. cum massa sang. dulcificari dicetur.

Si itaq; catharalis destillatio hecticos vexet, assiduo pro potum ordinario decocto chinæ utantur, cum passulis, & guttula una, vel altera essentiæ citri, vel lavendulæ, vel ligna rhodij aromatizetur.

Tunc etiam semper chinæ frustula cum carnibus, vel alijs cibis incoquantur. Sic enim suspicio luis arreri poterit, quæ ferè semper occulta est.

Si adsit alui fluor, ignitis globulis ex bolo armeno, vel saltem tegulis, in lacte sepiùs extinctis, tali lacte utantur. Vel hac coquatur ad tertias.

Si hectica coniungatur cum putrida, curetur putrida, seu humoralis consuetis auxilijs, &c. exhibita etiam china febrifuga, sed aluum solventibus mercurialibus præmissis. Vel mercurio diaphoretico Paracelsi; constantibus viribus. Secùs hecticis purgationes omnes sunt adversæ.

Si molestus, & perniciosus sudor vexet, exibeatur tinctura ex vitriolo, Marte, & Saturno quæ tinctura antiphtisica dicitur.

Tù exhibeantur alkalica leniter incrassantia, boli prestantiores, Terra virgo mutinensis, quæ è levissima super omnis terras, & bolos, & elijcitur ex alveo aquæ noceræ, per modum tincturæ præcipitatæ.

In hunc quoque usum valebunt corallia quocumq; modo. Tùm gelatinæ ex cydonijs paratæ, robberberis, sambuci, &c.

Si ex phtisi arguatur in hectica acredinem in massa sag. esse attemperandam, utemur balsamicis sulphureis. ex. gr. Balsamo verò, vel Peruano, balsamo sulphuris terebenthinato. Conserva rosarũ antiqua, vel eius tinctura, guttulis spiritus vitrioli elicita. Vel conserva florum papaveris errat. aut eius tinctura in sua aqua elijcita.

Si summa Ventriculi imbecillitas adsit, cum ingenti innappetentia. Ros vitrioli (scilicet aqua seu spiritus ille acidulus qui primus ex retorta destillat ante verum spiritum acidum vitrioli) singulo mane, circa auroram, cum decocto chinæ erit solemne auxilium Bellini.

Si caput roborandum sit, per quindecim dies instituatur stillicidium capitis, cum aquis thermalibus sulphureis, vitriolatis. Vel arte paratis, decoctis cum vino ex cephalicis, & salibus, vitriolo albo, &c. Tum durmituris noctu exibeatur conserva florum papaveris cum guttulis olei succini.

Si urina movenda sit ac dulcisicanda cancri cocti, mundati, contusi, coquantur in lacte, & cum oculis cancri optimè præparatis, per linteum exprimantur, & saccaro dulcificentur, &c.

Si scabie laboret hecticus, venter pulli repleatur radice chinæ, salsæ, pane contricto, & ovis, fiantque brodia consumata, quibus manè utatur æger instillatis guttulis quinq; balsami sulphuris.

Si cita refectione, ac nntritione ægri indigere videantur ℞. pulpæ nucis indicæ onz. VI. satirionum, stincorũ, marinorum nucliorũ, pineorũ, pistachiorũ seminũ melonũ mũdatorũ onz. 1. saccari verò tertiã partem omnium, quæ mixta, contusa efformentur in morsellos, in clibano lenitèr coquendos qui cum cibis in prandio sumantur vel etiam in aurorà cum iusculo, ab egris in p. gradu.

Si hectica producatur, & foveatur a materia sanioſa ulcerum, vel fistularum, horum sanationi ante omnia incumbendum est.

Appropriata ergo medicamẽta interna his, & consolidantia erunt, balsamum sulphuris anisatum.

Tu omnia ex antimonio fixiora præparata medicamenta, quæ neque vomitum, neque sedem moveant, ex gr. tinctura antimonij oleo fixo nitri præparata. Decocta vulneraria cum balsamo sulphuris.

Bezoar minerale, solare, lunare, ioviale. Stybium diaphoreticum. Decantatum antihecticum Poterij, ob eximiam vim concentrandi acidum.

Quibus tamen in hoc opere nihil cedunt oculi cancri, margaritæ facto opiato cocleatim sumendo singulis horis.

Si labes pulmonum aliqua cum hectica coniungatur, empiricus quidam *Venetijs* mihi enumeravit multos quos sanaverat, sola aqua parata ex tota planta gentianellæ, ad onz. v. singulo die exhibita summo mane.

Si iam hectica ad tertium gradum devenerit, ab amico medico pro secreto accepi lac coctum cum carne anguillæ assatæ, quo deindè diluantur panatellæ.

Si progressus hecticæ ad siccitatem, & talem inhibendus sit, seminum papaveris usus freqnentetur, constat enim certa, & infallibili experientia ad impinguandum ultrà omnem fidem conducere, & copiam ingentem assiduò, sine noxa adhiberi posse.

Testes sint Tirolenses Germani, qui pro delicijs ad impinguandum utuntur pulmentis ex seminibus copiosis papaveris paratis, appellatis *cossoni*, cum certo fructu, & sine noxa.

Si balneo utendum sit, præferatur serum lactis multo nitro admixto, atq; eligantur horæ pomeridianæ quatuor horis a cibo, primo per mediam horam, mox augendo singulis diebus etiam ad tres horas.

LIBRI TERTII

De Febribus Humoralibus dictis.

De Quotidiana, Tertiana, Quartana, & aliis vario paroxismo ingruentibus Intermittentibus vel continuis.

DE FEBRI TERTIANA.

Caput Primum.

PRæcipua considerabilia in febribus, iam considerata sunt antecedentèr lib. p. de febribus genericè loquendo, quamobrem hoc loco pauca restant peculiaria, de peculiaribus febribus exaranda, & potiùs per modum problematum, vel observationum peculiarium celeri pede percurrentur.

Problema igitur curiosa studiosorum investigatione dignũ est cur febris tertiana de tertio in tertiũ diẽ quartana verò de quarto in quartum aggrediatur.

Pro his enim tricis solvendis, plurima metaphijsica excogitata fuere, tam a neotericis, quam a veteribus quæ seriò examinata, nullam habere phijsicam & ostensibilem veritatem, tandèm reperta sunt.

Nos autem suprà sensata, & certa principia, solutionem problematis, more nostro, ac principijs nostris facili, ac plana ratione fundabimus.

Certa namque res est (a nobis in instit. med. rect. satis illustrata) quòd massa sang. ex duobus succis alimentalibus constat; quibus duo paritèr excrementa correspondent; & quod in duabus præstantissimis corporis officinis celebrantur, scilicet in corde, & cerebro.

Horum igitur alter, appellatur a nobis cruor, qui destinatus est a natura pro nutritione partium carnosarum rubrarum. Alter (nostrum inventum cum collega X. Hijè ronimo Barbato) appellatur serum albugineum, quod a natura destinatum est, nutritioni partium spermaticarũ albarum, album existens.

Excrementum itaque cruoris est bilis, fuliginosa amara cuius incerniculum est hepar, & in eius folliculo iam relegata, dicitur fel.

Excrementum seri alb. est veluti quædam aqua acida incrassata, cuius præcipuum incerniculum est lien, deindè pancreas (quod erga lienem se habet, veluti folliculus fellis erga hepar) tum cæteræ glandulæ abdominis, atque exercitur circà intestinum duodenum, titulo succi pancreatici.

Officinæ itaque in quibus celebratur felleus succus amarus est cor, quod per suum igneum calorem assi. duò vertit partes tenuiores, & magis inflammabiles cruoris, in quandam fuliginem amaricantem, flavam, omninò analogam fuligini ignis culinarij; quia amaricat, & si disolvatur in aqua, flavedinem suam manifestat.

Altera officina, in qua celebratur ille aqueus frigidus acidus, incrassatus succus, est cerebrum, talisq; succus est vera pituita Hippocratica, nempè est excrementum concoctionis seri alb. quod elaboratur in cerebro, dulce, nutritium, deferendum cum lijmpha pedissequa per nervos, ad irrigandas, & nutriendas universas partes spermaticas albas.

Positis igitur istis verissimis, & irrefragabilibus principijs, ac fundamentis; Ecce cur tertiana de tertio in tertium diem accedat, nempè citiùs quam quarrana rationibus quidem plurimis; sedduabus potissimum:

Altera est, quia bilis tenuis, calidus, mobilis humor est, qui multo faciliùs a suo foco dimovetur, quam frigidum, aqueum, acidum, incrassatum excrementum cerebri, pigrum, tardigradum, difficultèr mobile a sua sede.

Altera adhuc ratio se tenet, ex parte moventis spirttus (& non ex parte insentiatorum humorum, quibus sensum, & motum dedere nostri præcessores) qui molestantem bilem extrà sua claustra hepatis, & intestinorum, non potest diù tollerare; sed ab ea irritatus spiritus, concitat dolores, inflammationes, febres, annitens talem molestiam expelere.

Sed quandò agitur de pituita, quæ veluti naturæ familiaris, nobiscum oritur, & moritur, mitis, frigidus succus existens, sine molestia, sine irritatione, spiritus in pace ubiq; ipsum vagari permittit, in interstititijs musculorum, artuum, & in visceribus singulis, &c.

Et nisi copia excedens spiritum aggravet, vel malam præternaturalem qualitatem, vel acorem concipiat per stagnationem, & moram, non insurgit spiritus ad eius expulsionem.

Suprà quæ certa principia, ac fundamenta, non solumodò doctrinam de febribus, sed universam nostram praxim medicam, & chijrurgiam stabilivimus.

Non mirum sit ergo, si tertia febris citiùs invadat, & citius etiam recedat, commota, & expulsabile quarta autem tardiùs, & quarta tantumodò die accedat, tardiusque pariter recedat, tardigrada, lentè expulsa.

Sed curiosior instabit: Cur præcisо tempore, & hora, tertiana, vel quartana ingruit? R. secundum nostra principia in phyficis libris exarata, quod motuum omnium auctor primarius (præter Deum) & promotor est spiritus seu influxus cælestis, seu celum, a cuius motibus, configurationibus ac mensuris, universarum creaturarum sublunarium mensuræ motuum dependent.

Sic generatio liquorum in nostro corpore, naturalem quandam, & certam mensuram, & modum desuper stabilita est; secùs sine statura mensura in immensum excrescere possemus. Ideò illis quoque est stabilita mensura temporis expulsionis.

Hoc clarè patet in menstruorum, commensurato tempore expulsionis, iuxta mensurarum motum lunæ in fœminis. Vel hemorrhoidum, vel hemorrhagiæ narium in aliquibus viris. In spermate per somnum statutis temporibus in aliquibus castis viris excretio.

Sic aluinæ fæces in sobriè, & temperantèr viventibus, manè singulo post commensuratum somnum nocturnum, ad consuetum exitum, hora præcisa stimu-

ſtimulant.

Sic urina inregulatè viventibus, ſuæque vitæ tempora, rectè, & commenſuratis actionibus diſponentibus (ut ſunt Clauſtrales) horis ſtatutis urinam procedere ſolet.

Ita ut aliqui non inſulsè in opinionem venerint, quòd corpus noſtrum, nihil aliud ſit, quam vivens automa; ſeu horologium portatile; quod mecanica ratione pulſat in varijs locis, ac movetur, pluribus indicibus, monſtrans menſes, dies, horas, lunæ, ſolis, motus temporis, & aſtrorum datas menſuras, &c.

Motus igitur generationis, & excretionis univerſorum excrementorum noſtrorum, ſuas temporis ſtatutas menſuras habent; quæ non prætereunt; niſi a cauſis procatharticis deturbentur.

Et hoc eſt præcipuum fundamentum libri noſtri de conſ. valetudine, & ſenio retardando; poſtquam oſtendimus ſingulis ſpeciebus animalium commenſurata eſſe tempora ſuæ generationis, conformationis in utero, exitus in lucem; nec non terminum vitæ.

Non minùs ac in homine; cui præcisè novem menſes conformationis in utero ſtatuti ſunt, ſeptimus annus dentitioni decimus quartus pubertati, & ſic nobis, & animalibus ſingulis, ætates breviores magis, vel minus ab aſtris commenſuratæ ſunt; quæ omnia, apologia noſtra aſtrologiæ in graciam, fuſiùs, & ſolidius oſtendentur.

Conſideretur igitur, quòd bilis ſingulo die habet motum ſuæ generationis, & ſtatutam menſuram, quæ ordinaria, & pauca exiſtens, non excitat febrem; ſed tunc febrem concitat, quandò copioſior, in loco ſenſitivo, ſtagnando maiorem acredinem aquirit.

Tunc enim excitare valet ſpiritum ſenſitivum calorificum, ut hora in qua talis ſuccus magis turget, inſurgat ad ſui expulſionem, quòd contingere ſolet, circà horas meridiei, a ſolis calore adiutus.

Procul igitur a ſuis naturalibus ductibus cholidocis hepati, ac inteſtinorum, impedita bilis, exitùm habere non potens, circulando propellitur ad cor ibique præſentia ſua motum naturalis fermentationis maſſæ ſang. turbat, & præternaturalem facit.

A ſpiritu, deniq; fermentatore deponitur in iſto, vel illo loco debili, intemperato, deſtinato pro emunctorio, ſede, ac minera febris tertiæ Quinimò ſi plures ſint ſedes, & mineræ, plures quoque febres tertiæ conſurgent.

Præterea niſi a valido ſpiritu impulſore, ac fermentatore ſedes, & minera extrà vaſa cordis conſtituta fuerit, non ceſſabit præternaturalis fermentatio maſſæ ſang & fit febris continua, à qua ſepè fit deindè progreſſus ad malignam.

Nugæ enim veterum ſunt, quòd febres tertiæ intermittentes ſint illæ, quæ ad diferentiam continuarum, abſque actuali præſentia bilis in corde, per ſolas effumationes a foco putredinis (dicunt ipſi) excitant in corde febrem.

Oſtendimus enim nullam concitari febrem; ſeu non poſſe turbari motum naturalem fermentationis maſſæ ſang. niſi præſentialitèr adſint præternaturales, improportionatæ particulæ, ſpiritum ſenſitiuum calorificum ad fermentationem invitantes.

Ita ut neq; febres ephemeræ ab hac vera eſſentia febrium excludi poſſint, prout præcedenti Libro oſtendimus.

Id quod diximus de generatione tertiæ, mutatis terminis dicere poſſumus de generatione quartæ, excrementum enim ſeri alb. habet terminum, & menſuram ſuæ generationis, & tempora conſtituta ſuæ excretionis, ut luctam ineat cum pugili altero bilis circà inteſtinum duodenum, quod il præternaturalitèr ſe habeat, febrem quartanam conſtitue prout ſeqnenti cap. de quarta oſtendetur.

His etiam notitijs præhabitis, facilè ex problematibus febrium propoſitis plano, & claro ſermone ſatisfacere, quæ titulo accidentium febrium a nobis in fine proponentur.

Negotium igitur febrium, tum febrilium ſijmptomatum, ab unico ſpiritu fermentatore, ac impulſore provenit efficienter; nam materialitèr a duobus alimentalibus ſuccis degenerantibus in excrementa provenire ſolet, videlicet a cruore in bilem combuſto, ac veluti in fuliginem converſo; & a ſero alb. in incraſſatum, acidum, pituitoſum ſuccum, mutato.

Ex quibus comixtis, reſſultat poſtmodum mulus melancolicus, cuius natura variat, quia mitior fit prævalente ſero alb. frigido, acido, incraſſato. Ferinus fit prævalente cruoris fuliginoſa, atra bile.

Plurimi alij liquores ex his duobus per accidens, & in varijs locis conſurgunt. Mixtum enim ſerum alb. corruptum cum pediſſequa lijmpha in capite, conſtituit catharales deſtillationes.

Delapſum ad ſtomachum cum ſaliva, rectas fermentationes ſtomachi turbat, contaminato ſinibi fermento, reſſultatque craſſus mucoſus chijlus obſtruens vaſa anguſta meſenterij, & glandularum.

A cruore verò aſſato, fuliginoſo, ſeu a bile aſſurgente ab hepate ad ſtomachum, fit vomitus, vel in inteſtinis alui fluores concitatur. Aut in membris in quibus impegerit, dolores atque inflammationes promovetur.

Quorum tamen omnium paraninſus, & prodromus impulſor, eſt unicus ſpiritus vitæ, & ſanitatis auctor, maſſæ ſang. maritus, vigilanſq; cuſtos, quibus contaminatis coniugibus, univerſi morbi concipiuntur, & naſcuntur.

Tertiana itaque febris, ab invaſione tertio quoq; die ſibi nomen deſſumpſit; quæ ideò nullas habet ratione temporis differentias; ſed ratione modi, vel materiæ dicitur legitima, vel ſincera, quæ a ſincera bile, vel ſpuria, quæ fit a mixta bile cum alijs humoribus. Vel a diverſis ſymptomatibus diverſificatur, &c.

Deffinitur quod ſit *febris tertio quoq; die cum rigore invadere ſolita, dolore capitis, vigilijs, inquietudine, ob turbatum naturalem motum fermentationis maſſæ ſang; a bile fuliginoſa, amara regorgitante a viſceribus naturalibus, ſed potiſſimùm a vaſibus cholidocis hepatis impeditis, per venam cavam ad cor circulando deductæ, & ſpiritum ſenſitivum calorificum lacteſcente.*

Ex omnibus itaque febribus hæc fræquentiſſima eſt quoniam homo calidiſſimum animal eſt, bilem ſingulo die concernans plurimum, quæ ſi fortè fortuna impediatur, ne ad vias excretionum feratur, regurgitans, per venas circulando ad cor regreditur, atq; ſeditioſa, tumultus in maſſa ſang. concitat.

Pars itaque affecta, vaſa potiſſimùm cholidocæ hepatis ſolet eſſe; tum viſcera abdominis impedita, in quibus a ſuo libero tranſitu impedita bilis ſtagnare, & inibi ſedem ac minerâ febrilem ponere cogitur.

Si tamen altiùs geneologia tertiæ febris examinetur, cauſæ primitivæ ac veluti protoparentes remoti, eſſe conſuevere ſex res non naturales; quæ antiam dedere generationi mucoſitatum; atque indigeſtionem ſtomachi, quæ craſſæ attenuate a calore, in vaſibus viſcerum, & glandularum delapſæ, ibi obſtructiones, ac impedimenta conſtituunt; quibus mediantibus deindè bilis ſtagnare, & ſedem, mineramque febrilem inibi conſtituere cogitur.

Certaque res eſt, quòd abiſſus abiſſum invocat, & quòd poſtmodùm factis illis impedimentis viſcerum, & febri ſemèl exorta, facilè poſtmodùm eſt, ut in univerſis concoctionum officinis, atque in univerſis

versis facultatibus errores contingant, a quibus circulariter procedendo febris tertia foveatur, atque prorogetur.

Causa autem cur tertia uno die intermittat, priùs quam ad tertianarium paroxismum deveniat, non unica est; sed plures, concurrit enim impetum faciens spiritus, materia contenta, & partes continentes.

Prima igitur, & primaria causa est spiritus impulsor, ac fermentator, qui postquam materiam febrilem ad suum stabulum relegavit, quiescit, nec movetur donec quantitate, & qualitate molesta, iterum invitet spiritum sensitiuum calorificum, ad febrilem choream continuandam.

Secunda est materia febrilis, quæ non sit adeò ferina, & intractabilis, ut cicurari, atque regi non possit, a spiritu motore ac fermentatore; sed civilis quodadmodò, & obediens permittant post celebratam illam choream febrilem, iterum ad suum sedile remitti, donec vires per intermissionis tempora reassumat.

Tertia causa est sedile ipsum, seu latibulum atq; minera in qua impedita bilis stagnat; debet enim ita esse constitutum, ut ab exitu omninò bilis non impediatur, neq; nouus billis acceffus arceatur; sed iuscepta sufficienti copia materiæ biliosæ, tum per moram stagnationis acrior, & molestior facta, possit sibi viam aperire, atque spiritum fermentatorem invitare ad choream iterandam, rapta per venas, circulando ad cor, ad novam fermentationem in vasibus cordis subeundam.

Observamus igitur, quòd transitus fieri soleta tertia intermittente in continuam; quia spiritus sensitiuus calorificus, a crebra massæ sanguineæ violentaque fermentatione, copia imminutus fuit.

In massa autem sanguinea, singulis diebus copia maior bilis non purgatæ increscit. Concoctiò quoque ventriculi, in singulos dies magis labefactatur, a copiosiori bile succrescente; quibus si addatur mala instituta vivendi norma, iam proba chylosis subvertitur, quæ loco dulcificandi, ac restaurandi massam sang. eidem defert materiam acrem, pravam, fermentativam;

Et sic a copia, & qualitate materiæ biliosæ spiritus languidus compressus, & stimulatus, neque depurationem, & relegationem in suam sedem materię febrili imponere potest, neque se ad quietem componere valet; sed continua in vasibus cordis fermentatione excitata, febrem continuam admittit.

Obs. etiam quòd sepè febres tertianæ, quæ secus esse deberent intermittentes, & accedere cum rigore; spuriæ existentes præ mixtione aliorum humorum, protracto in longiùs antecedenti paroxismo, præ fervore febris adhùc perseverantis occultatur frigus, & rigor.

Neque dant indicia suæ accessionis, nisi occulatissimis medicis, qui pulsilogio nostro muniti, vel tenui frigore circà extremitates observato uri nisi, & alijs omnium minimarum alterationum providi observatores sint.

Obs. quod in fibribus tertijs præter massæ sanguineæ labem; sepè adiuncta est viscerum infirmitas; propter quam massa sang. liberè in transitu suo sensim, & sensim deponere non potest excernenda excrementa sua; sed hæc impedita ac retardata fovent, augent, & prorogant febrem.

Ideòque solent in his febribus observari ventriculi affectiones, hypocondriorum tensiones, lienis, iecoris, pancreatis durities, tumores, impedimenta, quæ aliquandò non sunt causæ febris; sed poeiùs producta morbosa febris; prout centies observavi, exibita rationali modo china; nam cessata febri, durities tumores, & tensiones viscerum sponte evanescere vidi.

Obs. quòd chijlus aptus dulcis mitis, diluendæ massæ sang. accommodatus, vel ineptus, asperimus, crudus, fermentatiuus, plurimùs valet ad augendam, vel imminuendam febrem.

Quandò ergo per malam institutam vivendi normam chijlus massæ diluendæ suppeditatur, nisi probum serum alb. dulce nutricium de cerebro per nervos veniens ad irrigandas partes spermaticas, ac nutriendas, circulando ad cor reddiens suppleret diluendo, ac mitigando massã sang. exasperatam, tunc horrenda sympromata febrium malignarum consurgerent, negata membris nutritione.

Certa namque res est secundum nostra principia, quod non solùm per arterias de corde sed etiam per nervos procedit succus nutritius partium albarum; spermaticarum; si verò contingat, quòd neque ab arterijs, neq; à neruis, partes spermaticæ nutriri possint, lapsa nutritione, vires corruunt, & tota æconomia subversa, fiunt maligna sijmptomata.

Observamus igitur, quòd in cordis vasibus, seu in massa sang. turbata, & contaminata, ab asflato cruore, flavo, amaricante, vix concipi potest, quod consocij invenis liquores nutritij, amariciem non concipiant, & contaminentur.

Ideoque in his febribus observamus, quod carnes, dum a cruore amaricante nutriri non possunt, æmaciantur ægri dum verò a contaminato aliquo modo propter consortium cruoris sero alb. rectè non nutriuntur partes spermaticæ; plus, vel minus concidunt vires, pro maiori, vel minori labe cruoris, quæ si fit maxima, iam maligna sypthomata aderunt.

Obs. itaque quod ad præcavendam febrem malignam sufficit, ut nisi veniat copiosa nutritio affatim per arterias, ad membra potissimùm spermatica, saltem lentum, & tardigradam veniat per nervos de cerebro serum alb. ad membra spermatica nutrienda, ut vires confortentur.

Secùs affecto iam cerebro, & contaminata officina probi seri alb. (quod cognoscitur ex symptomatibus capitis somnolentia, delirijs, &c.) tunc necessariò maligna symptomata manifestantur, & non ante.

Obs. igitur quod hæc consideratio maximi momenti est; nam detegit statum, & conditionem febris, & quid sperandum sit. Toto enim tempore, quo de cerebro venire poterit probum serum alb. per nervos, ad restaurandas, & nutriendas partes spermaticas, albas; febres licet vehementissimæ compareant, reformidandæ non sunt, & si vires examinentur, non sunt adeò prostratæ, neque fermenta viscerum, sunt omninò subversa.

Sed si bilis fuliginosæ amaror massæ sang. liquores adeò infecerit, & contaminaverit, ut suppeditare amplius non possint cerebro materiam aptam seri alb. probi conficiendi; tunc membrorum nutritio necessariò corruit, viscerum fermenta labefactantur, & omne genus maligni symptomatis consurgit, cum extremo vitæ periculo, quia nullus amplius liquor restat, qui membra nutrire, & vires restaurare possit; & qui dulcedine sua blanda, miti, frigidiuscula mulierosa, ac veluti Veneria, ferocissimum martem bileis, omnia devastantem mitigare, atque amplexu suo pacificum reddere possit. Vita enim vitalesque facultates omnes, cum nutritiva potentia pari passu ad Vitam, vel mortem incidere passim insinuavimus; cessanteque nutritione, vitam simul cessare debere ostendimus.

Obs. quòd facilè febri tertie miscetur icterus, vel saltèm urina ictericorum, cum hypocondrij potis-

simum

simum dexteri tensione, gravitate, dolore; quæ omnia obstructiones, & impedimenta in visceribus naturalibus præmonstrant. Fel paritèr in hepate copiosior cumulata erumpit per vasa cholidoca ad intestina atque alui fluorem, aliaque mala facit.

Obs. iuxta mentem Fr. Sylvij, quod si fel copia, & qualitate prævaleat competitori pugili, acido pancreatico diluto, enervato; tunc chylus ab eis subactus, de fellea substantia magis particeps; fluens per vasa chylifera invisçata, impedita a præcedentibus mucositatibus, ortis ab indigestionibus stomachi, ibi retardatur, indè sensim, & sensim copia augetur, donec stimulato spiritu sensitivo motore, ac impulsore; de sua sede posita, ac minera removeatnr, & per motum suæ solitæ fermentationis concoquatur, præparetur, & de contortio massę sang. propellatur. Et hæc est fræquentior causa febris tertianæ,

Obs. itaque in tertijs intermitentibus, quòd sepè fit vomitus amarorum, seu fellis assurgentis a loco sui naturalis egressus (scilicet circa intestinum duodenum) & ascendentis ad pylorum, in stomacho concitando nauseam, vomitum, anatropem, vellicando stomachi fibrillas, & partes nervosas; appetentiam tollendo.

Obs. pariter, quod bilis fuliginosa, amara occasione febris tertianæ copiosior genita, ad tuum incerniculum hepatis delata, irrequieta, vellicans, contractione quadam spasmodica vasorum cholidocorum tum folliculi fellei facta, & causa ut copiosa affundatur bilis circà intestinum duodenum, inde, vomitus, alui fluores, tormina, aliaque multa symptomata oboriuntur.

Obs. tamèn quod hæc omnia febrilia symptomata fiunt, non quia bilis habeat proprium motum (omnis enim motus est a spiritu sensitivo) sed quia odiosa, amarulenta, salina, irritativa, a spiritu sensitivo hùc illùc depellitur, & comovetur.

Obs. quòd sicuti in febri quartana prævalente acido, ægri famelici fieri solent; ita in tertiana prævalente bile appetentia prostratur,

Signa.

Pathognomonicum signum, tertianæ, & essentiale, per quod a cæteris febribus distinguitur est quod tertio quoq; die ingruat.

Cætera autem sunt symptomata alijs etiam febribus communia, sitis. oris siccitas. linguæ color immutatus fræquens respiratio. fræquens pulsus, celer, elatus, cum calore. Anxietas. Calor universalis. Capitis dolor. Lumborum dolor, &c. de quibus omnibus rationem reddimus in lib. ultimo.

Tertiana verò exquisita, dignoscitur ex eo, quòd rigor valdè molestus infestat, & corpus veluti acubus pungitur, sequente multo acri calore, mordaci, & siti ingenti. Urina verò subruffa consistentiæ mediocris. Pulsu vehementi fræquenti, duro. Vomitu bilioforum. Accessio eius, non ultrà 12. horas durare solet.

Spuria verò accessiones ultrà duodecim horas extendere solet.

Prognostica.

Hip. 4. aph. 59. *Tertiana exquisita in septem ad summum circuitibus indicatur.*

Nam tertiana exquisita levis est, & bilem tenuem non admodùm acrem sed volatilem, mobilem, & alterabilem pro causa habet; ideoque ad summum cum longissima est in septem circuitibus terminatur; levia habet symptomata. & exacte intermittit talis febris,

Volatilem igitur, mobilem bilem, causam tertiæ exquisitæ facilè spiritus impulsor per sudorem, vel per alvũ, vel etiam per vomitum dejcere valet; quia scilicet bilis tenuis, sincera est, non ligata, seu comixta cum pituita Hippocratica, quæ eam incrasset, & rebellem expulsioni reddat; tunc enim sua propria symptomata servat.

Nota vero tertiana quia a bile fit, & pituita commixtis longam faciat accessionem, neque exactè intermitti, ultrà etiam decimoquartum diẽ prorogatur.

Tempus consuetum tertianarum solent esse dies æstivi, caniculares ex Hip. 3. aph. 21 quia tunc præ anni temporis calore, copia cruoris affatur, & in retoridam fuliginosam bilem vertitur.

Inde non mirum si eodem aphorismo doceat, ex bile æstivo tempora genita tertianas, non solum, sed bile ad superiora petente fiunt vomitus bilioforum, aurium dolores, lipitudines, oris vulcera; acrimonia sua; si verò ad inferiora petant alui fluores.

Ad cutem verò conversa facit sudores, potissimùm circà partes obscenas ubi insignes glandulæ inguinum, & humiditatis plurimæ vigent, inde pudendorum putredines. Vomitus verò maximè fiunt in picrocolis.

Hip. 4. aph. 43. *Febres quæcumque non intermittentes tertia die vehementiores fiunt, magis periculosæ, quocumque autem modo intermiserint, periculum abesse significatur.*

Alibi verò 3. aph. 62. ait: *Febres non intermitentes, si per tertiam vehementiores fiant, periculosæ. Quocumque vero modo intermiserint periculum abesse significatur.*

Quorum amborum aphorismorum satis considerabilium explicationem in lib. p. antecedenti posuimus, & brevitatis causa hoc loco omittimus.

Si in intermittentibus febribus tertianis iuncti sint syrhi viscerum, vel tumores, ac impedimenta, præter febris diuturnitatem, læthum afferunt, tract s ægris ad cachexiam, indè ad hydropem; vel alio cachectico vitio pereunt tabidi.

Sepè a tertiana fit transitus in continuam læthalem; hæc vel diuturnitate molestans, ad hecticam trahit;

Solutio per sudores huic febri solet esse familiaris, & tutissima. Interdùm icterus cum alui fluore, has febres tollit.

Apparentibus signis coctionis, cunctatio paroxismorum proximam esse salutem ominatur.

Ulcera quoque, & pastulæ in labijs, vel circà nares erumpentes, criticum signum esse solent. & febrem esse circa finem, atque per cutem insensibilitèr resolvi. Ideo enim cutis labiorum magis patitur; quia tenuissima est; materia vero biliosa acris, salina, volatilis ad superiora ascendens, facilius per labia evaporat.

Quo ardentior calor febrilis fuerit; sed sine alijs magis symptomatibus, eo brevior erit tertiana.

Diurna est brevior, & acutior. Nocturna diuturnior esse solet.

In principio vomitus spontè facti, tertianam abbreviare solet.

Notha tertiana sepè solvitur facto decubitu, potissimùm ad articulos.

Tertianæ duplices, ferè sempèr continuæ sunt, ideò periculosæ. Simplices verò a medico perito citò, & facilè curantur sine periculo,

Cura.

Purgantia per aluum acriora fortiora, calida fermentativa, in febribus tertianis intermittentibus vel conti-

continuos, angue peiora fugiantur, in principio potiſſimùm, urina adhùc cruda exiſtente.

Magis enim exacerbatur bilis augmento caloris facto, ſtimulato ſpiritu ſenſitivo, & maſſæ ſang. motu fermentativo adaucto, copiaque bilis fuliginoſæ augetur, ex combuſto cruore.

Interim maior eſt noxa quæ ideò expurgatione inpoſterum conſequitur; quam ſit utilitas præſens, quæ per purgationem habetur; vires interim debilitantur, febris fit efficacior; imò ex ſimplici frequentiſſimè tranſit in duplicem; prorogatur concoctio, atque criſis.

Solumodò ergo in declinatione, apparentibus ſignis coctionis, locus purgantibus eſt per aluum.

Quare nos lib. p. oſtendimus ſolis hemeticis ſtatim in principio, hos egros tractandos eſſe, ea intentione ut inquinamenta ſtomachi, & impedimenta mucoſa in viſceribus naturalibus removeantur, & liber impetretur egreſſus a vijs cholidocis bili.

Nam certo experimento conſtat antimonialia hemetica, irritatione quadam convulſiva in vaſorum cholidocorum fibrillis tum veſiculæ felle, hepar, & veſiculam eius inaniunt, & liberant afelle, & veluti in cholerico morbo eam partim per vomitum, partim per alvum deijciunt.

Hæc eſt deindè vera ratio, cur vulgares medici admirentur ab antimonialibus hemeticis tot admirandas curationis provenire. Liberetur enim bilis, a vinculis pituitoſis; & hęparis incerniculum ab impedimentis, & viſcoſitatibus mundetur, tunc bilis libero invento ſuo excurſu, impaziens ad exitum feſtinabit, & tertius ſolvet.

Quare pro liberandis viſceribus, glanduliſque abdominis a mucoſitatibus impeditis, non invenit ars potentius auxilium quam mercurij præſtantiſſimæ præparationes.

Inter quas eminet mercurius dulcis diaphoreticus Paracelſi, quàm lib. p. deſcripſimus. De quo Helmontius ait: *non eſt nomine medici dignus, qui mediante mercurio, neſcit brevissimo tempore ſolvere febres intermittentes.*

Niſi igitur alia mercurij præparatio ſuppetat, ſaltèm adhibeatur mercurius dulcis, calomelanos a Riverio dictus, qui eſt mercurius omni acido corroſivo vitriolico ſpoliatus, per artificium homogeneum, admixti mercurij crudi, & per reiteratam ſublimationem; quo ſemper tutò uti poſſimus in tertianis etiam continuis, & malignis; quia ex ſe irritatiuus, calidus non eſt, ſed potius diaphoreticus nec movet aluum, niſi cum aliquo cathartico copuletur.

Longa verò experientia didici, quòd feliciſſimè operatur, ſi una gr. XI. mercurij dulcis, ſtibii diaphoretici, cremoris tartari, atque diagredij plus minus miſceatur; nam facto bolulo facile, ſine nauſea ſummitur; & ſine ulla turbatione ſtomachi, ſine ulla moleſtia aluum ſolvit, ſine ſputa uſitatibus indicantibus agitationem, & fermentationem in viſceribus; ſed pituitæ, & bilis inchoroſitates, forma fluida educit, paucis alvinis excrementis comixtis.

Et quòd maximè conſiderabile eſt, vires ſtomachi non dejcit, neque appetentiam eius deſtruit, prout facete ſolent univerſa aluum ſolventia, etiam mitia.

Zac. Luſit. lib. 4. prax. hiſt. cap. 21. Queritan. *in febribus tertianis valde æſtuoſis, ſanguinis miſſio celebrari poſſit.*

Hip. enim p. epid. ſect. p. obſervavit quòd his familiare, atque conſuetum eſt, iudicari per ſanguinis a naribus effluxum. Cur ergo medicus ſanguinis evacuationem, à vena quoque tentare non poterit.

Si febris tamen hæc ſit in periculo, vel debili extenuato, vel in cacochimo, tutius eſt abſtinere a venæ ſectione.

Solumodò ergo conſtantibus viribus, in corpore boni temperamenti, in principio admittatur ſanguinis miſſio, ut præcaveatur cruor ab ulteriori cõbuſtione, & generatioue fuliginoſæ bilis, per hanc eventillationem, & deferueſcat ſanguis, & ſpiritus, humorque calidus imminuatur, & avertatur a corde, & viſceribus, facto etiam additu iminutæ maſſæ ſang. ut liberiùs circulando moveri poſſit, ut ſic excrementa ſua in varijs locis deponere poſſit.

Rationes utrinque de ſanguinis miſſione admittenda ſit, vel non, & quandò; habentur antecedenter in libro primò; ubi etiam recta, & tuta curatio febrium potiſſimùm tertianarum per nobile inventum chinæ, ad amuſſim exaratur; ſimul cum alterantibus debitis; & recta vivendi norma.

De febribus continuis, vel intermittentibus.

Febris tertiana contiuua fit, dum maſſa ſang. fermentatione præternaturali efferueſcens, eius particulæ in inordinatos motus cientur (nacta aliqua occaſione ſuperiùs recenſita) adeò ut intrà plures dies, vix ad priſtinum ſtatum, ſeu motum, cum ſpiritu motore deduci poſſit.

Febris tertiana intermittens tunc fit, quandò maſſa ſang. quæ fermantatione præternaturali agitabatur occaſione particularum exoticarum ad cor circulando delatarum; tandèm mediante ſpiritum ſenſitivo calorifico fermentatore, ac impulſore, ſacernuntur a maſſa ſang. tales exoticæ preternaturales, moleſtantes particulæ, & vel per vias excrementorum excernuntur, vel relegantur in aliquo loco, ubi ſuam mineram, & ſedem conſtituunt, neque inde dimoventur, niſi ab eodem, ſpiritu impulſore ad motum invitentur, & ad novum paroxiſmum excitandum promoveantur.

Franc. Sylvius itaque ait: *Si bilis nunquam deponatur a vaſibus magnis cordis, fit febris continua. Si autem deponatur in hepate, vel alibi per tempus, & deinde aſſurgat per venam cavam ad cor circulando, fit febris tertiana intermittens; quæ ſi duplicem habeat mineram duplex inſurgit.*

Continua febris, in duplicem differentiam bipartiri ſolet; nempè in continuam continentem, ſeu eſſentialem, & continuam per ſubingreſſum paroxiſmorum. Prima alio nomine dicitur etiam omotona, quia ſine ulla remiſſione, uſque ad finem perſeverat.

Secunda remittit adeò, ut aliquandò naturam habens duplici tertianæ fermè ad infebricitationem quotidiè devenire obſervetur. Atque aliqua indicia novæ acceſſionis dat, ex. gr. aliquo ſenſu refrigerationis circa partes extremas, ſubſequente deinde maiori incaleſcentia, vel exacerbatione ſymptomatum. Et tunc pulſilogium noſtrum, ad hanc exactam notitiam plurimum inſervire poteſt.

Hæc itaque fiunt, quia humor noxius, fermentativa prædictus qualitate, motui fermentativo naturali maſſæ ſang. planè adverſo, e ſua minera in qua ſenſim accummulatur, ſenſim quoque cordi ſuggeretur, & non totus ſimul; ſed iam iam deficiens, pròcul non abeſt, ut ad infebricitationem deveniat,

iam

jam portione illa quæ ad cor pervenit, attemperata & a ſpintia fermentatore ſubacta.

Et ſic circulando producitur febris tertiana duplex continua, per ſubingreſſum paroxiſmorum, iterum a minera, ad cor tranſmiſſo tali humore noxio.

Prognoſticum continuarum febrium, nullum certum eſt; ſepè enim latet anguis in herba, ab oculatiſſimis quibuſque medicis non prævisus.

Quandòque tanta eſt indignatio Archei, ſeu ſpiritus vitæ cuſtodis, a cauſa procathartica, vel deſuper abaſtris concitata, quod in probo ſecùs temperamento, neque in valdè intemperanter vivente, indignatus ſe ſolvere a vinculis uxoris maſſæ ſang. annitens, deſiſtit a muneribus ſuis, neque curans ſequeſtrationem materiæ febrilis, relinquit omnia in confuſionem abire, febri maligna exorta; & morti locum cedit.

De Quotidiana febri. Amphimerina, & Hemitriteo.

Cap. II.

HIpocrates 4. aph. 30. ait: *Quibus paroxiſmi fiunt, quacumque hora febris dimiſerit; ſi poſtridie eadem hora corripuerit, difficulter judicantur.*

Hanc eandem ſententiam repetit in lib. 3. de humor. 91. Galenici autem inconſideratè, & temerè hunc aphoriſmum transfere volunt ad omnes febres continuas, quæ aliquam acceſſionem ſingulo die habere videntur, & quas continuas per ſubingreſſum paroxiſmorum vocant, eas difficilis judicii eſſe judicantes ex hoc aphoriſmo, ut ſic mendacem facerent Hipocratem quia ſepè contrarium evenit.

De illis febribus igitur intelligit Hipocrates quæ quotidie eadem ratione invadunt; Ideòque ait: *ſi ſequenti die corripiat*. Hoc enim eſt proprium quotidianarum febrium. Hæc martianus habet.

Quotidianæ igitur juxta mentem Hipocratis ſunt febres illæ, quæ quotidiè invadunt, eodem hora. Quæ lib. de natura humana a copia humoris bilioſi dependere, claro ſermone docuit, magis quam tertiana ſimplex.

Quatenus verò eadem hora repetit, indicat materiam, quæ priorem acceſſionem fecit, a materia ſequentis febris, neque loco differe, neque natura; ſed habere eandem energiam & vim.

Quibus ſtantibus (nempè materiæ morbificæ copia, & robore) impoſſibile eſt, ut a natura citò ſuperari poſſit; quare neceſſe eſt, morbum ſine criſi vagari, vel malè judicari, vel longo tempore, & per multas recidivas, quæ ſunt condictiones, judicii difficultatem conſtituentes, nomine diſcrotos ab Hipocrate indigitatæ.

Amplimerina febris Græcè, quæ etiam hemitriteus ſeu Latinè ſemitertiana dicitur; febris eſt, quæ a materia corrupta circa ventriculum, & primas vias fieri creditur a pituita viſcida, difficulter removibili; ideòque multa, & gravia ſymptomata parit; pulſum enim efficit parvum, debilem, ſpiritum veluti onerato, & compreſſo a copia pituitæ.

Ob lentorem, & craſſitiem pituitæ, magnæ fiunt obſtructiones in tubulis viſcerum; atque viſcera indurata, impedire etiam mediante tactu percipiuntur.

Galenus de arte curat. ad Glauc. *fatetur nunquam fieri quotidianam, ſine Leſione ventriculi.*

Thom. Vvillis de feb. cap. 5. quotidianæ febris ingentia eſſe ſymptomata teſtatur, docetque quod ſepè in malas febres migrat, maſſa ſang. conſpurcata, quia a cauſa fortiori excitatur quotidiana, quam tertia, majoremque arguit ſanguinis diſcraſiam. Cum febre enim quotidiana, ſemper adeſt ventriculi aggravatio, hypocondriorum tenſio; modo hepatis, vel lienis, vel meſenterii ingentes obſtructiones vel tumores &c.

Cum Barbeta verò ipſe puto eſſe meram chymeram, & metaphyſicam ſpeculationem antiquorum, qui ut ſalvarent ſuam ridiculam qua trinitatem qualitatum, humorum &c. multiplicarunt entia febrium, ſine neceſſitate, bilem aſſignantes pro cauſa tertianæ melancoliam pro cauſa quartanæ; cruorem pro cauſa ſynochæ.

Excogitarunt deindè metaphiſicis rationibus conſtituere pituitam cauſam febrium quotidiè invadentium, hoc pulchrum mendacium perſonantes, & veſtientes, quo nobis volunt inſinuare ignem eſſe aquam, & aquam eſſe ignem, ſeu humorem pituitoſum frigidum humidum aqueum (qui ſemper eſt cauſa frigidorum humidorum morborum) inducat ferventiſſimam, malis ſymptomatibus ſtipatam febrem, periculo plenam quotidianam, ſeu hemitriteum.

Iudicioſi igitur medici expungent ab albo febrium has quotidianas a pituita factas; & meliori conſideratione facta verborum Hipocratis in Coacis qui nomen hemitritei invexit, dicant hemi ſignificare ſemi latinè, & uno verbo ſemitertianam exprimi, inſinuare volens Hipocrates quod a ſincera, vel parùm mixta bile non fiat hæc febris, ſed a bile, & admixta multa pituita (per noſtrum intelligendi modum) ad medietatem.

Veruntamen non amittit neque mutat naturam tertianæ febris; licet ſit complicata; ſed habet naturam duplicis tertianæ continuæ, vel quartanæ, quæ pariter fit a bile comixta cum pituita, prout oſtendetur.

Perperam igitur ſymptomata ingentia, quæ in hemitriteo obſervantur pituitæ tribuuntur, ignavæ, torpidæ, & naturæ parum moleſtæ.

Sed potiùs tribuenda ſunt ſpiritui ſtimulatola bile, quæ ligata inviſcata a pituita, non poteſt liberè egredi, & per vias conſuetas evacuari.

In ventriculo ergo, inteſtinis, & primis viis, bilis ligata a mucoſitatibus pituitoſis, eſt cauſa graviſſimorum ſymptomatum hemitritei.

In aliis enim febribus, non adeò impedita bilis, neque in viſcata, ejus aliquæ particulæ evacuantur, ſed in hemitriteo, a copioſa pituita ligata, & evacuari impedita, ſemper magis magiſque copia ejus augetur.

Ideòque aſſiduò cordis ſpiritum laceſſit, eſtque gravior febris, quam tertiana continua per ſubingreſſum paroxiſmorum atque magis diuturna etiam; cum tamen juxta veteres, & juxta naturam pituitæ, deberet eſſe febris multò benignior, mitior, facta a pituita frigidor, & minus moleſta.

Sed ut altiùs a fundamentis rationes noſtras ſuprà principia noſtra conſtruamus. Certum eſt quod febris unica cauſa efficiens, & unicus promotor eſt ſpiritus cordis inſitus, calorificus titulo Archei. Vnica quoque cauſa materialis, eſt potiſſimùm bilis, irritativa calorifica, propter quam motus præternaturalis fermentationis non maſſa ſang. concitatur.

Tres

Tres autem sunt humores massam sang. constituentes naturaliter & ordinariè, cruor, serum alb., & pediſſequa lympha, qui in statu naturali dulces, blandi, nutritii existentes, nullam febrem concitare possunt.

Sed tunc concitatur febris, quando a causa aliqua procathartica, vel accidentali accenditur, inflammatur cruor, qui concipiens fuliginosam, acrem bilem irritantem, & stimulantem cordis spiritum incolam, hic exurgit ad ejus expulsionem, concitata in massa sanguinis præternaturali fermentatione.

Serum autem alb. simul cum pediſſequa lympha sunt liquores frigidi humidi, diametraliter contrarii causæ febrili.

Quare secundum hæc nostra certa, & palpabilia principia, ridiculum est immaginari ignem Iudaicum miraculosæ ex puteo hauriri, scilicet ex aqua ignem provenire. Scio quidem quod ignis fabrorum jam assensus; ab aqua parca manu conspersa, per accidens acrior fit, & fovetur:

Sic pariter in febri Hemitriteo contingere posse satis rationabiliter dicimus, pituita enim viscida, frigida, ligans, & circumveniens bilem fuliginosam, ferventem, ut excerni non possit, dum interim multiplicatur, fit causa magnorum symptomatum quæ in hemitriteo observantur.

Exibilanda est igitur veterum opinio, de hemitriteo, credentium pituitam constituere hoc peculiare genus febris quotidianæ ab eis dictæ; cum sit humor frigidus, humidus, fæmineæ naturæ, torpidus, sine motu.

Potiùs penes me excusatione majori digni fuissent; si non quotidianam (quæ arguit causam calidam, acrem, stimulantem) sed potiùs quintanam, vel aliam febrem diutius intermittentem comenti fuissent; sed quotidianam vehementem periculosam supra fundamenta aquæ describere, irrationabile valdè est, & aereum.

Stat ergò inconcussum nostrum fundamentum, quod unica causa materialis febrium est bilis propriè & per se.

Si autem opponant adversarii, quod quartanæ fiunt alio humore quam a bile. R. quod decipiuntur; quia quartanæ nisi fiant a bile flava, fiunt a bile atra seu a multo melancolico, ex duplici scilicet contraria natura nato, ex bile humore calido sicco; & ex sero alb. acido corrupto, frigido, & humido, prout sequenti capite ostenditur.

Idem dicatur de hemitriteo, de duplici natura participante; sed bilis est, quæ semper in capite choriæ febrium, existere debet. Sed pituita in æternum causa febris esse nequibit, cum sit aqua contraria igni.

Percurrat lector libros universæ praxis nostræ tum chyrurgiæ. Atque innumeros morbos a pituita factos inveniet; sed omnes sine febre. Deindè pensitabit, quo modo fieri possit, ut pituita in hemitriteo possit illa magna symptomata parere; vel non.

Observamus tamen quot motus isti quotidiani, tertianarii, quartanarii & alii &c. non proveniunt ab insita motu humorum natura sua elementariorum, insensatorum, sine motu, ac mortuorum; sed proveniunt a spiritu nostro sensitivo, calorifico, seu Archeo, in cujus potestate est, movere & non movere, hunc vel illum humorem, in hunc vel illum locum.

Stultitia enim est credere, quod lunatici affectus epylepsiæ, hemicraneæ, cephaleæ nocturnæ, & consimiles affectus &c. a motu insito, & naturali hujus, vel alterius humoris proveniant, Sed motos, & promotor universalis est Archeus, febrium, & affectum omnium.

Quia tamen nihil movetur, nisi moveatur ab alio (juxta nostra principia) necesse est, ut ab influentia seu spiritu astrali, moveatur, & dirigatur Archeus; & potissimum a lunæ motu archeus cum conjuge massa sang. dirigitur, estque causa motuum criticorum in morbis.

Inscitia enim est credere, motus omnes elementares non esse præordinatos, nec prædestinatos, atque directos a mente constante; sed fortuitos esse, atque a stulto casu provenire.

Obs. itaque quod recta ratione omnia præordinantur, & pro diversorum humorum constitutione, diversæ fiunt febres diversificanturque symptomata; nam serum alb. corruptum acidum, fermentationem suam singulo die a cerebro prædominato a luna peragit atque sic potissimum vespere, & noctu in horis frustratæ nutritionis vexat.

Tenues cruoris partes assatæ fuliginosæ (scilicet bilis) quia cruor a solis calore magis assatur, quam de nocte; idcò circa horas in quibus exaltatur solis calor, scilicet circa horas meridianas, bilis magis exaltatur, & febres a bile oriundæ commoventur.

Obs. quod in tertiana acredò salina bilis magis peccat. In quartana aciditas seri alb. acidi. In quotidiana, hujus visciditas magnam symptomatum habet partem.

Fieri etenim ab infarctis, & inviscatis ductibus chylifieris, cum stomacho, & primis viis, colligitur.

Primo quia stomachus semper in hac febre laborare observatur; tum etiam Galenus lib. de arte cur. ad Glauc. faretur, *nunquam fieri quotidianam, sine læsione ventriculi*.

2. A juvantibus, & lædentibus hoc cognoscitur; stomachus enim in hac febre a refrigerantibns crassis, viscidis, læditur & in duplum febris augetur, ab attenuantibus, stomachicis, pituitam educentibus, sensibile juvamen suscipit, & symptomata imminuantur.

3. Quia post cibum potissimum copiosum, aggravatur ventriculus, & symptomata omnia graviora fiunt.

4. Quia in hac febri præcipuè læditur os ventriculi, quod cor a veteribus dicebatur, unde querellæ sunt de cordis angustia, anxietatibus, cum virium insigni prostratione, cardialgia, & animi deliquiis aliquando.

5. Quia denegato a mucosa materia liber transitus liquoribus, massæ sang. & spiritui conjugi, intumescunt, ac indurantur viscera naturalia, & potissimum glandulæ, & alia inservientia ventriculi chylosi.

Prognostica.

Hemitritei solent esse quod febris hęc ratione torpidæ, mucosæ pituitæ, prorogatur ultrà ordinarium tempus, aliarum tertianarum.

Præterea difficilem crisim per insensibilem transpirationem, vel per solitas vias excretionum admittit; sed potius inclinat ad faciendos decubitus in articulos, vel alias partes; imò fræquenter in affectus longos mutatur, in cachexiam, hydropem, tabem &c.

Desinit aliquando contaminata officina seri alb. scilicet cerebro, & pituita Hippocratica coacervata in capite, factis affectibus somnolentis, impeditaque distributione, transitu ac irradiatione, spiri-

tuum

tuum animalium in nervos fiuntque paralyſes, & ſimilia.

Curam,

Febris hemitritei Th. Vvillis peragit reſpectu habito ad ventriculum viſco pituitoſo inviſcatum, & ad ſaburam circa primas vias hærentem, *ſtatim in principio validum vomitorium commendat* (ut ſunt antimonialia, vel mercurialia hemetica) miribus adhùc integris, neque a ſævis ſymptomatibus conformatis. Deindè commendat *digeſtiva de obſtruentia*, quæ fermenta lapſa viſcerum reſtituunt, & eorum diſcraſias corrigant. In quo opere tartarea, ſalia herbarum. Spiritus minerales acidi. tum calibeata præſtantiſſima eſſe inſinuat. Additis etiam externis auxiliis, fomentis potiſſimum abſynthiacis, languenti ventriculo.

Galenus lib. 1. de Glauc. 12. tria in hemitriteo auxilia præcipua proponit. Primò vomitum ad ventriculum deonerandum a ſabura.

2. Ventriculum roborantia.

3. Victum attenuantem, per alimentorum diureticorum uſum.

Zac. Luſit. lib. 3. obſ. 20. In hac febre pituitoſa valdè, in qua ventriculus materia frigida contaminatus eſt, plurimum comendat *decoctum camomelli, ad avertenda mala ſymptomata ſic*: ℞ florum camomelli, comarum abſynthii pontici an coque in aqua communi ad conſumptionem mediæ partis Colletur, edulcoretur cum ſaccaro. Cujus capiat æger ſingulo manè On. v. circiter.

Sed juxta mentem Helmontii, & expertorum Neotericorum, medicamenta mercurialia, cæteris omnibus anteferi debent; quia hucuſque non fuere ad inventa auxilia, quæ primas vias, viſcera naturalia, & glandulas depuratorias poſſint validiùs, & certiùs de obſtruere, aperire, ac liberare a pituitoſis impedimentis; & ſic omnia reſtituere, ut muneribus ſuis ſufficere poſſent.

Si itaque validæ ſint vires in corpore juvenili, benè temperato, ſtatim in principio exhibeatur hemeticum mercuriale, quale eſt ex. gr. hercules Bovii. Vel mercurius corallinus Paracelſi.

Vel mercurius noſter in cæpis vitreis ſine ulla additione, ſolo igne vitriariorum muriani fixatus, ſeu præcipitatus. Quorum doſis circa tria grana variatur pro opportunitate.

Pro debilioribus. vel delicatis a vomitu abhorentibus, mercurius dulcis diaphoreticus Paracelſi eſſet accomodatiſſimus.

Si autem haberi non poſſit, ſaltem utantur mercurio dulci ordinario (ſcilicet ſublimato dulci, liberato ab omni acido corroſivo vitrioli, per artificium homogeneum mercurii currentis) ad grana xii. circiter, cum an ſtybii diaphoretici, diagridii, & cremoris tartari.

Sic enim ſine vomitu, liquata, & fuſa, ſine ullo tumultu, & turbatione pituita, forma fluida deiicietur per alvum, & liberabitur ſtomachus, atque primæ viæ aperientur. Eſtque auxilium quod ſepiùs repeti poteſt. namque ſtomachum intactum relinquit, appetentiam non tollens, ſicut cætera purgantia vegetabilia.

Inter quæ pro hac febri uſus rhabarbari comendatiſſimus eſt, etiam ſingulo manè, per modum ſyrupi.

Alia plurima, quæ adhiberi poſſunt in hemitriteo a veteranis concoquentia, tum vivendi ratio, a prudenti medico, ex cumulo jam dictorum in cura febrium in genere lib. 1. ſeligi poterunt; intentione ſemper curandi febrem tertianam ſpuriam, in qua copia pituitæ ſit major in primis viis, quam in alia febri tertiana ſpuria.

Ideòque magis de pituita tollenda noſ ſollicitos eſſe debere.

Sine verò multis, expertus medicus, valido vomitorio primis viis liberatis ab infarctu. Deindè chinæ febrifugæ uſu in cibis repetito (prout docuimus antecedenter in lib. 1.) victoriam hemitritei ſe reportare poſſe certus erit, citò, tutè, & jucundè.

De febre Quartana.

Cap. III.

Ecce quod jam devenimus ad tractationem, & contractationem muli melancolici, portentoſi genitoris febris quartanæ; qui ex duplici naturâ contraria natus, nempè ex pituita frigida, humida, & ex felle calido, ſicco, reſſultat febrile monſtrum, obrobrium medicorum, quod frigidis non tollitur; A calidis exaſperatur.

Ecce in perniciem hominis humores & contrarias elementorum qualitates inter ſe boſtiles, fœdus inire, atque in amiciam jungi; dum materia ignea bilis vehemens, fermentativa calorifica, unitur pituitæ acido ſalinæ, torpidæ, frigidæ, tardigradæ, quæ ſtimulant fibrillas ſenſitivas nervoſas, longas horroris torturas miſeris ægrotantibus donat.

Ecce æſtivum tempus febris quartanæ ex duobus ſignis contrariæ naturæ compingi; nempè ex cancro natura ſua frigido & humido; & leone natura ſua calidiſſimo, & ſicco. Nulla alia commoda miſeris ægrotantibus adducendo, niſi tedioſam longitudinem dierum plurimorum febrilium, & incommodas, irrequietas noctes, plurimis menſibus perdurantes.

Conveniunt auctores omnes, quod febris quartana proveniat a quodam ſucco acido, melancolico.

Hip. lib. de natura homin. expreſsè dicit, quod *fiat ab atra bile, quæ certe acida eſt.*

Galenus a *ſucco melancolico fieri in genere dixit.*

Vvilliſius. Carletonus, & neoterici fermè omnes mille commentantur metamorphoſis modos, quibus probare poſſint, quod ſanguis a ſua dulci ſpirituoſa, belſamica natura ſpoliatus, induat naturam acidam, auſteram. Exempla adducenti, vini, vel cerviſiæ tonitru commotæ cujus fex a fundo elevata, ſuppreſſis vinoſis ſpiritibus acidũ ſaporem contrahit tartari.

Helmontius *ab acido chylo crudo in ſplenem delato acore peregrino imbuto, cauſam quartanæ deducit.*

Sylvius *a ſolis indigeſtionibus ſtomachi acidis, crudis, a pugilibus in inteſtino duodeno non ſubactis, neque in tertiam ſalinam naturam converſis, cauſam febris quartanæ auſpicatur.*

Doleus ab his parum recedens, dicit quartanam fieri *a chylo in acidam paſtam verſo a quo viſcera opillantur, infarciuntur, & eorum fermenta inficiuntur.*

Hip. itaque lib de natura hom. ait: *Febris quartana cauſa diuturnior eſt. Melancolia enim eſt inter cæteros humores viſcoſiſſima, ideòque ſedes diuturnas facit. Cognoſcitur verò quod fiat a melancolia; quia potiſſimum fit autumno. Et ab anno ætatis 25. ad 45. quæ enim quartanæ fiunt extra hoc anni tempus, vel extra hanc ætatem diuturnæ non ſunt.*

Hipocrates lib. de afforiſ. ait: *Fit tertiana tum quartana a bile, & pituita.* A quo aureo textu deduximus deindè rationes oſtendentes, quod febres omnes in una natura conveniunt, nam febris ipſa quartana quæ toto cœlo ab aliis febribus diſcre-

pare, & diverſificari videtur, ſit ſicuti univerſæ aliæ febres a bile, ſed modificatæ varia ratione a pituita, prout meliùs infra oſtendetur.

Riverius cent. 3. obſ. 70. fieri quartanam *a ſero melancolico teſtatur*.

Sed de ortu ſeri melancolici ante Hier. Barbatum Collegam, & nos, nemo verba fecit.

Galenus lib. de art. cur. ad Glauc. ait: *Sicuti tertiana ex jecore; ita quartana ex liene affecto ſupertenire ſolet. Hæc febribus erraticis ſupervenire ſolet.*

Vvilliſius ait: quartana fit *dum tenuior dulcis nutritius, vini ad inſtar incaleſcentis, atque inveteraſcentis, tranſit in acetum, ſique liquor melancolicus.*

Obſervabile namque eſt, quod qui plurimo ſanguine calido abbundant, magis parati ſunt ad febres quartanas ſic ætas conſiſtens, (quia tunc ſanguis a dulcedine puberratis, & juventutis declinans, ad acidam naturam magis, quam antea inclinare incipit] ad quartanas magis cæteris ætatibus prona eſt.

Nos altiùs geneologiram quartanæ inveſtigantes dicimus quod duorum ſuccorum nutritiorum duo ſunt naturalia excrementa, quibus tamen provida natura utitur pro ſuis neceſſariis muneribus obeundis. Alterum eſt bilis, cujus ortum progreſſum, & exitum, in antecedenti capite de tertiana deſcripſimus. Alterum eſt excrementum acidum ſeri alb. cujus incerniculum eſt lien, ſicuti bilis amaræ fuliginoſæ eſt incerniculum jecur.

Ea igitur quæ diximus de tertiana mutatis terminis de quartana dicantur ſcilicet; quod utrumque horum excrementorum, ſuam ordinariam generationis menſuram, & terminum naturæ notum habet; bilis ſcilicet generatur ſingulo die, *quâta eſt ſufficiens expultrici in inteſtinis, & chylificationi pro altero pugili.*

Succus pancreaticus (ſcilicet excrementorum acidum ſeri alb.) generatur quoque ſingulo die, in ſufficienti quantitate, quæ poſſit attemperare furorem, & impetum bilis ubicumque ſed potiſſimum inſerviat circa duodenum pro altero pugili, ad ineundam neceſſariam luctam, pro depurando, & perficiendo, chylo, qui mediante hoc alKali, & acido, in tertiam ſalinam naturam mutari debet.

Hæc igitur menſura excrementi acidi intrà ſua clauſtra lienis, pancreatis, glandularum abdominis, ac meſenterii, non excedens ſuam naturalem quotidianam menſuram, pauca exiſtens, non concitat febrē.

Sed tunc concitat febrem, quando ejus menſura quotidiana & naturalis excedit, & augetur; ex. gr. in duplum, vel triplum.

Et præterea ſtagnans in ſuis incerniculis, lienis, pancreatis, glandularum impeditis, djuturna ſtagnatione facta, majorem acredinem aquirit, qua mediante deindè excitat ſpiritum ſenſitivum, ut inſurgat ad ſui expulſionem, tempore & horis, in quibus magis in ſua minera turget.

Quatenùs verò impeditur ab obſtructionibus, vel aliis impedimentis viſcerum liber exitus per conſuetas vias per venas circulando reſſorbetur, & ad cor propelitur, ut per ordinarium motum fermentationis, præparetur, corrigatur, inde per arterias, procùl a vaſibus magnis cordis in aliquo ignobili loco relegetur; donèc in ſufficienti in quantitate adaucto tali acido excremento, & qualitate acri per moram adepto, iterum ſtimulet ſpiritum ſenſitivum ad ſui motum, & expulſionem, quod quidem contingere ſolet circa quartum diem.

Iterumque depoſitum excrementum a venis reſſorbetur ad cor tranſmittitur, & per arterias iterum in ſuam ſedem, ac mineram deponitur; quæ minera ſi fuerit duplex, duplex quartana conſtituetur, ſi triplex triplicabitur &c.

Contingitque id quod in ligneo vaſe Helmontiana contigit in quo cum ſtetiſſet diu acetum poſtmodum evacuatum, & vino, aqua, vel alio liquore repletum, citiſſimè in acetum vertebatur.

Niſi verò a ſpiritu fermentatore valido extra vaſa magna cordis propulſari poſſit, febris continua conſurget, naturam ſapiens muli melancolici, ſcilicet cum magnis, & læthalibus ſymptomatibus.

Prout ſepiùs contingere vidi, in aliquibus impacientibus febrem diuturnam quartanam geſtare, qui paulò ante horam acceſſionis, aſſumpta bona copia faſeolorum, & vino mero inebriati, ſe collocant in ſole, donec horrores pertranſierint; indè ſemivivi, ſine ſenſibus aſportantur ad lectum, ubi ſi ſpiritus impulſor validiſſimus fuerit, per omnem portam, hinc indè excrementa eliminantur; & cum febri ingenti duorum, vel trium dierum, terminum quartanæ imponunt; ſed ut plurimum ſit continua, & dubia ſpe, ſe de corio luſiſſe cognoſcunt, reſipientes.

Sed quia liquorum omnium motus circulariter in corpore humano procedit, præternaturalis hæc aceſcentia ſeri alb. communicatur ſtomacho (a ſero enim alb. provenit fermentum ſtomachicum) indè chylus præternaturalem acorem adeptus, fit fomes febris quartanæ, ſupetens materiā citiùs, vel tardiùs ad turgeſcentiā devenientē, & acceſſionē febrilē concitantē.

Aciditatis verò hoſtilis ratione, quę partes nerveas membranaceas viſcerum, ſpeciatim verò ſtomachi, ac inteſtinorum tenujum irritat, & laceſcit; impetu veluti convulſivo in eis facto, rigores, horores, frigus ingens concitat.

Copioſiùs etiam effunduntur latices hepatici, & pancreatici, qui in æqualiter conſtituti, atque invicem cōmixti, excitant præternaturales effervеſcentias, anxietates, vomitus, tuſſes, ſymptomata hypocondriaca.

Si igitur quæras cauſam tarditatis quartanarii circuitus, triplex potiſſimūm ſolet eſſe. 1. quia fit a lento, pigro, tardo frigidiori ſucco; quam ſit bilis flava.

2. Quia ſenſim, & tardiùs in ſuo nido morboſo cumulatur.

3. Quia lenta pituita minùs irritans eſt quam bilis ideò a ſpiritu ſenſitivo veluti contemnitur; neque ad ejus expulſionem inſurgit; niſi poſtquam copia moleſta, & acri qualitate ob diuturniorem moram ſtimulans, cogit ſpiritū ſenſitivū, ad expulſionē inſurgere.

Quandoque ex longa incaleſcentia prægreſſa febrium tertiarum aliquæ particulæ ſeri alb. contrahūt acorem acidum (ut evenire ſolet in omnibus liquoribus diù ſoli expoſitis) & ſic tertianæ febres, degenerare ſolent in quartanas; prout obſervamus contingere prægreſſa ferventi æſtate, & adveniente autumno, biliſque activitate remiſſa, ſeri alb. acor in aliquibus ejus particulis intenditur ac exaltatur; indè febres longæ, fræquenter ad cachexiam ducentes.

Si autem quæratur cauſa fræquentior diuturnitatis quartanæ dicimus, quod eſt fermentum ventriculi contaminatum, & in præternaturale acidum converſum, ideoque in ſtomacho quartanarii ſolet ingens fames excitari, ſed infelix deindè, cruda, & acida fit concoctio, cruditates verò iſtæ acidæ circulariter procedendo, fovent, & prorogant quartanam.

Donec a prudenti medico auxiliis aptis, tum aptæ dieta inſtituta, tandem dulcis chylus impetretur, qui maſſam ſang. dulcificari, & ad motum ſuum naturalis fermentationis deducere poſſit, & correctis liquoribus omnibus, viæ ad exitum excrementis aperiantur.

Deffinitur, quod ſit *turbata ſanguinis mixtio; ſeu præternaturalis fermentativus motus maſſæ ſang. quarto ſingulo quoque die ægrum affligens, cum intenſo rigore, ſiti, calore, ab acido melancolico fermento febrili, latitante in tubulis lienis, pancreatis, glāduliſq; meſenterii, & abdo-*

abdominis, seu in visceribus depurationi excrementitii acidi seri alb. destinatis, obstructis, vel impeditis, ne munus suum depuratorium, liberè exercere possint.

Pars igitur affecta, solent esse tubuli lienis, & aliorum viscerum depurationi excrementitii seri acidi albuginei destinatorum.

De quibus impedimentis, & obstructionibus observo, quod nemo neque antiquorum, neque neotericorum dubitat.

Præter verò lienem, & cætera viscera depuratoria, in choream quartanæ trahitur ventriculus, præternaturaliter affecto, & contaminato ejus fermento; indè in primis viis cumulatur materia cruda acida, quę inservit pro fovenda, & proroganda quartana, & quæ acida existens, obviam factam alKalinam bilem ligat, & secum in minera permanere cogit, negato eidem libero transitu, donec ambo cumulati, quantitate, & qualitate molesti excitent spiritum impulsorem, per venas ad cor circulando deducti, per fermentationem factam, in vasibus cordis concitatam sequestrentur iterum ad suam mineram demissi.

An verò materia quartanæ sedem suam habeat in corpore lienis, vel in eicis arteriis, & vasculis, quærit Jo: Helmontius nobisque rationabilius videtur potiùs ab arteriæ cæliacæ raris, acidum excrementum seri alb. ad lienem deferi, & in ejus vasculis contineri, potiùs, quam in substantia lienis congregari.

Idem dicatur de aliis visceribus impeditis in quartana, nam fiunt in his egris contumaces obstructiones in aliquo viscere, atque intemperies difficulter superabiles, ex limositate tartarea, amurca humorum, & viscosis succis acidis, ita ut minera quartanæ sit veluti tumefactio alicujus visceris in qua herens crassa materia in vasibus tenuibus, non admittit liberum circulantibus humoribus transitum, neque ut munus depuratorium suum obire possint.

Differentias quartanæ Riverius lib. 17. cap. 5. duas dicit esse. Alia enim fit a melancolia (naturali dicta a veteribus) quæ nihil aliud est quam pars crassior terrestrior cruoris, dicta etiam fex sanguinis; & a commixta fece seri alb. frigidi incrassati quæ constituit legitimam quartanam non adeò ferinam.

Alia fit ab atra bile vera, quæ verum melancolicum mulum constituit, ex duplici contraria natura constantem, nempè ex bile fuliginosa calida amara, & ex sero alb. aqueo acido frigido incrassato, quæ dignoscitur ex symptomatum violentia, nam urgent magis vigiliæ, anxietates, calor, sitis &c.

Duplex enim excrementum cruoris est, alterum tenue, scilicet bilis amara, alterum crassum, quod se habet veluti crassamentum; æqua omninò ratione, ac fit in igne culinario, dum ligna comburuntur, pars enim abit in fuliginem, & pars in frigidus actu cineres, quæ potentia ignem vehementem continent.

Duplex quoque excrementum acidum seri alb. est, tenue, lympha pedissequa valdè dilutum, aliud crassum, viscidum, quod pituitam viscidam, crassam obstruentem constituit. Ab his igitur succis, varia ratione commixtis, variantur quartanæ, & earum symptomata.

Legitima quidem solet primò, & per se incipere, absque ulla alia febre prægressa. Spuria aliis febribus supervenire solet ex assatis, incrassatis humoribus, ideò vehementior est, atque in cachexiam, & hydropem sepè degenerare solet.

Observamus quod ut plurimum quartanæ per sudorem, magis quam per aliam crisim judicantur, & quod quartanarii in singulis accessionibus, attenuata materia sudore solent. Hinc paritèr evenit ut æstivæ quartanæ porositatibus cutis patentibus facilius solvantur, quam autumnali tempore cutis porositatibus non adeò patentibus.

Obs. quod hic quartanæ mulus melancolicus tardiùs movetur a suo stabulo. Tardiùs removetur a vasibus magnis cordis, atque tardiùs instabulatur. Ita ut dubium esse possit sepè sepiùs, an detur verum interstitium; seu integra cessatio febris; nunquam enim ad perfectæ sanitatis officia facultates pervenire posse certum est.

Obs. quod in motibus universis suis, natura post sepiùs factos recursus, tandem (A fræquentatis actibus fiunt habitus) quasi assuescit, & consuetis temporibus movet, prout a partium enumeratione in singulis excrementorum expulsionibus videre est.

Quare in quartana idem contingere posse, & saltem tempus, & horam paroxismi facilitari, valdè rationabile est.

Obs. quod in quartana intensi, & longi horrores fiunt; quia materia efficiens quartanam est magis acida, quam in aliis febribus. Nullaque res magis hostillis est partibus sensitivis, atque nervosis fribrillis, quam acetum, & acida.

Obs. quod sicuti in tertiana prædominatur pituitæ succus biliosus, ita in quartana prædominatur bili pituita scilicet excrementum seri alb. acidum incrassatum. Rarò autem in quacumque febri sinceri isti humores peccant; secùs si sola bilis ex. gr. peccaret, intollerabilis febris ardens, sitis, & siccitas observaretur. Vel si sola pituita nulla sitis, nulla siccitas, nullus calor manifestaretur.

Quare rigorosè loquendo febres omnes (excepta ardente) sunt tertianæ spuriæ, quia omnes participant de utroque excremento, & variant solumodò ratione copiæ & ratione qualitatis commixti excrementi.

Ex hoc etiam dependet cita, vel tarda solutio febrium, exemplo inflammationum, seu tumorum; nã inflammationes omnes igneæ, dolorificæ factæ a bile sincera citissimè solvuntur, cum febribus vehementibus. Tumores omnes frigidi, sine dolore facti a pituita sincera, tardè solvuntur, & sine febri.

Obs. igitur quod materia peccans in quartana est liquor torpidus, sine multa irritatione, diutiùs manens in sua minera, quia est veluti familiaris, & amicus *spiritui sensitivo, tali enim excremento seri alb. natura utitur ad munienda intestina adversùs bilem*, ad musculorum interstitia, & artus lubricos faciendos; Sed bilem irritativam, quanto citiùs, semper eliminare procurat.

Obs. quod prævalente acido in quartana famelici fiunt, Prevalente bile in tertiana appetentia tollitur.

Obs. etiam quod cum sudore acidum olente quartana terminari solet, & quod proximus quartanarius, saltem ultra 20. horas prorogatur solet.

Obs. etiam quod frequenter fit lassitudo ostocopos, in febribus quartanis ob particulas acidas, vellicãtes partes sensitivas; quæ etiam sunt causę longi, & vehementis rigoris, experimento facto in ulcere tybiæ.

Instillatis enim duabus, vel tribus guttulis aceti, vel aquæ fortis, statìm æger contremiscere solet, & regere (si ulcus fuerit sensitivum, & mundum) sed instillatis etiam 20. & ampliùs guttulis fellis, vix aliquod incomodum sentiet æger.

Obs. quod quartanæ succedere frequenter solet cachexia, hydrops, quia sunt pariter morbi, qui ab eadem causa morbifica fiunt; scilicet ab excremento seri alb. acido, aqueformi, a liene, pancreate, & glandulis extravasato.

Observavit Plato noster, quod *semel correpti, a febre quartana non solent ampliùs corripi, inhærens in influentiis astrorum, ab astrologis observatis, saturnina enim*

enim influentiam morbosam, adversus vitæ Aphetam; non nisi semel in vita offeri observant.

Ideoque justa ratione a Doleo, & a Neotericis quartana Saturni filia vocatur; lepidamque historiam narrat cujusdam pictoris, qui depinxit quartanam aversa facie, & nudatis natibus fugientem, a trono sedentis sanitatis, medico querelante, & satellitibus eam capere volentibus.

Observat Kergerus lib. de fermentatione, quod citius, vel tardiùs singulæ res fermentabiles, fermentescunt; uvæ enim quo maturiores fuerint, citiùs fervere incipiunt; Immaturè autem uvæ multo tardiùs fermentescere incipiunt. Quæ res non parùm declarat, cur biliosus succus citiùs, melancolicus acidus succus tardius fermentescere incipiat.

Observator eximius inter neotericos Graef. observavit inæqualem motum variorum succorum in corpore nostro. Succum enim pancreaticum observavit atque spatio octo horarum, vix unciam unam colligere potuit. Bilis autem eodem spatio temporis, uncias duas collegit (subjungit deindè.)

Lentor quoque plurimum confert, ad collectionem tardiorem, & copiosiorẽ magis, vel minus; & sic ratione lentoris, vel tenuitatis, possunt febres mutari ex.gr. quartana in tertianas vel quartana duplicari. Si autem lentor sit tantus, ut ab arteriis, seu a vasibus cordis extrudi nequeat, tũc fit febris cõtinua, & mors.

Observabile est in febre quartana quod non totum serum alb. nutritium contaminatum, est causa quartanæ sed solumodò pars ejus excrementitia, solita demandari lieni, & glandulis depuratoriis abdominis secernenda, & excernenda.

Hinc est quod spermaticarum partium nutritio parum læditur, & sine magno virium dispendio, atque sine periculo tandiù durare possit. Si enim universum serum alb. in quartana contaminaretur, tunc horrẽda febrium malignarum symptomata consurgerẽt, potissimum cerebri officinæ seri alb. nam somniferi affectus, typhomaniæ delyria &c. inde deficiente partium spermaticarum nutritione, & concidentibus viribus, mors de vita triumpharet.

Obs. quod febris quartana ideò est difficilis curationis, quia obstructiones, & impedimenta in visceribus depuratoriis excrementi seri alb. sunt magnæ, & dyscrasiæ viscerum magis impressæ a quibus eorum fermenta subvertuntur.

Abile verò in tertianis (ob tenuitatem suam) obstructiones multò facilius tolluntur, & viscerum fermenta in pristinum restituuntur, ideòque febris tertianæ sunt breviores, & facilioris curationis.

Obs. pariter in febri quartana quod ordinaria, & vulgaria purgantia fermè nil prosunt, ob hanc rationẽ magnarum obstructionũ pertinaciũ, atque intẽperiei viscerũ, quæ a purgantibus istis tolli non consuevit.

Imò ab his vires depauperantur, atque agitatione majori calorifica in massa sang. concitata, sepè quartanæ simplices duplicantur, vel etiam fiunt cõtinuæ. Vel tenujori parte materiæ opilantis evacuata, indurãtur, incuneantur obstructiones.

Cur potissimum fiant quartanæ autumno, vel in locis palustribus; ratio plana est, quia tunc temporis incrassatur massa sang. exaltato sero alb. supra cruorẽ; ab externo verò frigore cutis porositates constipãtur.

Præterea massa sang. vini naturam habere solet; quę hyeme dulcescit; æstate vero solis calore fermentescẽdo in acetum transit. Sic pariter massa sang. hieme per pinguia, copiosa, optima edulia, optima vina, & longam nocturnam quietem dulcescit; in vere perficitur; deindè per æstivum calorem fermentescit, & in fine æstatis resoluta jam parte tenujori, dulciori, acetosam in autumno fieri consuevit.

Observavit Zac. Lusit. li. 1. hist. 30. quod Avicenas, ex eodem humore melancolico pauciore, & crassiore fieri quintanam febrem docuit; hanc Gentilis se vidisse refert; Octanam verò Valesius se vidisse narrat.

Obs. quartanarios, præter consuetum, plurimam urinam fundere; præ serò alb. acidiore excremento, cum pedissequa lympha, ad vias urinæ inclinante. In genere enim succus limonum, spiritus vitrioli, & acida, urinam provocare solent.

Obs. quod sumpta china febrifuga, lienis obstructiones, tensiones hypocondriorum, & similia, post paucos dies cessare solent. Claro testimonio, quod foveantur ab excrementis febrilibus, qui deponebantur, & ut ait Helmontius erant potiùs effectus, & producta febris, quam causæ febris.

Observavi in duobus, annum circa quarantesimum agentibus, quod cessata longa quartana, hernia intestinali laborantes, diù multis frustra tentatis, spontè nullis auxiliis adhibitis sanata est. Quia scilicet pessima Saturnina constellatio, jam præteriisset horum causa; atque feliciores constellationes illucescerent.

Signa.

Hujus febris diagnostica, atque pathognomonica clarè patent, ex deffinitione ipsa, seu ex motu accessionis febrilis de quarto in quartanum diem.

Incipere solet cum oscitationibus pandiculationibus præcedente frigore, inde horrore, postea rigor, fit cum dolore ostocopo membrorum. Pulsu raro magis quam in tertiana minusque fræquenti, ac vehementi. Calore paulatim increscente.

Urina in principio, cruda adhuc existente materia quartanaria; est alba, tenuis, aquosa, deindè fit declinante febri, crassior, coloratior.

Sudores primò pauci, indè copiosiores. Viscera inflata, flaribus quandoque torquentur, mæsti, solitudinem amantes.

Observavi in locis palustribus, potissimùm Adriæ Laureti, & Clanfurthi facilimè concitari quartanas & tumores lienis, oppillationes, inde cachexias, & hydropes, quarum causa maxima pars incolarum circa annum quadragesimum pereunt, decolorati, tussiculosi, Enerves, languidis viribus. Colore corporis plumbeo. In sinistro hypocondrio ubi intestinum colum inflectitur, tumefactiones, flatus nugitus persentiunt.

Corporis gravitates in ambulando persentiunt. Sputatores solent esse. Vitam sedentariam, & otium saturninum amantes, a quartana capti vix potentioribus auxiliis mercurialibus sanari possunt, nam vulgaribus auxiliis neminem certè sanatum vidi.

Prognostica.

Hip. 2. aph. 25. *Æstivæ quartanæ plerumque fiunt breves, autumnales verò longæ, potissimum quæ propè hyemem exoriuntur.*

Morbi omnes æstivi breviores esse consueverunt, quam autumnales; nam quartana æstiva causam solet habere copiosam bilem tenuem, mobilem, citò solubilem; præterea pori cutis sunt laxiores magisque aperti.

E contra autumnali tempore mortificatur, & comprimitur bilis mobilis; atque exaltatur excrementum seri alb. crassum torpidum; & præterea pori cutis a frigore angustiantur, & non admittunt adeò facilem excrementorum evacuationem, sicuti priùs.

Initio verò hyemis hæc ambo majora manifestãtur & pori cutis magis angusti fiunt. Quartanæ autem

sudore

sudore judicantur, vel saltem plurimum levantur.

Difficilis verò est sudor autumno; sed adhùc difficilior hyeme, quandò humores vigent frigidiores, & porositates adeò apertæ non sunt in cute, ut tardigrado mulo melancolico genito, viam ad exitum aperire possint; sed sufficit, ut passibus ambiguis recalcitrans, medicamentis; fieret asinus aureus pro medico, & esset bestia, cum tegmine palliativo valdrapæ medicorum in sæculis prægressis.

Sicuti igitur appellabatur olim obrobrium medicorum, rationabile est ut nunc prudentis medici corona, atque palmarium dicatur; brevi enim curatur quartana, si æger rectè institutæ victus rationi, & paucis medicamentis se subiicere vellit.

Hipocrates 2. aph. 36. *Febrem convulsioni superv*enire melius est; quam convulsionem febri.

Non omnis febris convulsioni superveniens, eam tollit; sed hoc est speciale beneficium, quod quartanæ adscribendum est (ut sit verum, quod nihil adeò est malum, ut aliquam non habeat rationem boni) & de qua Hip. saph. 70. convulsionem tollere expressis verbis scripsit.

Quartana igitur convulsioni superveniens, eam solvit, morbusque unus, fit alteri medella, rationabiliter tamen quia morbi frigidi (ex. gr. tetanus factus a pluvia, vel a frigore circa nucam itinerando suscepto) a febri calido morbo propellitur.

At quòd convulsio febri superveniat, res mala est; signum est enim fieri a siccitate, quæ a calore febrili non tollitur, sed augetur. Hip. 5. aph. 70. *A quartanis correpti; a convulsione non ad morbum corripiuntur. Si verò prius corripiantur & quartana deindè supervenerit, liberantur.*

Febrem quartanam habere rationem cujusdam absessus certum est; per illam enim sepè sepiùs solvuntur febres acutæ; vel morbi acuti, potissimùm in senioribus, vel circà autumnum, ut benè notavit Hip. in lib. prognosticorum.

Quartana adhùc, sine igneo calore esse non potest, & sine plurima bile admixta, licet prædominetur pituita Hippocratica frigida; quare calor bilis febrilis, concoquendo, dissolvendo, attenuando convulsionum materiam tollit.

Illud autem, quod morbos curare potest, eosdem morbos, præcavere facilius poterit. Quia verò convulsio, alia est in motu, ex. gr. Epylepsia, quæ convulsio in fieri dicitur; seu motus convulsivi epyleptici. Alia est in facto esse, & jam stabilita contractio ad suum principium, ut est ex. gr. tetanos, quæ fieri solet a materia frigida crassa replente, & abbreviante febrillas nervosas, motrices.

Rationabile est, quod Hipocrates potiùs loquatur de ista, quam de illa. Corpora enim quæ ad quartanam dispositа sunt, ob copiam crassorum frigidorum humorum pituitosorum quibus abundant, convulsionibus ex inanitione, (seu siccitate) corripi non consuevere.

Certum tamen est, quod quartana solvit multos morbos pertinaces, & longos ex. gr. paralysim, articulorum dolores, melancoliam; quoniam paulatim, & veluti per gradus alterat corpus, illud expurgare solet a recrementis omnibus. Excipitur tamen quartana in senili ætate adveniens, ratione enim fractarum ab ætate virium, fit periculosa, vel desinit in cachexiam, paralysim, & alios affectus malos.

In senibus igitur malus melancolicus quartanæ difficulter curatur, & difficulter frænum, & ephipium admittit, quia in senectute pauca quantitas probi seri alb. nutritii in cerebro generari potest, quæ sufficere non potest ad attemperandam, & dulcificandam acrem massam sang.

Stomachi præterea fermentum deficiente probo sero alb. difficultèr adeptum reduci potest; sed præternaturali aciditate excrementi seri alb. pervertitur. Quare difficillima fit solutio quartanæ in sene. Ideòque italorum vulgus jure merito dicit *La quartana ammazza i vecchi, e i giovani risana.*

Quartana ergo ut salutaris sit, debet esse in ætate virili, vel saltem in corpore firmis viribus prædito, sola, neque aliis affectibus complicata, cum bonis, & firmis visceribus, a longis morbis non intemperatis. Secùs non salutaris sed læthalis judicetur.

Hip. lib. 1. de morb. pop. *Securissima omnium febrium facilima tolleratu, & longissima est quartana nec solum ipsa a se ipsa talis est; sed ab aliis magnis morbis liberat.*

Hip. lib. 6. epid. *A quartana capti, a magno morbo non corripiuntur. Si verò corripiantur priùs, & quartana succedat liberantur.* Iam dictis rationibus.

Hip. 6. aph. 48. *Lienosis dysenteria superveniens bonum.* Observat igitur Martinus quod quartanarii plerique sunt lienosi, ideoque dysenteria his superveniens est salutaris; sed brevis debet esse talis dysenteria; quoniam in antecedenti aphorisma 6. aph. 43. dixit: quod *lienosi ad dysenteria capti, si longa superveniat dysenteria, hydrops superveniet, vel intestinorum levitas, & pereunt.*

Hip 6. epid. 4. *Febris quartana sex mensibus termin*atur, nec producitur ultrà annum.

Ratio autem hujus alibi à Talapo de diebus decret. habetur, quia scilicet cronici affectus eandé habent rationem versus solem, quam habent affectus acuti erga lunam, quæ in quatuordecim diebus circiter, vadit ad locum oppositum, & signum oppositum ei, qui fuit in die decubitus.

Sic pariter sol post sextum mensem vadit ad locum, & signum oppositum, & sic oppositum effectum scilicet sanitatem adducit, citiùs vel tardiùs pro cæterorum planetarum configuratione felici, vel infelici, anticipante vel procrastinante.

Hip. 2. epid. sect. 2. *Quintana febris pessima nam tabefactis supervenions eos interficit.*

Idem interpretantur Valesius, & alii auctores de aliis febribus melancolicis, erraticis, ab atra bile, humore sicco excitatis, quæ tabefactos, longo morbo consumptos interficiunt; signū est enim non generari amplius serum alb. nutritium, probum, quod possit partes spermaticas nutrire, ac vires fovere; & sic pereunte nutritione, de vita actum est, prout passim inculcamus.

Ideò quartanæ autumnales pertinaces febres sunt, quia avolantibus particulis tenuioribus, dulciorибus massæ sang. per calorem æstivum, residuæ particulæ potissimùm seri alb., acidā naturam contrahunt non dissimili ratione, ac fit in vino, & aliis omnibus liquoribus dulcibus, per calorem enim æstivum omnes acescunt.

Universaliter ex se non est periculosa quartana in robustis, & juvenibus; ideò itali dicere soliti: *La quartana non fa sonar campana*, fit enim in his ab humore torpido, miti, & non admodùm hosti illi, neque adverso spiritui nostro sensitivo. Vel nobis si fieret a ferino, & vero mulo melancolico, seu a vera atra bile; omnes enim isti parirent, quia veneni naturā sapit.

Sed fit ab aqua lienosa, melancolica in pancreate vel glandulis abdominis stagnante, quæ titulo succi acidi pancreatici venire solet, dum copia, qualitate peccans, impeditur, ne liberè per consuetos canales excurrere, & expurgari possit.

Attamen licet periculosa natura sua miti, non soleat, esse quartana periculosa fit irritata, contempta, & data occasione ut humor quartanarius, fiat materia alterius morbi acuti, & letalis, dū acuitur, & exasperat.

Crato in conſ. 257. dicit *nunquam perfectè recedere quartanam in ætate provecta, quia relinquit* (veluti diabolus adjuratus ab exorciſta recedens) *aliqua ſui veſtigia in viſceribus, affectus ſcilicet lienis, vel hypocondriacos, & alios difficilis ſanationis.*

Tuta quidem natura ſua eſt quartana ſed propter temporis diuturnitatem, in ægris impatientibus, vel inordinate vivere volentibus, quandoque periculoſa fit, facto tranſitu in continuam, vel in morbum acutum aliquem.

Errata verò in quartana quæ pejora committi ſolent, ſunt circà potiones, nimias, vel aquoſas, vel nimis potentes, a quibus confirmantur viſcerum oppillationes, impedimenta atque intemperies; quare ægri ad hydropem, cachexiam, vel ad hypocondriacos graves affectus rapiuntur.

Vel ad ſcorbutum feruntur, aut ad icterum nigrum.

Vel tandem lapſa nutritione tabidi intereunt.

Quæ autumno incipit quartana verno tempore ex ſe terminari conſuevit. Earum quæ circa finem æſtatis contingunt, primus terminus ſolet eſſe parùm ante proximum ſolſtitium hyemale, quo tempore niſi ſolvatur, ad ſummum circà proximum futurum æquinoctium ſolvitur.

Tempore etiam verno, multò facilius curatur, quam quovis alio tempore.

Apetitus proſtratus malum ſignum exhibet, & ſepè exitialis eſt, nam eſt alienus ab acido, quod in quartana prædominari ſolet; quare præ inopia nutritionis vires concidunt, & contabeſcunt &c.

Hemorohagia quoque in quartana detellabilis eſt quia majorem in maſſa ſang. ſiccitatem introducit, & arguit *tenuitatem materiæ præternaturalem quartanæ inſolitam.*

Urinæ autem turbidæ nigræ, quæ in aliis morbis periculoſæ ſunt, in quartana cum aliis bonis ſignis apparentes ſalutares ſunt.

Cælſus lib. 3. cap. 15. ait: *quartana neminem jugulat; quia cum ſit humor frigidus craſſus, acuitatis, & violentiæ expers, ob eius longam intermiſſionem natura recreatur, & reficitur. In aſſiduitate enim acceſſionum, atque ſymptomatum periculum conſiſtit.*

Hip. 3. progn. 7. *Quartana quandoque malum exitum habet; quando poſt morbos acutos oritur vel quando iam viribus fractis ſupervenit.*

Galenus in 1. epid. ſect. 3. com. 4. *Illa quartana gravis, & moleſta eſt, quæ a vebementi lienis vel alterius viſceris affectu, vel intemperie fit.*

Lienoſi quartanarii facilimè ad hydropem rapiuntur, ſi potiſſimùm quartana ſit multiplex.

Galenus lib. 1. epid. ſect. 3. *in propria perſona ſe expertum eſſe teſtatur, quod quartana non ſolùm ſecura eſt, ſed a magnis morbis liberat.*

Galenus in com 5. aph. 70. quod *quartana capti, aliis morbis non ſolent tentari; vel ſi his ſupervenerit, liberat &c. teſtatur multos epylepticos a quartana liberatos fuiſſe tum a lepra, tum a varicibus, tum a tumoribus lienis & aliorum viſcerum &c. non tamen liberantur iſti, niſi rigores huius febris, ſensim & ſenſim imminuantur, & tandem evaneſcant. Hoc enim ſignum eſt maturationis, atque concoctionis materiæ morbificæ.*

Senes ultrà Sexageſimum annum a quartana correpti, raro evadunt, quia calor eorum debilis materiam adeò contumacem vincere nequit. Sed melior ratio eſt, ſecundum noſtra principia, quia ſenes paucam ſerum alb. generant nutritium, dulcem; & plurimum coacervant ſeri alb. excrementum acidum, quod quartanam fovet, & auget, deficiente verò ſero alb. nutritio dulci, jam non relinquitur alius humor, qui materiam acidam quartanæ attemperare poſſit; membra nutrire, vires & facultates fovere; indè mors &c.

Th. Vvillis obſervavit quod *quartana recens fuit paroxiſmos graviores, & vires magis concutientes, ſed in progreſſu leviores fiunt. Si autem longiùs hæreat quartana ſpuria, in affectum ſcorbuticum, vel hypocondriacum tranſit. Poſt etiam quartanam longam dolores circa oſſa in aliqua parte relinquuntur.*

Idem lib. de feb. cap. 4. ait: *Sepè tertiana tranſit in quartanam mediante alteratione quam ſubit maſſa ſang. deflagrando, & declinando a ſtatu acri bilioſo, in acidum; dum ſuccus nutritius* (noſtram ſerum alb.) *a calore præternaturali pervertitur.*

In quartana ſi fiant ſanguinis eruptiones; difficulter judicantur ægri. Quia ſcilicet ſiccitas major introducitur.

Indicationis.

Eliiciantur ex cumulo indicationum univerſalium pro febribus antecedenter in lib. 1. &c.

Curatio Quartanæ.

Præter univerſaliter dicta in cura febrium lib. 1. &c. hæc peculiariter dicimus.

Circà ſanguinis emiſſionem per venam ſectam, ne quidem cogitandum eſſe; quia peccat humor alienus a ſanguine, atque cacochimia univerſaliter vigere ſolet.

Si tamen fortè fortuna ingens plethoria vigeret in quartana ſpuria, facta potiùs a fæculentia, & reſſidentia copioſi ſanguinis, tunc tutò admitti poſſet; ſed in principio quartanæ non in ſtatu & jam contaminata maſſa ſang. rationibus lib. primo adductis.

Si etiam ex ſuppreſſione hemorhoidum, vel menſtruorum in ſanguineo quartana ortum duceret; ſanguinis miſſio, vel potiſſimùm hemorhoidum apertio conduceret.

Rivérius lib. 17. c. 5. de quartana: *Hemorhoidum fluxum in quartanis eſſe uti limum dicit.*

Externa auxilia carpis adhibita, ſunt valdè celebria his noſtris diebus, quæ potiſſimùm conſtant, ex tellis araneorum cum ſuis araneis interfectis, unguento populeo admixtis, ex quibus conficitur linimentum Strobelbergeri.

Vel ex colachico, & aliis cauſticis, ex. gr. allio aruſticis Lombardis adhibito cum fructu.

Spiritus vini regioni ventriculi a Cratone commendatur, quod ſi abſynthio, myrrha, & amarulentis imbutus fuerit, validius aget.

Vel præſente etiam alui ſtypticitate plurimo aloe, gummi gutta, hellebori albi pulvere, modico ſpiritu vini excepta per modum emplaſtri ventri applicita, ſtrenue purgant ægrum; & torpidas materias cum comovebunt.

Zac. Luſit. lib. 4. prax. med. cap. 25. *Subitos factos motus vel animi, vel corporis, quandoque inveteratas quartanas ſanaſſe ſcribit.* Sic narratur de aliquibus, conſultò dictis in aquis (aparatis jam retibus, & captoribus) timore improviſo incuſſo, vel ab armatis, vel a nunciis inexpectatis, vel a magna concitata ira, a quartana convaluiſſe. Non rari pariter a magnis commotionibus, & laboribus ſudoriferis corporis, ſanati fuere.

Th.

Th. Vvillis cap.6. de quartanis Teſtatur *ſeptialiſmo procurato per mercurium quartanas ſanaſſe, pro qua indicatione, nil melius quam ſingulo mane exhibere Dr.j. mercurii dulcis, cum pulvere Cornachini*, hàc enim ratione certus eris, quod per ptialiſmum concitatum (debet enim quatuor vel quinque diebus repeti, donec ptialiſmus appareat) viſcera deſtinata depurationi excrementi acidi ſeri alb. omninò ab impedimentis liberabuntur, & aperientur, adque ſuum munus reſtituantur.

Hip. in lib. de aff. curam quartanæ adamusim tradidit ſit.

Si quartana apprehenderit, & æger impurgatus fuerit, primum caput purgato (quia à cerebro provenit excrementum acidum ſeri alb. ſeu pituita Hippocratica, quæ eſt præcipuum fundamentum febris quartanæ) *deindè interpoſitis tribus, vel quatuor diebus, medicamentum ſursùm purgans in ipſa acceſſione exhibeto.*

Saxonias fatetur nil præſtantiùs ad inveniſſe, quam *vomitum quocumque tempore quartanæ procuratum in acceſſionibus*, ſed pro faciliori, & minùs moleſta ſiccitate vomitu, vult ut hora una, vel altera antea, exhibeatur cibis.

Paracelſus, & Helmontius mercurio diaphoretico ſuo *febrifugo univerſali, quartanas omnes fugari docent. Vel unica ſumptione arcani corallini Paracelſi* (eſt mercuriale hemeticum inſigne, equivaleus Herculi Bovii) *ſe quartanas ſanaſſe gloriatur Helmontius.*

Vvillis (ut diximus) *ſalivationem mercurialibus ſuadet*. Nos mercurio dulci ſingulo die ad Dr.j. cum pulvere cornachini exhibito vel donèc incipiat comparere ſalivatio mercurio dulci ad Dr. v. cum conſerva abſynthii facto bolulo mane ſingulo oblato comparebit ſalivatio, per quam pertinaciſſimas quartanas me ſanaſſe teſtor.

Et hoc in me ipſo quartana affecto fideliter expertum fuiſſe teſtor, dum opillationibus pertinaciſſimis in locis Adriæ palluſtribus aquiſitis; magna difficultate ab eis, & a quartana me liberare potuerim, facta etiam mutatione aeris itineri longo.

Pro certo enim, & infallibili tenendum eſt, quòd pro ad aperiendis, & liberandis glandulis, & viſceribus depuratoriis ſeri alb. excrementitii, vix in orbe certiùs, & validius auxilium reperietur mercurio.

Sublimatus autem dulcis, ex omnibus præparationibus mercurii eſt magis amicabilis naturæ, & minus moleſtus, inſenſibiliter ſine moleſtis vomitibus, vim ſuam exercens.

Tota autem cura quartanæ conſiſtere ſolet in removendis impedimentis glandularum, & viſcerum inſervientium depurationi excrementi ſeri alb. ut ſuo muneri depuratorio fungi poſſint, & ſerum alb. depuratum neceſſariæ nutritioni ſpermaticarum partium reſtituatur.

Vvillis non ſolus, ſed fermè omnes magis reputati Neoterici *mercuriale, vel antimoniale hemeticum paulò ante paroxiſmum exhibent*, & hoc ſepiùs repetunt, non pro tollendis quartanis tantummodò, ſed pro pertinaciſſimis quibuſcumque febribus.

Quare horum monitis ſuffultus, penes plebem Clangfurthi nomen refuggii deſperatorum febricitantium adeptus ſum, qui turmatim ex urbe, & pagis circumvicinis ad me veniunt, quibus jubeo ut ad ferant ad me attripulam, in qua colloco Dr. v. vel amplius croci metallorum; & iubeo ut ſuperponant vinum album, ſtatque aliquot horis, donec vinum clareſcat, & hora una circiter ante acceſſionem bibant vinum, relicto pulvere in imo ampullæ, ut iterum inſerviat in paroxiſmo eodem modo poſt factam infuſionem; rari enim ſunt, qui tertia vel quarta purgatione facta non convaleſcant, imò plurimi unica ſumptione ſanantur.

Pro delicatis verò perſonis a vomitu abhorentibus mercurii dulcis gr. xii. cum ſtybio diaphoretico & diagridio atque cremore tartari an Dr. v. bis, vel ter exhibeo, quinque horis poſt acceſſionem quartanæ, deinde jubeo, ut ſummant pullum chinatum meæ inventionis, exaratum in lib. 1. & ſic, ſine moleſtis auxiliis liberantur a quartana.

Aurum fulminans a neotericis ad gr. v. pro ſummo ſpecifico decantatur in quartana ſed ego potiùs confideré in Hercule noſtri concivis Bovii, ex auro cum mercurio præcipitato ad gr. v.

Vel potiùs in meo mercurio præcipitato infornacibus munitioni, ſine ulla corroſivorum, aut alia quavis additione; ſed ſola vi ignis aſſidui, ac vehementis in ampulis cepiformibus, habentibus unicum tenuiſſimum foramen, ad formam tritorii in ventre, per quod mercurius currens immitti poſſit, taleque foramen apertum relinquitur, ut ſpiritus indomiti ſilveſtres mercurii evolare poſſint, ſine vitri fractura, de quo multa in libris meteorum ſcripſi.

Sed curioſa eſt Lombardorum ruſticorum cúratio, quartanæ, qua multos curatos certiſſima relatione ſcio. Statim ad primos motus acceſſionis quartanæ, accipiunt ingentem ſcutellam lactis vaccini nuper emulcti, & ſtatim ſuperbibunt ciatum parvum aceti, deindè poſt horæ quadrantem circiter, ammiſſa pena, vel digito in gutture, vomitum excitant; nam circà finem vomitus, obſervant venire materiam flavam amaricantem, deinde nigram, (*a concuſſionibus vomitus, a veſicula fellis depulſam*) quam dicunt eſſe venenum quartanarium; & ſic tertio, vel quarto paroxiſmo, ſervato hoc artificio vomitus, certo experimento ſe liberant a pertinaciſſimis quartanis.

Hanc fulliginem quoque cruoris deiici per antimonialia, tum mercurialia hemetica, ſepiùs obſervavi; quam venire a folliculo bilis, & non a liene, vel alibì certior factus ſui, ab apertione cadaverum melancolicis affectibus diuturnis conflictatis.

Eadem omninò curationem mihi confirmavit, dux quidem Gallus, qui innumeros millites in exercitu curaſſe a quartana hac exhibitione lactis, deindè aceti; hoc fideliter ſe preſtitiſſe jurans, & ſanaſſe febres ſemper.

Mihi certa experientia conſtat, quod vomitoria in febribus intermittentibus, & potiſſimùm in quartana ſumoperè proficua ſunt, cuius radicem averuncare ſolent.

Propinari verò debent in principio, vel paulò ante principium paroxiſmi, tunc enim materia [ſecùs frigida, torpida, fixa, veluti in ſua ſede] movetur a ſpiritu ſenſitivo calorifico, & removetur a ſuo ſedili, ut feratur ad cor & in vaſibus ejus concitetur fermentatio.

In quo opere ſi ſpiritus ſenſitivus invitetur ad expulſionem per vomitum, breviori via ducit materiam febrilem ad inteſtinum duodenum, inde ad ventriculum, ut deiiciatur, & ſic criſim anticipare ſolet, materia cruda dejecta. Vel ſaltem materia immutata, febris procùl dubio abbreviabitur.

Quod ſi etiam ſpiritui noſtro ſenſitivo copuletur & aſſocietur in opere tenuiſſimus ſpiritus mercurialis, tunc materia craſſa nulla eſt, quæ non attenuetur, nullæ viæ quæ non aperiuntur excrementis, & ſic ſanitas comparatur.

Certè obſervatum fuit longas, & pertinaces quartanas

tanas tolli salivatione mercuriali; sed tamen ad hanc molestiam salivationis tollendam, sic incedere debemus. Exhibeatur singulo die Scr.j, mercurii dulcis cum pulveris Cornachini Dr.5. parato ex an gr. x. stibii diaphoretici, diagridii, & cremoris tartari. Vel solus mercurius dulcis ad gr. xv. facto bolulo cum theriaca; nam post tertianam vel quartanam ab exhibitione mercurii, & sequenti die exhibeatur infusio rhabarbari, agarici, & senæ cum syrupo rosaceo; nam statim aperto inferiùs aluo cessabit salivatio, facta leni quadam diarhea.

Certificatusque sum mille experimentis, quod mercurius dulcis, si cum aliquo purgante per alvum exhibeatur, nullam promovebit salivationem.

Quod si fortè fortuna, materia quartanæ ortum suum ducat a sero alb. semel antecedenter contaminato a lue Venerea prout sepissimè contingere solet, in hoc depravato sæculo in quo rari numerantur qui contaminati non fuerint) tunc certissimam victoriam quartanæ tibi promittere potes, quia mercurius est certissimus fugator hujus pestiferæ Veneris, quæ pantomorphos, sub larva variorum morborum comparere gaudet.

Contra tamen nostram, & Neotericorum experimentorum certitudinem, armantur adversarii auctoritate Galeni 1. ad Glauc. cap. 11. qui ait: *quartanam in principio leniter tractabis, atque nullum validum medicamentum, evacuans exhibebis; si enim aliter feceris, ægrum in mala mortis adduces, nam ex simplici duplex fiet quartana imò triplex, & continua. Humor enim in principio crudus, rebellis, contumax, medicamentis non cedit, atque resoluta parte tenuiori, parteque crassiori relicta, beneficium concoctionis naturalis tardè admittit, & morbus major fit. Crudo namque humore existente, medicamentum eradicantium non evacuat vasa, sed exhaurit, humidum & membra colliquat, hinc fit virium summa imbecillitas, agitaturque humor rebellis, & magis accenditur. Neque sola purgantia in principio nocua sunt; sed inutilia quoque diuretica, vel sudorem provocantia, insensibiliter digerentia, ut theriaca, mitridatum, & similia sunt.*

Quibus plano, & unico verbo nos experimentalis philosophiæ professores respondere possumus quòd quando experientia in sanatione quartanæ aliter docet (quæ est rerum magistra est) non attendimus ad metaphysicas nugas Galeni, neque Aristotelis. Dignentur igitur exhibere vomitorium mercuriale, ut suprà ostensum est, in quartana, & exitu felici confundentur, sine contentionibus.

Excusatione enim dignum reputamus Galenum, & antecessores, qui mercurialium, & antimonialium medicamentorum vim, spargirica, & Hermetica præparatione concinatorum experti non fuere ut ipse Galenus fatetur lib. simpl. nisi pro suis sironibus tollendis.

Sed neoterici desperatorum, & secùs insanabilium morborum, hæc unica esse axilla, & refugia infallibili experientia testantur. Neque in terris reperiri magis accommodata auxilia, pro morbis a mulo pertinacissimo melancolico factis, quam mercurius, & antimonium, quæ non expectant maturationem succi, qui maturationem omnem renuit, intractabilis, & toto genere præter naturam nostram, calidam humidam; frigidus, siccus humor-existens; sed sine maturatione temporis, ut irreconciliabilis hostis, expellendus est. Quis est enim, qui maturationem muli mel cancrorum expectet; quis hydropem per maturationem sanavit. Falsum est ergo, quod semper crudus humor evacuari non debeat; prout pessima & læthali cunctatione Galenici obstinatè defendunt experimentis oculos, & aures claudentes.

Invenimus penès Galenum, *vomitum in die intermissionis comendatum ante cibum;* sed mulo melancolico jam in suo stabulo firmato, vana est omnis tentatio, ut indè removeatur, expectetur igitur, ut sit in vim, & cautè frænari poterit a medico experto.

Fatemur autem, quod timidis, & inespertis medicis, placidis, & sine ullo incommodo medicamentis uti solitis, (nequissimi adulatores, qui ægros ad sepulcrum blandiendo ducunt; magnis enim morbis magna remedia adhibenda sunt) sepè contingit, ut vulgaribus purgantibus, vel aliis propinaris, in vitæ pericula adducunt ægros quartanarios; stulta enim ratione aggredi, & occidere volunt ursum, vel lupum, fuste vel baculo, & magis exasperant; non sic si igne, & sclopeto usi fuissent. Ideò.

Observavit Riverius cent.3. obs. ult. *a purgantibus vulgaribus quartanam duplicari, imò continuam fieri*; quare de suo triplici Hercule, seu mercuriali febrifugo ait: Hactenùs febris quartana pro incurabili habita est; Deo favente reperii medicamentum, quod nunquam exhibui, quod tertia saltèm exhibitione, febres longas tertianas quartanas non sanaverit. Comparatur hoc præcioſum medicamentum, ex triplici Hercule, nempè *sale, mercurio, & antimonio, duodecim destillationibus, ad summam nobilitatem evectis, quibus tandem spiritus vini additur pro operis complemento.* Datur pueris ad gr. x. vel etiam ad gr. xv. adultis ad gr. xxx. & ultrà. Blandè operatur juxtà dosim exhibitam; aliquandò vomitum concitat, si materia hæreat circà ventriculum.

Ingenuè tamen nihil aliud esse fatetur, nisi præcipitatum dulcificatum Artmani, ex auro On. v. (solutis in aqua forti, in qua loco salisarmoniaci, solutum sit salmarinum; Ex mercurio On. jv. ex antimonio On. j.]

Hæc seorsìm soluta confunduntur, per retortam extrahitur aqua fortis, & iterum atque iterum repetenda est destillatio, donèc ignitionem sustineat. Demum septies cum spiritu vini destilletur, & quantum fieri possit materia figatur.

Sed sine tan longo labore Riverius passim fatetur se febres tertianas & quartanas *mercurio dulci communi, titulo calomelanos, cum scamonea Scr.v. exhibito feliciter sanasse.* Pro varia ætate, condictione utebatur singula vice usque ad Scr.j. mercurii dulcis. Nos addimus an Scr.v. stibii diaphoretici, & salis tartari; estque auxilium blandum, quod sine ullo incommodo, & nausea, facto bolulo cum rob de sambuco, potest sepiùs iterari.

Loco igitur mercurii solaris propositi a Crolio. Artmano. Scrodero. Beguino, & aliis ferè omnibus neotericis, pro tollenda sine incommodis vomituum febri tertiana vel quartana pertinaci, sufficere potest mercurius dulcificatus per arteficium omogeneum vulgare, &c.

Raim. Janfortis meus præceptor, qui secùs a medicamentis Hermeticis alienus erat, cent.2. cons. 56. postquam ab experientia plurium sanatorum a quartana per hemetica convintus fuisset, jubet ut *quartanariis offeratur grana vii. florum antimonii.*

Amatus Lusitanus, Gentilis, *in accessione hemeticum esse exhibendum inculcant, exemplo Hipocratis in lib. de aff. tunc enim materia febrilis facilem exitum invenit.*

Aetius pro purgante utebatur in quartana *lacte asini Hippocratico modo; scilicet ab heminis tribus ad sex* (hemina antiquorum erat novem unciarum) *& hoc pluries repetebat.*

Hoc auxilium a nobis commendaretur, in valdè extenuatis, debilibus, melancolicis, longa pypocon

condriaca affectione laborantibus, in quibus viscerum opillationes lapideæ, vix alio, quam lacteo hoc auxilio tolli possunt; quibus etiam balneum, & alia adhibenda essent, pro melancolia assata debelanda &c. tum aperientia tartarea, salarmoniacalia ante balneum.

Sed nostro jam sæculo inclaruit nobile auxilium, quod si occultari potuisset, & ab unico tantum medico dispensaretur, pro terreno numine aris, & thuræ digno, ab antiquis reputatus fuisset. Sed quia jam vulgare est, vilescit; & tanquam res nulla arte patrata, a sagacioribus medicis vituperatur, & arte potiùs palliativa, mundum qui decipi gaudet, decipere gaudent, & lætantur. Non sic tamen agunt veri christiani, charitate flagrantes in proximum, & qui aliis faciunt, quod sibi fieri vellent.

Tale igitur nobile auxilium est china, de cujus variis administrationibus antecedenter plura exaravimus. Hoc loco sufficiat addere, quæ doctissimus Th. Vvillis nobis tradidit sic: *Cbina febrifuga, exhiberi potest, absque præmissa purgatione &c. in massa enim sanguinis, vim suam exercet, eam alterando, neque tamen viscera irritat, neque excretionem, neque molestias facit, quia non irritativa, per plures dies insinuata cum massa sang. circulatur; tandem vim suam activam amittit. Si autem cbina pluribus diebus cum amicabilibus naturæ (ex.gr. vino, vel cibis) reiteretur, diutiùs quoque vis ejus in massa sang. integra manebit. Hoc idem observamus contingere, in quibusdam simplicibus venenosis, vel etiam alexiteriis, quorum unica exhibitio breviori tempore; per plures dies repetita exhibitio; longiori tempore in massa sang. vim suam exerere possunt, ita ut locus, & tempus sanitati introducendæ adducatur.*

Sic observamus in illis quibus toxica propinata fuere; quod licet mors evitetur, attamen in massam sanguinea per aliquod tempus infectio virulenta servatur. Ideoque pessimus, veneficus homo Pedesinus mantuanus dictus, incautis tortoribus judicibus mantuæ in tortura currentibus, ex quibus suam aquam conflaret, vulgare toxicam ebullitum esse dixit; sed in hoc consistebat mors hominum, quia non unica die, sed pluribus diebus sensim & sensim cum cibo vel potu exhiberi debebat; donèc spiritus defatigaretur, & sanguis contaminaretur; nam unica vice, si etiam in magna copia exhibitum fuisset; insurgente valido spiritu, & vomitu facto, tum undique apertis excrementorum viis, ad contaminandam sanguinis massam, non admittebatur, &c.

Idem quoque experiuntur in alexipharmacis, ex. gr. venatores viperarum, debent enim, bis saltem in mense sumere theriacam, ut sint securi a morsibus viperarum, quod si diutiùs theriacam sumere procrastinaverint, a viperis de morsi pereunt, vel malè habent diuturno tempore.

Idem de mitridate rege dicitur, qui ne duceretur in triumphum a Pompeo veneno sumpto mori non potuit, quoniam suo antidoto massam sang. diuturno tempore imbuerat.

Hinc ratio vera deindè deducitur, cur post circiter duas hebdomadas, ab assumpta semel china, febris redire solet; quia scilicet omnes particulæ chinæ massam sang. inficientes evolavere, a quibus opiata quadam ratione spiritus, simul cum massa sang. conjuge detinebantur veluti sopiti, ne in fermentationem febrilem erumperent.

Cujus rei magnum indicium est; quin si post aliquot dies medicamentum purgans exhibentur, statim veluti expergefactus spiritus sensitivus, ad universorum præternaturaliter in corpore existentium expulsionem insurgit, & sic quandòque febrem majorem antecedenti concitat.

Sed si pluribus diebus, in usu chinæ cum alimentis perseveretur, datur naturæ tempus, ut viribus reassumptis, & optima victus ratione adjuta, possit sensim, & sensim per consuetas excrementorum vias, materiam febrilem maturatam eliminare.

Sic post ictus venenatorum ex. gr. canis rabidi, massa sang. magnas alterationes non patitur, & si alexiteria diù continuentur, donec corpuscula venenata penitùs evolaverint, sanantur. Vel si remedium nimis parcè summatur, vires veneni repullulant.

Chinæ igitur cortex amaritudinem, cum quadam stypticitate habet, qualis reperitur in plerisque alexipharmacis, tum in opio, gentiana, contrahierva, serpentaria &c.

Hoc etiam admirabile sepiùs observavi, quod post recta ratione exhibitam chynam cum cibis; statim facultas naturalis, seu nutritiva potentia exurgit, atque cachexia consueta in febribus tertianis vel quartanis, cronicis tollitur; venter induratus, viscera tumefacta detumescunt; quia cessante febre, cessat proventus excrementorum, a quibus isthæc fovebantur.

Alterantia verò, quæ quartanæ febri accomodari possunt, ex alterantibus in communi propositis in lib. 1. elici possunt. Specialiter verò pro febri quartana commendatur radix gentianæ, infusa in vino acuato sale tartari, & sale armoniaco, nam sepiùs exhibita, quartanas tollere consuevit.

Accomodata pariter auxilia quartanæ sunt salia fixa herbarum, absynthii, centaurei, arcanum duplicatum, *oculi cancri*, sed volatile succini, salarmoniaci, cum laudano opiato.

Si in ventriculo acidæ cruditates manifestentur, & oppillationes a muco acido in primis viis, præter cætera absorbentia valebunt præparationes martiales, sal præcipuè martis cum salibus fixis herbarum tum acidulæ martiales, tum spiritus vitrioli, cum potionibus ordinariis.

In tali etiam casu, comendabile auxilium esset: ℞. myrhæ Dr.v. extrac. rhab. gentianæ, centaureæ minor; theriacæ an Scr.j. M. F. pillulæ, quarum dosis sit Scr.j. vesperi ante cænam.

Tincturæ quartanariæ a plurimis proponuntur quæ fieri solent, ex corticibus chinæ, gentianæ, centuarii minor carduo bened. theriaca in spiritu vini, affusis aliquot guttulis spiritus salis armoniaci. Cujus tincturæ in jusculo exhibeatur coclear unum mane singulo jejuno stomacho.

Ad acorem absorbendum circà stomachum & primas vias molestantem in senibus, & condictionibus frigidis; exhibeatur aqua cinamomi, aquæ cordiales temperatæ melissæ boraginis &c. cum margaritis, oculis cancri, pul. testaceorum matre perlarum, cum syrupo de corticibus citri, facta mixtura cocleatim sumenda.

Sanata quartana quia post se malam in visceribus diatesim, & laxitatem relinquit, desistendum non est a deopilantibus amaris, confortantibus, martialibus, diureticis, salinis spleneticis. Suo tempore mittantur ad acidulas. Vel in usu seri lactis, cum cremore tartari vitriolati, diù persistant.

Vniversali applausu celebratur theriaca in quartana, quia Galenus lib. de ther. ad Pis. ipsam magnificavit; sed cum magna cautella exhiberi debet, scilicet expectata declinatione febris (quæ difficilis est cognitus in humore difficilimo, ut concoquatur) secùs protestatur Galenus quod *si ante coctionem offeratur, ex simplici fiet duplex quartana & pejor, prout quandoque meis amicis medicis contigisse vidi.*

ARCHIG. VENETO VENEZIA

Mix-

Mixtura *Sylvii* ad quartanam talis est. Rx. aquæ pettoſellini, ſrniculi an on.ii. Aquæ vitæ theriacalis mattioli on.i. ſ. ſalis volat. ſuccini ſcr.ii. ſyr.card benedicti on.i. Miſſæ exhibetur *aliquoties* inde cochlearim, ante verò paroxiſmum tribus horis, tria cochlearia propinentur.

Sed chinæ uſus *in pauca* quantitate cum cibis, eſt ſuper cætera *medicamenta* commendabilis, quia ſine ullo incommodo, ſecuriſſimè adhiberi poteſt diuturno tempore, etiam ultrà menſem, non ſolùm in febribus; ſed in affectibus quibuslibet melancolicis, quorum plurimas hiſtorias recenſere poſſem, & oſtendere quod amarore ſuo eſt præſtantiſſimum auxilium adverſus acidam melancoliam, & univerſos affectus ab excremento acido incraſſato ſeri alb. provenientes; cruditates minuendo, fermentationes maſſæ ſang. ſiſtendo, & ſanguini compagem firmiorem exhibendo.

Riverius cent.2. obſ.46. teſtatur; quod *non ſolum quartanæ ſed omnes febres longæ tolluntur ſumptæ in declinatione thariacæ ad Dr. i. in aqua plantaginis manè per triduum, ſed ſi morbus adhùc crudus fuerit, certè augebitur.*

Sic Galenus lib. præſag. ad poſtumum cap.2. medicis Romanis contigiſſe narrat, *quod Endoma theriacam exhibuere, crudo adhuc morbo exiſtente, & quartana ſimplex, in triplicem verſa eſt. Poſtmodum expectatis ſignis coctionis Galenus eandem theriacam exhibuit, & ſanatus eſt.*

Svvelferus proponit pro efficaciſſimo, cremorem tartari calibeatum, tum medicamenta ſalearmoniaco parata.

Quercetanus epar ranarum pulveri ſatum in aqua paulò ante acceſſionem febris magnificat.

Oleum verò caſtorii ſpinæ dorſi calidè inunctum, in acceſſione, tollit incomoda rigoris febrilis.

Galenus ipſe fatetur in lib. de iniq. intemp. *difficilimam eſſe, imò Raſis impoſſibilem materiæ aeræ bilaris melancolicæ preparationem.* Quare abicienda eſt vulgaris opinio, quod ante exhibitionem chinæ, ſit præparanda materia quartanæ, ſintque tollendæ tumefactiones durities, opillationes lienis, & viſcerum.

Nam cum ſint effectus, & producta morboſa, quæ foventur a febri, ſi exhibeatur china, diebus ſequentibus ſenſim, & ſenſim, evaneſcunt tumores, durities, & impedimenta viſcerum ſpontè; prout centies vidiſſe teſtor.

Galenus lib. de parva pilla narrat *multos gaudio liberatos a quartana alios magno incuſſo, & ſubito timore.* Plurimum enim valent animi motus ad maſſæ ſang. motum alterandum, vel ſubvertendum. Ex Tito Livio habemus, quod Fabius maximus (cunctator) a quartana liberatus eſt, in agitatione prælii tremendi cum Anibale. De aliis quoque magnis ducibus, & principibus varia ratione a ſorte agitatis, bona, vel mala, hoc idem contigiſſe narratum eſt.

Veterum auxilia erant in quartana a Dioſcoride narrata Ruta in vino epota; ſic Hipericum, ſic quinque folium in vino epotam. Vel 4. ſemina helitropii ante paroxiſmum. Oleum aſari inunctum dorſo, & locis pulſantibus myrha dr i. in vino malvatico tepido ante acceſſionem, expectato ſudore, & hoc tribus vicibus.

Radix imperatoriæ dr.i. cum vino tepido hora una ante acceſſionem. Decoctum cardi bened. vel ejus pulvis & aqua. Piper epotum. Ariſtologia ante acceſſionem, piretri oleum dorſo inunctum calidè in acceſſione.

Periapta, æmuleta, ad tollendum obrobrium medicorum millena excogitata ſunt; præter linimenta efformata ex araneis, & tellis eorum vel araneas in evellaneis incluſis collo appenſis.

Vvecherus lib. de ſecretis jubet, ut cantandes telis araneorum involutæ collo appendantur Valere quoque dixit dentem caninum Cocodrilli, ex ſuperiori ſiniſtra ejus maxilla avulſum, collo appenſum.

Platerus confirmat de araneis mirabilem vim.

Item proponit lapidem in capite magni limacis ſine teſta repertum, geſtatum, ut carnem tangat, potiſſimum ſuprà loca pulſantia.

Item cor leporis geſtatum, vel comeſtum.

Item talpam in manibus tenere, donec moriatur.

Item ovum coctum durum, in urina quartanarii, acu perfoſſum, & in formicarum acervo, ſeu fovea earum ſepulto.

Superſtitioſa curatione Italæ ruriculæ quærunt per amorem Dei farinam, neque dicunt ad quid inſervire debeat; deindè in acceſſione quartanæ ſumpta urina ægri, ſubigunt farinam, & efformant focaciam, quam ad catenam foci triduò appendunt, poſtmodum dant cani.

Dietetici canones.

Hip. lib. de locis in hom. ait: *febris omnis perfrigeranda eſt exceptâ quartana tum alimentis, tum medicamentis.*

Aer itaque ſit temperatus, vel calidus, & purus eligatur, vel arte paretur lignis odoriferis, & aliis &c.

Aeris mutatio ultrà id quod credi poteſt prodeſt quartanariis. Sed potiſſimum navigatio commendatur, cum omnibus ſuis commodis, facto pullorum, & aliorum apto apparatu &c. nam vomitu a comotione maris, & dieta coacta ſervata, facilimè omnes cronici affectus ſanantur, prout lib. de conſ. val. inſinuavimus.

Hilaritas, & ſobria converſatio cum amicis procuretur; animi verò, & corporis curæ omnes, & labores, vitentur.

Diebus intermiſſionis, ad vires firmandas jejuni pilla, vel aliis luſibus exerceantur, aqueo, vel rheda vehantur. Vel ſaltèm frictionibus commoveantur.

Manſio in locis montanis vel maritimis perſpiratis mutatioque fræquens aeris magis fortè quam cætera prodeſt. Qua ſpe confiſus me comiſi longo itineri, cum Ill. Ex. D. Bailo Io: Baptiſta Donato, nec ſpes me fefellit, nam in urbe maritima Spalati ferè per menſem manens, quartana me reliquit, quæ decies recidiva in craſſo aere mihi ſupervenerat, & me integrè liberare non poteram.

Ariſtoteles lib.1. probl. 58. ſuum quoque nobis contulit conſilium pro febri quartana ſic: *In quartana febri victus non ſit tenuis. Exerceantur poſt acceſſionem, & lavantur ſomnus, & pigritia, minimè quæratur. Victuſque ſit calefaciens.*

Avicenas diſſuadet *omnes purgationes in quartanæ atque in ſola optimè inſtituta vivendi ratione omnem ſanationem quartanæ exquiſitæ eſſe dixit.* Super hoc fundamento, quod multa mota nocent, quæ non mota, non nocerent: Nam quartanæ materia commota exacerbari conſuevit, indomita, inconcoctilis.

Ariſtotiles loco ſupracitato, exercitia, & victum calidum in quartana poſtquam commendaſſet, ſubjungit *multum ignis accendatur, ut exiguus febris quartanæ ignis extingui poſſit.* Ideò Poloni pipere quartanas tolliunt.

Attamen in affectibus melancolicis, magna ficci-

tate

tate vigente, a calorificis igneis, male tractantur ægri; Sed tutior regula sit, ut humectantibus cibis, euchimis moderatè calidis utantur, & maligna siccitas muli melancolici cicuretur, borragine, bugloſſo &c. croco, modico cinamomo, caparibus cum cibis utantur tum leniter aperientibus apio, ſelino, fæniculo &c.

Quia lieni maximus reſpectus habendus eſt in quartana ideò quæ lieni adverſa ſunt præcaveantur, ex gr. aquoſorum multorum potiones, alimenta ſeroſa melancolica flatuoſa, oppillantia &c. eſt enim lien inſtrumentum depuratorium ſeri alb. acidi incraſſati, quod eſt vera cauſa, & præcipua materialis febris quartanæ.

Amarulenta aſſumpta ante acceſſionem, ex. gr. conſerva abſynthii, extractum vel tinctura gentianæ &c. ſumoperè proderunt.

Abſtinentia verò a cibis, multis horis ante acceſſionem, eſt cauſa, ut brevior fiat quartana, & acceſſio fiat minùs moleſta.

Vel ſummant cibum, hora una circiter ante acceſſionem, ea intentione, ut adveniente paroxiſmo penna in gutture imiſſa, facilem vomitum proritent; quam pituitoſa multa deiicientur, cum magna utilitate.

Abſtineant ab aceto, & acidis; quæ humorem melancolicum fermentant, & magis ebullire faciunt.

Caveant a cruditatibus ventriculi, ut canes a nilo.

Parce bibant; quia nil magis hanc febrem auget, & contumacem reddit, quam nimia potus, & aqueorum potulentorum copia; a quibus lien repletur, & glandulæ abdominis ſtipantur.

Tutius ergo eſt, ut vinum bibere aſſueti, parce vinum probum defæcatum album bibant; nam iſti quartanarii ab aqua & potulentis aquoſis ſumoperè læduntur, facies immutatur vires concidunt, & ad cachexiam diponuntur:

Præſtat etiam in quartana bibere vinum optimum, in quo amarulenta fuerint infuſa, abſynthium, gentiana &c. cortices tamariſci, fraſſini.

Vel ſalia fixa herbarum, aut ſi de aciditate vini verearis, ut ejus omnis aciditas tollatur cocleare unum cinerum dictorum ſimplicium, vel aromaticorum cephalicorum ſimplicium hora una vel altera ante prandium admiſceatur.

Nam cineres cadent ad fundum, vinum clareſcet imbutum ſale fixo earundem herbarum. Salia autem fixa ſi in apta copia ſummantur ad alvum lubricam redendam plurimum inſervient, potiſſimum in quartanariis ſtypticis, qui cum carnibus, & eduliis in menſa, uti poterunt; non minùs ac ſale tartari.

LIBRI QVARTI.

De febre peticulari. Hungarica. Sudore Anglico De peſte infantili, ſeu de Variolis, & morbillis.

Caput Primum.

De Febri maligna.

Eſt febris maligna, venenatum jaculum, occulte jaculatum, leni oleo illinitum, quo Atropos miſeris mortalibus inſciis, viſcera tacito vulnere confodit.

Anguis in herba, & inter ſpei ſpecioſos flores latens, qui occultans, venatoribus ſolumodò ex ſepulchro caudam ſuam manifeſtam facit.

Scorpius proditor, qui extentis brachiis, familiaritatem, & amicitiam ſimulans, caudæ poſtmodum ſuæ infixo, venenato aculeo interficit.

Maligna febris, & peſtilens ſunt veluti ſoſorores duo, ex una matre venenata progenitæ, ideoque multa quæ de febri maligna hoc loco dicuntur, ad peſtilentem quoque febrem transferenda ſunt, & è contra.

Vtraque ergo febris, in hoc a cæteris febribus diſcriminatur; quia dependent a ſpiritu quodam fermentativo venefico, qui maligna fermentatione excitata, occulta, & ſpecifica corruptione, ſpiritui vitali, ejuſque conjugi maſſæ ſanguineæ inſidiatur, & potiſſimum ſero alb. nutritio ſpermaticorum membrorum.

Quare vires, & facultates omnes proſternuntur, graviſſima ſymptomata ſuboriuntur cerebri, & nervoſarum partium, paraphrænitides, delyria, ſomnolenti affectus, convulſivi &c. quæ ex cauſis ordinariis febrium provenire non conſuevere.

Dignoſcitur autem febris malignæ venenum eſſe peſti conſimilem malignum, peſtiiens, contagioſum; quia adſtantes, & aſſidentes, eodem fermentativo veneno inficit. Tum quia mortiferum utriuſque venenum plurimos interficit, paucos ſanari permittit.

Cauſæ.

Vt plurimum febris maligna fundatur in motu irregulari, ac præternaturali fermentativo maſſæ ſang. ob quem ſolvuntur amicabiliter unitæ humorum particulæ mediantibus ſalibus acribus corroſivis. Quare maſſa ſang. naturalem ſuam fluiditatem amittens, & alienam induens, ſit inepta obeundis officiis ſuis, pro machinæ noſtræ hydraulicæ ſuſtentatione.

Invicem ergo ſuccedunt maſſæ ſang. particulæ, dum ex. gr. ſalia coagulantur, ſeorsim a partibus fluidis

dis mercurialibus, sulphureis pariter exclusis. Quare consuetum, & naturalem motum fermentativum amittere coguntur, & debitus circulationis motus omninò depravatur.

Dum itaque sanguinis compages dissolvitur, ejus particulæ componentes, invicem collidentes, cum tumultu, sunt causa, ut febris magni ardoris constituatur. Vel quod tardigradæ, ab invicem recedentes, & frigidam coagulationem subeuntes: illam speciem febris malignæ constituunt, quæ verè maligna occulta appellatur; in qua pauco calore febrili decipit, & ægri intereunt.

Quandoque febris maligna, ab externa causa provenit, ex.gr. ab alio ægrotante; & tunc absque obstructionibus, vel impedimentis in visceribus, humores, cum ampliùs a natura non regantur (sed veluti acido coagulo inficiantur) postea obstructiones hinc indè ac impedimenta efficiuntur propter quæ deinde horrenda symptomata insurgunt.

Zacut. Lusit. lib. 1. hist. ait: *Venenosum humorem in humano corpore generari posse, probatur ex Galeno 3. de loc. aff. cap 7. Vbi sententiam Pelopis confirmat, qui docet possibile esse, quod deleterius, veneficus aliquis humor in aliqua parte generetur; qui spirituosa quadam substantia transmissa, absque causa externa, partes principes veneni ad instar inficiat* (tum exemplis confirmat) *in iis enim, qui aura frigida a cybia ad cerebrum ascendit, fit epylepsia. Sic in fœminis hystericis* ex semine retento fiunt veluti commestis, suffocativis venenatis fungis, incollo præfocationes. Hoc subito veneno multi in capite veluti fulmine percussi concidunt & moriuntur. Sic epoto sanguine tauri, ante idolorum aras antiquitus multi moriebantur.

Extravasati enim sanguinis taurini trombi, circà stomachum accidentia venenatis similia concitabant scilicet convulsiones sensum hebetudines, tum oriebatur nausea continua, lingua nigra, sitis, calor urens interiùs, cum extremorum frigiditate; & syncope, tandem mors.

Quæ symptomata accidere possunt a particulis venenatis, facta in massa sang. coagulatione, & motu circulari cessante.

Veneni igitur nomen meretur, quidquid temperiem viscerum, actionesque vitales, vehementer lædit, spiritumque calorificum à suis muneribus impedit, ejusque motum pervertit, liquorum mixtionem interturbans, coagulationes, & corruptiones inducens. Viscerum fermenta, eorumque functiones destruens, vel pervertens.

Subjectum materiale in quo venenum introducitur est massa sang. Nam spiritus calorificus noster, active tantum se habet, nunquam verò passivè; sed contrà spiritum veneficum activum pugnans, & cum particulis veneno contaminatis, venenum ipsum de corpore expellitur. Vel ipse spiritus noster calorificus devictus in contentione succumbit, atque a victore veneno; jam massam sanguineam occupante, a corpore propulsatur.

Interim in hoc vario, & ancipiti conflictu, corpora nervosa vario modo afficiuntur; prout videre est in veneno tarantulæ, canis rabidi, torpedinis, & aliorum &c. post factam notabilem in massa sang. perturbationem.

Cum D. Hyeronimo Barbato diversos aperuimus febri maligna interfectos in quibus invenimus vesiculam felleam turgidam esse materia valdè nigra, viscosa (quæ bilis atræ nomine digna erat) tum vasa colidoca, consimili materia nigra impedita, atque inviscata.

Quare nobis maximum testimonium fuit summæ necessitatis, quam habet natura, ut viæ pro depurganda bile, eaque excernenda, sint liberæ, & apertæ. Secùs bilis stagnans, & torrefacta, in hepate naturam atræ bilis venenatæ suscipit, & ejus portio per venam cavam circulando ad cor assurgens, est causa febris mali moris, quæ universam massam sang. venefica ratione contaminat.

Thom. Vvillis lib. de feb. testis est, quod in *omnibus febribus, malignis vel pestilentialibus, vel variolis &c. massa sang. miasmate venenato contaminatur, inde variæ coagulationes, & corruptiones in eadem contingunt, tum fermentationes excitantur a quibus mixtionis motus naturalis perturbatur, atque dissolvitur; quare in partes succedens, horrenda illa symptomata producit*, quæ &c.

Observat idem Vvillis plurium venenorum efficaciam ad duplicem reddi; alia enim massam sang. fundunt, dissolvunt, ac serosum reddunt; quam deindè præcipitant; Et hæc [illegible] medicamenta purgantia fortiora, ut fuit olim [illegible] principiorum, quod aliquando incautè [illegible] purgando lethales convulsiones excitabat ex Hi, [illegible] aph. 1. & 4. aph. 16. Alia sanguinem coagulant, [illegible] motum naturalem suæ mixtionis tollunt, & [illegible] turbant.

Post factam enim primo massæ sang. coagulationem, corruptionem deindè in eadem inducunt, ut facit morsus viperæ.

Spiritus itaque veneficus, si tali ferocia armatus sit, ut massam sang. in partes succedere faciat, vel vi styptis quadam figere, ac coagulare possit; tunc serum alb. contaminatum, in præternaturales motus erumpens, cerebri, & nervosarum, partium horrenda symptomata concitat. Convulsiones, tremores affectus soporosos, delyria &c. Cruore combusto, & in atram fuliginem verso, fiunt nigræ vibices, peticulæ, an traces, necroses, seu mortificationes in partibus carnosis, spacelli, ubique contigerit.

Varii verò dantur gradus secessionis in partes in variis liquoribus, ut patet in lacte. Alio enim modo secernitur ad parandum butyrum; Aliud ad parandum caseum. Aliud ad coagulandum, deindè ad serum secernendum.

Hoc idem fieri observamus in sanguine per venam sectam extracto; cui si varia acida, vel alkalica admisceantur, varias subit alterationes; Nam instillatis super hunc extractum cruorem spiritibus acidis ex. gr. vitrioli, Aquæ fortis, nigrorem concipit, mortificatus, combustus, induratus; cujus etiam pars ichorosa fit, & fluida.

Instillatis autem, super hunc extractum cruorem spiritibus alKalicis, ex. gr. spiritu salisarmoniaci, vel tartari, vel etiam salibus quibuscumque volatilibus cornu cervi, viperarum &c. fulgorem, & vividum colorem amissum recuperat, imò vivacitatem intendit, fluxilior, & tenujor factus.

Sin malignum viru, quandoque rationem habet acidi spiritus. Quandoque naturam habet spiritus alkalici. Dum enim salibus acidis corrosivis veluti aqua fortis, sanguinem comburit adustionem, nigrorem, & fuliginem concipit.

Si igitur contingat, sanguinem incrassari ab acido styptico coagulo maligno, fiunt a crassioribus particulis impedimenta, in venis, ne sang. liberè motu suo circulari progredi possit, & sic mixtio, & fermentatio naturalis, & necessaria sanguinis interturbatur.

Si autem contingat sanguinem nimis attenuari, ac dissolvi a tenuibus, icorosis, fluidis, acribus, fermentativis particulis venenatis, tunc dysenteria, diarhea, erosiones vasorum sanguifluorum,

inflam-

inflammationes, dolores, ſudores frigidi, delyria, pleuritides.

Febres itaque malignæ, ab initio ſub ſpecie amicabili, ſpiritum vitalem non irritantes, vix tepido calore ſe manifeſtant; ſed ſolumodò aliquod peſſimum ſignum annexum habent ex. gr. in facultate animali cerebri, quia cruorem non inficiunt; neque per modum igniculi accendunt; quia inſidiantur ſero alb. atque illud coagulant, vel præternaturale reddunt, ac veluti venenatum.

Quare membrorum ſpermaticorum nutritioni (in quibus vires conſiſtunt) ineptum fiat non ſolùm, ſed per modum atræ bilis, nervoſas partes invadit; inde in facultate animali horrenda ſymptomata exurgunt. Et talis febris legitimè maligna, venenata, dici promeretur.

Nam febres, quæ ab initio acceſſerunt cum aliquo rigore, ſubſequente deindè ingenti calore, & ſic tertianaria facta exacerbatione progrediuntur, ſed per incuriam medici (vel per errores in victu ægri) qui ſtatim incendium extinguere procraſtinaverit; progreſſu facto ſenſim, & ſenſim (quia incepit a cruoris incendio, & a labe facultatis vitalis) ſerpit ignis ad contaminandum ſerum alb. conſocium, & tunc claudicare incipit facultas animalis, atque nervoſarum partium ſymptomata inſurgunt delyria ſomnolentiæ, paraphrænitides &c. & talis febris minùs propriè maligna, & venenata dici promeretur.

Quæ etiam fræquentior cauſa ſolet eſſe, quod tot in flore juventutis, & proſperitatis miſerimè pereant, vel per incuriam, vel per ignorantiam medici, qui intempeſtivis purgantibus, criſim, & mortis adventum ſollicitaverit.

Vel prætermiſerit vera auxilia quæ a neotericis, atque a nobis proponuntur ſtatim ab initio ſalutaria. Ab initio enim cujuslibet incendii, facilè eſt invenire aquas quæ illud extinguant; ſed cum jam tota ardet domus, & contignationes, non eſt ampliùs locus aquis.

Sic eſt de iſtis febribus; dum adhuc ſalvum eſt ſerum alb. cum pediſſequa lympha, quia ambo ſunt aquei frigidi liquores; a prudenti medico facilè ars adinvenitur, qua inceptum incendium moderari poſſit.

Sed jam contaminato ſero alb. & lympha, non datur alius mitis benignus humor qui incendium extinguere poſſit. Neque ampliùs in manu artis; ſed fortunæ, & roboris naturæ eſt ſanatio ægrotantis.

Proh'bonè Deus quot vicibus hanc fatalem infelicitatem obſervavi, atque ſcintillam nihili factam, vidi magnum peperiſſe incendium.

Proh'bone Deus quot vicibus obſervavi exaltari, & declamari pro eximio Eſculapio, & barbam auream reportare, conſiderabiliaque præmia a medicis dari qui ſpecioſo titulo Galenicorum, & rationabilium, irrationabiliter curando alvum ſolventibus ægros, ab initio mere tertianarios, jam progreſſa tertiana ad continuam, indè ad malignam in limine inferorum, & mortis conſtituere, exaltati tamen de hac improbitate fuere, dum potiùs infamiam, & penas reportare promeruiſſent.

Proh'benè Deus, quot vicibus mihi, & amicis caritativis medicis contigiſſe obſervavi, quod ſtatim ab initio ſedato, & placato ſpiritu calorifico, fermentatore maſſæ ſang. ægri citiſſimè convaleſcentes, ſe nihil fermè habuiſſe, erga amicos jactaſſe; vix gratiis actis medico.

Mihi tamen, & viris verè Chriſtianis, pietate flagrantibus in proximum, hæc in terris ingratitudo, nunquam erit moleſta, ſibi conſciis benè actorum, & mercedem incorruptibilem expectaturis.

Medicus amicus eruditus, doctus, Venetiis, poſtquam his neotericis doctrinis inſtructus fuit, ſanationis citiſſimæ acutorum morborum, quam præ auri cupiditate, & politica aſtuta medica conſultò omiſerat; conſcientia meliori ductus, quia plures familias derelictas, ſuo patre familias, ſua culpa perire viderit, ad orandum pro ſe, & pro illorum animabus monaſterium ingreſſus eſt.

His itaque nihil aliud innuere volo, niſi quod febre ab initio tertianario modo accedente, ſtatim ac accerſitus fuerit medicus, procuret ſtatim, ſi non alia ratione ſaltem per apparatum pullum cum china decoctum (quem libro primo inſinuavimus) curſum febrilem frænare; ne ulteriùs, ad mala ſymptomata progrediatur; interim iudicioſus medicus plurima alia auxilia a nobis propoſita eodem tempore eligere poterit, etiam clam ægroto, & aliis.

Febrium itaque verè, & legitimè malignarum cauſa, ſolet eſſe venenata, & contagioſa, ab externo veniens, ſerumque alb. contaminans, potiùs quam cruorem, in facultate animali, magis ſuas ſcenas ludẽs.

Febrium verò malignarum ſpuriarum cauſa ſolet eſſe incendium primò conceptum in cruore, a cauſa, & igniculo interno acrem, malignam naturã ſapiẽte, cum cruoris potiùs vehementi conflagratione, quam ſeri alb.

In febri maligna peticulari, licet continua ſit, quandoque rigores contingunt; imò quandoque (contra id quod Hip. dixit 4. aph. 63) intermittentis habens rationem interficit.

Fiunt enim tales rigores, ab exhalationibus malignis ex minera maligna eſtuatis, ad cutem, & membranam carnoſam valdè ſenſitivam communicatis, & ſic decipiuntur peritiſſimi medici, ſperantes circuitum tertianarium, vel quartanarium.

Hæc plerumque a morboſo apparatu provenit; ſed peſtilens apparatum morboſum non requirit; ſed omnes indifferenter corripit. Maligna etiam ſemper cum prohibita tranſpiratione corripit; non ſic peſtis, imò quandoque per contractum; & per poroſitates introducitur.

Differentiæ.

Duo ſunt ſecundum noſtra principia differentiæ febris malignæ; nam alia eſt vera, & legitima, quæ fundatur in contaminato ſero alb. nutritio ſpermaticarum partium, in quibus vires noſtræ conſiſtunt.

Alia eſt ſpuria, & illegitima, quæ fundatur in contaminato cruore, & conflagrante magno ardore.

Ratione verò variorum ſymptomatum, varia nomina hæc febris aquiſivit. Nam dicitur Hungarica quia præcipuè ſe in Hungaria manifeſtavit, admodum contagioſa, variis horrendis ſymptomatibus ſtypata, cardialgia, lypotimiis, anxietate intolerabili, graviſſimis deliriis, linguæ ariditate, nigredine, prunella dicta.

Alia dicitur ſudor Anglicus, quia præcipuè in anglia ſe manifeſtavit, perpetuis, & copioſis ſudoribus affligens.

Alia dicitur petechialis, pulicularis, purpurata, a maculis rubris, vel nigris, vel lividis; pulicum morſibus ſimilibus.

Differentiæ tamen, magis inſtituto noſtro accommodatæ ſunt, juxta duplicem differentiam venenorũ Alia enim venena maſſam ſanguinis fundunt, & in ſeroſum liquamen vertunt, ut faciunt plura deleteria pharmaca, vehementer purgantia, vel

urinam plurimam profundentia, cachexiam inducentia, magna facta ebullitione, atque agitatione in massa sang. ejusque mixturę compage dissoluta. Cruore potissimùm assato, & in icorosum spiritum fluidum, veluti per ignem spargiricum converso, quare color icteritiæ consurgit, ut fieri consuevit ex aspidis morsu.

Alia verò venena, adhùc periculosiora sunt, quæ sanguinis massam congelant, ejusque motum fermentativum tollunt, & sic corruptionem ei inducunt, atque conjugem spiritum ab ea recedere cogunt. Tale est acidum venenum coagulativum potissimùm ferri alb. quod naturaliter ad coagulationem inclinat.

Tunc igitur lactis ad instar massa sang. ab infuso coagulo accessit, coagulatur, grumescit, atque a circulari motu deturbatur. Quamobrem in corde stagnans, lypothimias, & syncopes fieri observamus.

Sed potissimùm quia serum alb. est succus nutritius spermaticarum, nervosarum partium, in genere nervoso mille tragediæ contingunt, ex. gr. ventriculo ac intestinis membranosis, cardialgiæ, vomitus, dysenteriæ, tum cerebri, & nervorum affectus somniferi affectus, vigiliæ, paraphrænitides, convulsiones, sensuum torpor, vel amissio &c. Interim egri ab initio se vix febricitare cognoscunt; sed solumodò statim sibi vires adeptas fuisse conqueruntur.

Juxta ergo hos duos liquores nutritios massam sang. componentes, duplicem differentiam malignarum, vel etiam pestilentium venenatorum febrium constituimus.

Aliud enim est combustivum venenum potissimum cruoris, quod ignea conflagratione inducta, ipsum in fuliginosam bilem, vel ichorem salinum, fluidum, scepticum mutat.

Aliud est coagulativum potissimum seri alb. quod stiptica quadam vi coagulativa ipsum in gelatinam concrescere facit, indè a naturali consueto suo motu fermentativo, circulari desistere cogitur, & corrumpitur &c.

Differt autem febris maligna, a febri pestillentiali ratione magnitudinis, seu graduum exaltati veneni. Pestillens est, multo gravior, maligna, magisque contagiosa, plures interficit, gravioraque adducit symptomata, quæ magis decipiunt ægrum, & adstantes & medicum, dum leonino robore, conjuncta habet serpentis venenatam astutiam.

Differentiæ etiam ratione moris, febres malignæ sortiuntur; nam sporadicæ, endemicæ, & aliæ sunt quæ etiam adstantes inficiunt; aliæ verò sunt mitiores, quæ neque adstantes inficiunt, neque admodùm læthales sunt.

Lodovicus mercatus diligentissimus scriptor malignarum febrium, has titulo pernicioſarum, in sex species destinxit.

Prima species fit dum natura errans, vel impotens transmittit humores in subitantiis, vel saltem in vasibus alicujus visceris principis, cordis, capitis, oris ventriculi, jecoris &c.

Secunda species fit a tenui bilioso, ichoroso, separato liquore, ab aliorum humorum consortio; ad minima extrema vascula cutis projecto, & isti diaphoretici sudoribus exolvi consuevere.

Tertia species fit a prava humoris materia, scilicet a bile sincera vitellina, æruginosa peccante.

Quarta fit a copia succorum crudorum circà ventriculum, & hæc æmulatur syncopalem humorosam.

Quinta fit a conspicuo aliquo symptomate, ex. gr. passione hysterica, catarho suffocativo &c.

Sexta quæ propriè dicitur communiter maligna, est illa, quæ quieta exteriùs interiùs conturbans, fieri solet a coagulatione massæ sang.

Deffinitur igitur febris maligna, quod sit *febris continua, venenata, perniciosa, variis stipata magnis symptomatibus, ægrum in summo vitæ discrimine ponens, quandoque ab extra suscepta, quandoque a venenata corruptione humorum internorum orta, quæ spiritui vitali, ut fugam, vel suppressionem moliatur, coagulationem, vel solutionem massæ sang. tentans, motum naturalis fermentationis ejus interturbat; & deinde fit causa ut a cruore assato fiant exanthemata, vibices, maculæ nigræ, necroses, seu sphacelationes in partibus in quibus impegerit. Tum a sero alb. corrupto fiant cerebri, & nervosarum partium affectus, delyria, sensuum amissiones soporetur &c.*

Observat Zac. Lus. lib. 3. prax. hist. obs. 49. quod Galenus lib. 6. epid. sect. 6 com. 15. *febrem malignam comparat homini palimbolo, scilicet doloso, qui aliud loquitur, aliud interiùs sentit, & sententiam suam in contrarium agendo mutat.*

Ibidem quoque observat quod hi ægrotantes sepè propè mortem meliùs habere videntur ex Galeno 3. epid. sect. 1. com. 8. *Sic Hermocrates in decima quarta fuit a febri liber, & tamen defunctus est.* Inopinati ergo morborum eventus (ait ipse) sepè ob vultus causas modicos deludunt.

Obs. quod hanc febrem, ut plurimum manifestare solet cardialgia, vel ingens aversio a cibis, aut alius ingens stomachi aff. Sic observamus, quod Hip. 1. progn. cardialgiam, tanquam malignam damnat sic: *Oris ventriculi dolor, cum præcordio distento, & capitis dolore, malignum quid portendit.*

Obs quod aliquando absque febri maligna maculæ nigræ peticulis similes, sed majores, & variæ magnitudinis aparent factæ a corrupta massa sang. ab acido solvente contaminata, & icorosa facta, ita ut particulæ cruoris non possint a natura secerni, sicuti naturaliter fieri solet (ut patet in sanguine extracto per venam sectam, dum in matula separari potest cruor a sero alb.) sed tota massa sanguinea confusa, icorosa dum extrà capillares venas transmittitur ad cutem, a densitate cuticulæ portio crassior cruoris exire prohibetur, dum pars tenujor, aquosior, per modum fumosæ exhalationis, vel vaporis (more solito aquarum, quæ per modum sudoris vel vaporis, dolia & vasa continentia densissima penetrant, & effuggiunt) per cutem insensibiliter exhalat relicto illo crassamento cruoris.

Hoc contigisse vidimus in sesto Bortolameo Rialti Venetiis, cum collega D. Hier. Barbato in aperto cadavere jussu officii sanitatis, quia quidam objerat juvenis advena ex abrupto, cum his maculis nigris in toto corpore; atque invenimus viscera fermè omnia infarcta; potissimum lienem, ideòque diuturna cachexia laborasse. Massaque sanguinea ichorosiori facta sepiùs per nares hemorhogias passus fuerat. Eadē conversa ad cutē; ob densitatē cuticulę detentaque partē crassioręcruoris, has maculas intulisse judicavimus.

Hoc idem postmodum contigisse vidimus, in quodam, qui multo tempore obscura quadam icteritia laboraverat.

Obs. quod febris malignæ brumalibus temporibus, magis periculosæ fiunt, ob cutis porositates angustiores, tunc etiam peticulæ sunt fræquentiores.

Obs. quod isti ægri quandoque aparentibus signis coctionis moriuntur; vel quia in cōcoquendo spiritus lāgues defecerit. Vel quia, licet materia contaminata a veneno corrigi possit, spiritus veneficus hostilis spiritui vitæ propulsari invictus non potuerit.

Obs. quod quandoque magna sitis urget, potissimū quando materia prava circa ventriculum fervet. Quandoque fit sitis, neque petunt ægri potulenta, dum interim lingua torrefacta est. Nulla alia ratione; nisi quia spiritus sensitivus ventriculi (cui spectat

sensa-

ſenſatio hæc) mortificatus eſt, vel quia deliranr.

Obſ. Zac. Luſitan. lib. 1. hiſt. 81. quod febres malignæ appellari poſſunt illæ quæ fiunt ex ingenti inflammatione alicujus partis præſtantis.

Febris etiam malignæ nomen promeretur, dum maſſa ſang. præ magno febris incendio in carbones, ſeu in atram bilem commigrat (teſte Gal. 2. de diſ. febrium 9.) mulus enim hic melancolicus ex duplici varia natura genitus, malignam ſemper, & ubique venenatam naturam oſtendit; duobus ſcilicet corruptis, & omninò contaminatis liquoribus nutritijs.

Nam ſolo cruore contaminato, ac combuſto, ab igne febrili concitatur ſolumodò ardentiſſima febris, quæ tamen non promeretur nomen febris malignæ. Sed maligna tũc eſt, quando contaminato cum cruore, ſero quoque alb non reſtat amplius liquor in corpore mitis, dulcis frigidus, qui tantum incendium minuere, vel extinguere poſſit.

Obſ. Barbatus in zenodochio quinti ſancti Romæ in quadam conſtitutione maligna illius anni, quod in defunctis apertis circà cor, & ejus vaſa magna, reperiebatur quædam materia, ab eo lutuléta appellata; quam ego puto eãdem eſſe quam malpighius polypũ cordis conſtituere dixit, ob coagũlatã maſsã ſang. ſublato motu fermentativo, & circulari ejuſdẽ.

Obſ. quod in variis annis, variantur ſymptomata febrium malignarum. Alio enim anno accedunt cum exanthematum, ſtygmatum, vel peticularum ſignis, & maximo ardore, linguæ prunella, dum venenum magis urget, & agit in cruorem.

Aliquando accedunt mitiores calore, ſed cum maximis ſymptomatibus, in nervoſo genere, fiuntque variolæ, parotides, glandularum tumefactiones; dum venenum magis urget, & agit in ſerum alb.

Obſ. etiam quod hoc venenum malignum, vel intrinſecus generatur, a prava victus ſervata ratione; Et tunc pauciores ſunt, qui hac febri afficiantur, & de plebe. Vel forinſecus a mala cæli influentia aera inficiente, & tunc fit affectus magis univerſalis.

Obſ. præterea quod aliquando febres malignæ, vel etiam peſtillentiales, ſymptomate quodam ſpeciali concomitatæ aparent, ex. gr. angina, pleuritide, dyſenteria &c. quia venenatum miaſma, hanc, vel illam corporis, regionem, virtute impreſſæ ideæ quam ab aſtris ſuſcepit, hoc vel illo agendi modo, ſanguinis maſſam ſimili in omnibus comovendi ritu, inſtructum fuit.

Quo fit, ut neceſſe ſit in omnibus eundem affectũ, eademque ſymptomata concitari, tum eundem criticum motum habere. Secùs abſque malignitate venefica, maſſa ſang. contaminata, loca ordinaria, quæ pervadere ſolet, in quibus extravaſari, atque deffigi conſuevit, ſunt guttur, pulmo, pleura præcipuè &c. & partes ſpiritales.

Obſervavit Sylvius, frequenter *has febres fieri cum dyſenteria, dum maſſa ſang. ſolvitur, & præternaturaliter fluidior, & icoroſior fit a veneno febrili, ideoque acrimonia ſua vaſa inteſtinorum erodit.* Vel bilis acuta ſalina, acida, ignea acri qualitate peccans, impetũ, & magnam efferveſcentiam circà inteſtinum, duodenum concitans, ſuccum pancreaticum debiliorem pugilem ſubigens, eſt cauſa peſſimæ dyſenteriæ.

Obſervatum fuit eſcaras, ſphacellos in viſceribus nobilibus ſepè factos, tam in peſte, quam in febri maligna; Viditque Doleus *ventriculum, & inteſtina ſphacelata, ac ſi ſumpſiſſent arſenicum.*

Obſervatum fuit quandoque venenata miaſmata adeò efficacia in adſtantes imperere, ut ſine diſcrimine vigoroſę ætatis, ſexus, conditionum, incolas omnes unius domus interficiant, cum iiſdem omninò ſymptomatibus, ex. gr. paraphrænitidis, ſomnolentiæ, peticularum &c.

Obſ. Hip. lib. 4. de morbis; quod *plurimæ febres omnis generis, quæ a principio benignæ erant, in progreſſu malignæ fiunt; ſcilicet gradum malignitatis aquirunt.*

Obſ. quod maculæ nigræ, & vibices aparent etiam in his, qui vehementi veneno interfecti fuere, ob contaminatam univerſam maſſam ſang. natura querente exitum materiæ venenatæ per cutem; ſed denſitate cuticulæ reſiſtente, quæ halitibus vaporoſis per modum aquæ in habitum ſolutæ permittit exitum; cruoris verò parti craſſiori inhibet egreſſum.

Obſervavi anno 1692. quod in ditione Patavina prægreſſo hyeme, & vere humidiſſimo, circà finem æſtatis frequentes inſurexere febres malignæ cum peticulis, & urinis ſubjugalibus.

Notata verò dignum fuit; quod ceſſatis cum febre maligna cæteris ſymptomatibus, & in ægro benè ſe habente, poſt decimaquartanam diem adhuc maculę aliquæ nigræ peticularum perſeverabant; claro teſtimonio, quod per ſalutare decubitum materia febrilis ad cutem tranſmiſſa fuiſſet, evaneſcente parte tenujori inſenſibiliter, atque craſſiori relicta.

Signa diagnoſtica.

Vigentibus febribus malignis, unicum ſymptomata peticularum ſufficit, ad declarandum quod ſit febris maligna contagioſa; maculæ ſcilicet purpureæ in toto ſed potiſſimum in dorſo, lumbis & pectore. *Violaceæ lividæ, nigræ*, ſunt deteriores. Quandòque inſtar flagro cęſorum aparent, ſuntque peſſimæ. Aliquando ampliſſimæ, integras partes occupant ex. gr. brachium, vel bona pars dorſi.

Peticulæ antiquis incognitæ, poſterioribus his tãtum ſæculis deſcriptæ fuere. Nam exanthemata deſcripta ab Hip. in epydemiis habent eminentiam, atque exulcerabantur. Quare ex his duobus ſignis potiùs in ſuſpicionem venire poſſumus, quod variolæ fuerint notæ antiquis, & quod non ſit morbus novus, prout decantant neoterici fermè omnes.

Vires præter rationem *dejectæ brevi* tempore, poſſunt malignam ſubeſſe febrem teſtari. Ideò verò deiiciuntur; quia ſero alb. contaminato a veneno maligno, non poſſunt membra ſpermatica debito modo nutriri; deficit præterea probum ſerum alb. in cerebro; & ſpiritus animalis cum conſorte, ſeu vehiculo, devehendo per nervos ſpiritui animali inſervire non poteſt.

Quare nervulis cordi muſculoſo inſervientibus, munus ſuum obire nequeuntibus fit pulſus humilis, celer, fræquens; inde hypotymiæ quandoque.

Peticulæ ambigua ſunt ſigna; nam aliquando criticè erumpunt, & cognoſcuntur a ſignis ſalutaribus, & cum levamine factis. Aliquando ſymptomaticè, a natura morbifica qualitate, & quantitate onerata; quæ ante concoctionem deonerari tentat per poroſitates cutis. Sed cognoſcitur ab incremento ſymptomatum, & a nullo naturæ levamine facto.

Pulſus ſanorum ſimilis, cum magnis ſymptomatibus. Vel parvus, rarus, tardus, eſt infidus in hac febri, & valdè periculoſus; ſignificat enim ſpiritum calorificum veluti compreſſum, & victum, non poſſe vehementem motum fermentativum in maſſa ſang. concitare, ad expellendas contaminatas particulas; ſed jam maſſa ſang. coagulationem ſubeunte ipſe a vehementibus conatibus, & impulſibus abſtinet.

Signũ obſervavit Hip in coacis, a paucis obſervatũ

sic: *Qui circa exacerbationem febris sudant, cum exiguo sudore, malignè habent.*

Tenues rotundas maculas rubras morsibus culicum similes, in cute apparentes, descriptas ab Hip. lib 2. epid. sect. tertia. Valesius *peticulas fuisse testatur in commentario.*

Febris Ungarica hoc patognomonicum signum habere solet; quoa cæteris distinguitur; scilicet assiduum, ac fermè intollerabilem capitis, tum ventriculi dolorem.

Maximum febris malignæ indicium est, subitus virium lapsus, horripilatio frequens (quæ fieri solet ob inflammationem, vel saltem phlogosim alicujus visceris interni) dorsi, & lumborum dolores, Capitis dolor intollerabilis.

Zacutus Lusitanus lib. 1. hist. 81. Galenus inducit 6. aph 56. appellantem *humorem melancolicum suprà modum exustum, malignum.*

Tum Galenus 7. de usu partium 10. *Pustulas nigras malignas appellat.*

Idem 4. meth. 4. *ulcera difficilia sanatu, maligna appellat. Vel ulcera circum glabra.*

Item in primo Poret. Sect. 2. *Febrem ex ingenti inflamatione partis præstantis, malignam esse dicit.*

Item lib. 2. de febribus 9. *Febris maligna dicatur quando massa sang. in atram bilem commigravit.*

Item lib. 1. epid. sect. 2. *Febres quæ tertio die gravioris fiunt, malignas appellat.*

Fernelius verò 4. pathol. 13. Febrem malignam dicit, quæ *non calore; sed venenata occulta qualitate cor fatigat.*

Argenterius lib. de dif. morborum cap. 16. morbum malignum esse dicit, *qui saviora infert symptomata, quam pro ratione propriæ essentiæ affectus conveniat.*

Thom. Vvillis de urinis. *Vrinæ nigræ, vel virescentes in febri maligna, vel etiam in peste comparere aliquando solent. Sæpè etiam ab epoto veneno.* Et tunc significant, cruorem esse corruptum, spiritum vero fermentatorem esse profligatum (a spirituosis enim rebus cruorem extractum, viscidum colorem floridum nanciscì observamus) & tunc etiam in parte cutanea talis color nigrescens comparere solet.

Item Turbida in his ægris urina manet, nec clarescit; quia omninò spiritu separatore destituitur; qui molleculas liquoris urinosi, in fermentationis motum, compellat, & crassas partes a tenuibus secernat.

Item Aliquando urinæ in febri maligna vel peste sanorum similes aparent, dum sine magna effervescentia massa sang. sensim, & veluti tacitè corrumpitur.

Vel si magna sit in massa sang. effervescentia, urina sanorum similis fit, quia id quòd excrementicium in ea est, ad cerebrum, & ad nervosum genus transmittitur, inde fiunt somnolentiæ, deliria, &c.

Signa maligna universaliter a tribus facultatibus magnopere læsis desumi debent. Quandoque tamen, unica facultas notabiliter læta sufficere potest.

Prognostica signa.

Hip. 2. aph. 19. ait: *Acutorum morborum, non sunt omninò certæ prædictiones salutis, vel mortis.*

Multi enim sunt, qui cum periculosissimis signis salvantur. Non pauci sunt, qui cum salutaribus signis, de medio tolluntur.

Præcipuè febris peticularis, quo magis blanditur, eo magis nocet, canum malignorum ad instar, qui acrius mordent caudam quatientes. Præstat igitur præsagium suspendere ad alios dies, in quibus habeantur certiora indicia ex symptomatibus, & tollerantia virium.

Pulsus major; æqualior, meliorem spem semper præstat, licet febris maxima appareat. E contrà inordinatus, inæqualis, cum febri lenta.

Pulsus sanorum pulsibus similes, cum magnis symptomatibus, sunt admodùm periculosi. Indicant enim spiritum calorificum, pulsificum, a materia noxia compressum, & veluti suffocatum, non posse pro sua imbecillitate, vehementem cordis, & arteriarum motum fermentativum massæ sang. promovere, ad dejiciendam materiam infestantem.

Sic observamus, quòd febres, & dolores vehementes insurgunt, cum pulsuum frequentia, quando spiritus vult moliri maturationem in absessibus; & non anteà.

Sic pariter vehementia pulsuum, vehementia febris, non minùs terefacere debet, quam pulsus sanorum similis, cum magnis, & periculosis symptomatibus.

Vrinæ quoque sanorum similis diù perseverantes, sine mutatione, vel tenues, perspicue, pessimæ sunt; & perseverantem in sua cruditate materiam declarant.

Vrina si excernatur crassa, vel fiat turbida, hinc clarescens, deponat sedimentum æquale, album, vel etiam lateritium; licèt pessimè se habeat æger, bonum signum est; atque neminem cum tali urina interijsse observavit Etmulerus.

E contrà multi perierunt, quibus sedimenta in urinis apparuerunt, sed denuò disparuerunt, & urinæ tenues, claræ recruduerunt.

Hip. 2. aph. 33. *mente constare, & benè se haberi ad ea qua offeruntur, bonum est.* Significatur enim validitas in facultate animali, & naturali; licet facultas vitalis, calorifica patratur.

Somnum delirium sedans ex Hip. 2. aph. 2. bonum signum. Et maximè si copiosior sudor in somno, vel post somnum consequatur. Sed post somnum, si perseveret delirium, periculosum est, & fortè proximum phrenitidem ominatur.

Somnum verò laborem faciens læthale, ex Hip. 2. aph. 1. significat enim naturam, agitari, seu spiritum vinci a morbo: nam è contra, si fiat ex somno utilitas, signum est, spiritum prevalere adversùs materiam morbificam, & quiescere deinceps.

Floscos carpere, plicas super lectum explicare, vel colligere, pessimum signum est; & mentis delirantis.

Oblivio, sensuum habetudo, vel stupidius, mala.

Loquellæ pariter articulatæ amissio, vocis titubatio mala.

Repentinæ membrorum contractiones, seu convulsivi motus, periculosi, porissimùm cum delirio.

Convulsionum imminentium indicium est, si involuntarias eger sentiat tensignes & leves tractiones musculorum. Si dum medicus tangit pulsum, circà carpum, tendines sub digitis subsaltare videntur.

Motus tremuli manuum, & linguæ, funesti, ex Hip. quia naturam, seu spiritum victum, oneratum a causa morbifica esse veluti baiulus sub onere cadens; sed pejus tremere.

Lingua quæ forès ab ægro non potest exeri, & medico ostendi, malum signum.

Oculi adhùc contemplandi sunt, eorum enim insolita mutatio, infaustum eventum significat.

Sic si rubri, inflammati [ob tunicam corneam provenientem a cerebri dura meninge) dolores, & affectus capitis ominantur;

Sic

Sic torvè aſpicientes, feroces; vel ſi doleant bulbi oculorum ſine ophtalmia. Vel ſi concentrentur.

Si palpebræ inter dormiendum non ritè commiſſę ſint; ſed aliquid de albo apareat, nam ſpiritum animalem debilem arguere poſſunt, vel afflictum.

Surditas, vel obauditio, in principio periculoſiſſima eſt, ex Hip. ſed in ſtatu ſalutaris ſolet eſſe, etiam cæteris ſymptomatibus, tunc periculoſiſſimis exiſtentibus. Prout centiès ſe obſervaſſe narrat Riverius ſignificat enim cerebrum validum expellere ad glandulas parotides niti.

Sternutamenta in malignis, licet prava ſymptomata adſint, ſalutem portendũt; & robur expultricis.

Vigiliæ contumaces, præcedere ſolent deliria, vel convulſiones; prout etiam cephalalgiæ continuæ.

Cardialgiæ, ſingultus, aliique ventriculi magni affectus, periculum augent.

Sic gravitas corporis, & difficultas in motu. Decubitus ſupinus, vel non naturalis. Denudatio indecęs.

Syncope, vel hypothymia. Expiratio frigida; vel reſpiratio difficilis, interrupta, ſuſpirioſa.

Ingens averſio a cibis. Sitis inexplebilis. Vel nulla ſitis arefcentibus faucibus, & æſtuante corpore peſſimum ſignum.

Suppreſſio omnium evacuationum in principio non eſt ita mala. ut in ſtatu

Sanguis per venæ ſectionem extractus, purus, & naturalis, ſignificat majorem eſſe malignitatem, quam corruptionem.

Stillicidium narium ſemper malum, potiſſimũ cũ dolore capitis, & calore ejuſdem. atque facili rubore,

Larga autem hemorrhagia cum levamine in ſtatu bona eſt, potiſſimum in die critico; ſed poſt peticularum eruptionem factam, ſuſpecta eſt.

Fluxus menſtruorum in principio morbi, malum.

Sudores in febribus malignis ſunt incerti exitus, & raro ex toto judicatorii ſunt; ſepè primo die, ex ſudore febris remittere videtur ratione caloris; ſed interim alia ſymptomata augentur.

Sudores copioſi non ſublevantes febrem, ſunt ſymptomatici, & colliquativi.

Alui fluor, cum inſigni virium jactura fœtidus, nigricãs, vel obſcuri coloris malus, & colliquativus eſt.

Meliùs igitur eſt, ut circà ſtatum alvus dura ſit.

Peticulæ copioſæ, die 7. 11. 12. erumpentes, latæ rubræ (ſcilicet ſanguineæ) præcedentibus aliquibus ſignis coctionis, bonæ ſunt.

E contrà lividæ, ceruleæ, nigricantes, cum virium languore mortificati ſpiritus, indices ſunt.

Paucæ peticulæ, cum febre ingraveſcente, & urina cruda exiſtente, læthales.

Peticulæ diſparentes, cum reſpiratione difficili, & anxietate, periculoſæ.

Petechiales febres, magis lentæ ſolent eſſe, & in eodem tenore ſolent perſiſtere egri 6. 7. 8. imò pluribus diebus, antequam obſervari poſſit, an ægri in meliùs, vel in deteriùs mutentur.

Solvuntur febres malignæ, vel per diaphoreſim, ſudoremque urinam, alui fluorem, hemorhagias.

Ad mortem terminantur, ut plurimum cum motibus convulſivus ſudoribus frigidis, animi deliquiis.

Partes circa ventrem tenues fieri, atque eliquari malum ex Hipocrate potiſſimum in his qui natura ſunt pingues, ventricoſi. Item.

Hip in Cõac. ſurditatem in principio damnavit, ſed in ſtatu, vel declinatione indicium bonum, ſcilicet validi cerebri eſt, ſeu ſpiritus noxios humores ab internis partibus ad externas propellere tentantis; atque moliri parotides, vel hemorhagiam a naribus.

Ab inſtrumentis læſis naturalis, ſeu nutritivæ facultatis (ſtomacho potiſſimùm, & viſceribus) commẽ. ſuratur magnitudo malignitatis, inapetẽtia, ſiti inheſauſta ſingultu, anorexia, cardialgia, vomitu, ãxietate.

Plicas lectuli colligere, vel explicare, ſignifiunt delyrium intenſum, obmeningum, tum tunicæ adnatæ & corneæ turbationem, atque ſpirituum opticorũ perturbationem, propterquam oculis varia, & falſa obiiciuntur, quæ æger removere digitis conatur.

A fervida peſte facta æſtivis temporibus, minùs moriuntur mulieres, quam viri, ob copiam ſeri alb. nutritii, quam naturaliter coacervare ſolent, ad fœtus nutriendos; quod frigidum humidum combuſtioni cruoris reſiſtit.

Peticulę cum reſpiratione difficili, ſtatim a principio ſunt valdè malæ. Sed erumpentes circa undecimã cum ſignis coctionis, & virtutis robore, nõ sũt malæ.

Zech conſ. 26. ait: *Hippocratica facies ſumme extenuata, in febri maligna, quæ ad apparentiam parva ſit, maius vitæ periculum eſſe indicat, quam in febribus magnis, & æſtuoſis; quoniam in his extenuationis cauſa eſt intemperies ignea, abſumens; in illis verò eſt venenata, maligna qualitas.*

Hip. lib 2. de morbis deſcribit quandam febrem malignam ſic: *Forìs ad tactum febris debilis eſt, intrinſecus verò ardet* (hanc lypiriam veteres appellabant) *& lingua aſpera eſt, & per nares, & os ſpirat æger calidum. Quinta die præcordia dura ſunt, & dolor in eis ineſt. Et color, ut in ictericia. Et craſſam, ac biliоſam urinam eiiciunt. Hunc in ſeptima die, ſi rigor, & febris vehemens apprehenderit, atque ſudaverit, benè eſt. Secus morietur in ſeptima vel nona.*

Curatio.

Sanguinis miſſio, etiam a primis diebus febris, vigente conſtitutione ſporadica febrium malignarum, cautè admodum adminiſtranda eſt etiam in plethoricis, juvenibus, vigentibus viribus.

Atque tunc cum aliis medicis bonum eſſet convenire, atque invicem informari, de illa tunc temporis vigente conſtitutione, an quibus ſecta fuerit vena ſervati fuerint, an perierint.

Memini enim anno nonageſimo ſæculi elapſi, in quo maligna conſtitutio viguit pſeudopleuritidis verminoſæ in ditione Patavina quæ plurimos decepit; nam miſſo ſanguine a vena, omnes irreparabiliter moriebantur.

Facta poſtmodum diſſectione mortuorum, & re cognita, bonis alexiteriis, ſudoriferis & mercurialibus adhibitis, & omiſſa venæ ſectione, omnes infallibiliter ſanabantur, qui ſtatim medicum vocaſſent.

Avicenas 1. quarti tract. 4. cap. 12. *in principio febris malignæ æſtuoſæ, præſente ſanguinis plethoria, ſi peticulæ manifeſtentur, illicò ſanguinem mittere expedit* quia tunc ſymptomaticæ ſunt, & tantum abeſt, ut retrocedant, quod levata natura ab onere, quo præmebatur, promptiùs inſurgit ad expellendum id, quod interiùs noxium eſt ad cutem tranſmittens, & peticulas multiplicans.

Externa auxilia epithematũ cordialiũ, & alia omnia communia febribus in lib 1. jam exarata ſunt.

Sed potiſſimum pro æſtuoſis febribus fotus facti genitalibus, cum aqua roſacea canfurata, admixto plurimo ſale ſaturni, modico opio proderunt. Quibus etiam hepar foveri poteſt, mutando duplicata lintea cum jam incaluerint.

Circa purgantiũ exhibitionẽ, jam ſatis exaggeravimus antecedẽter de febribus continuis, & acutis, non convenire, niſi ſtatim in principio vomitoria, potiſſimùm, antimonialia, vel mercurialia ſolventia.

Circa alterantia, campus amplior certamini est; sed potissimùm totum negotium versatur in notitia duplicis veneni, vel coagulativi massæ sanguineæ; vel dissolutivi.

In coagulativo enim veneno præstat adhibere sudorifera, sanguinis massam dissolventia, fermentativum motum augentia. In dissolvente massam sang. veneno; præstat vice versa adhibere quodammodo incrassantia, fermentativum motum cohibentia, & naturalem crassitiem, crasim, miscellam, & amicitiam disiunctarum particularum massæ sanguineæ procurare.

Zacut. Lusit. lib. 3. prax. admir. obs. 90. ait: quod febris maligna, *usu lapidis bezoardici in copia scilicet ad Dr. j. exhibiti curatur. Nam in parva quantitate est insufficiens. Vehementi enim veneno vehemens antidotum succurrere debet. Plurimos enim quibus in pauca copia exhibitus fuit, omnes perire vidi; quibus autem in copia exhibui, sanari sunt.*

Particulæ quoque salinæ, volatiles, acres in massa sang. effervescentes, foràs expelluntur per sudorifera, theriacam, diascordium, & confectiones antidotales opiatæ. Bz. theriacæ veteris Dr. ii. stybii diaphoret. Dr. i. syrupi card. benedicti On. ii. aquæ cinamomi On. ʒ. scabiosæ On. iij. Hujus mixturæ partem quartam circiter capiat æger, & corpus stragulis ad sudorem disponatur, atque post horam unam duo alia cochlearia summat, & sic pergat, donec sudor commodus subsequatur; ex Sylvio.

Interea si valdè sitiat, vel lingua arida sit, jusculà superbibat acidula facta succo limonum, vel aurantiorum aut citri, vel etiam onfacio, vel aceto, & saccaro *facto julep acetoso: Vel meo instituto*, accipiant citrum unum, limones duos, & concidantur in subtiles talleolas rotundas, quæ libra semis saccari fini pulvere conspergantur, & in catino super ligneam craticulam posita hæc intra paucas horas decidet nobilissimum julep citri, ad omnes usus accomodatum.

Ab acidulis ergo istis, bilis salina acrimonia attemperabitur, & ad sudorem meliùs disponetur.

Sudoriferis autem semper antimonium fixum diaphoreticum, vel bezoardicum minerale admisceatur.

In æstuosa verò febri, spiritus agitatus, fervens, cum massa sang. plurimum recreatur acidorum fræquenti, & moderato usu.

Electuarium ovi Maximiliani imperatoris, decantatissimum est in peste non solum, sed in febribus malignis, descriptum a Quercet. cap. de antidotis.

Riverius super cætera *spiritum vitrioli commendat, tum sal prunellæ ad refrigerandum, & calorem extinguendum, hæc enim præcipitant bilem, & vim diaphoreticam habent.*

Item mixturam *ex radice tormentillæ, confectione hyacinthi, lapide bezoar, & spiritu vitrioli, vel succo limon; atque contrahierva fiat mixtura, cum aqua card. bened. cujus detur cochlear unum singula hora.*

In contrahierva verò se majorem fidem habere dicit, quam in lapide bezoar (sepiùs adulterato) per sudorem enim omnia venena evacuat; atque creditur esse plantam, qua vescuntur animalia quæ lapidem bezoar generant, quæ sola ad Dr. v. in aqua cardui bened. sufficere potest.

Item medici monspelienses, pro alexipharmaco utuntur, (nulla calefaciendi vi prædito] *trochiscis viperinis, vel meliùs carne exiccatâ viperarum, cum suis spinis.*

Item in principio, & augmento febris malignæ, *opium cum alexipharmacis, valdè prodest. Vel saltem theriaca recens.* Hic enim dum hæc exhibentur vesperi ante somnum, impetrata quiete spiritus recreatur fervor massæ sang. attemperatur, & materia morbifica, quæ ob nimium fermentativum motum, in fluore esset, & particulæ ejus ab invicem secederent a præternaturali motu cohibentur, & massa sang. ad naturalem motum, & crasim promovetur, spiritus re colligitur, ut coctioni, & expulsioni materiæ morbificæ vacare possit.

Item chimici varia *bezoardica sua mineralia prædicant, quæ insipida sudorem movent, absque ulla calefaciendi vi elementari, quæ facilè nauseosis exhibentur.*

Nostrum quoque bezeordicum minerale proponemus, quod ab expertis in arte, anteponetur procul dubiò universis sudoriferis alexiteriis, vim habentibus pellendi venena omnia per sudorem, nam componitur ex tribus mineralibus invictis, super omnia mineralia & creaturas in orbe terrarum efficacissimis mercurio nempè, antimonio, & auripigmento mixtis, seorsim pulverizatis.

Accipiendo mercurii sublimati on. iiij, stibii Vngarici on. iii. auripigmenti, on. i. misce, & in retorta lutata &c. paretur veluti butyrum antimonii, quod incrassatum album, lento igne gradatim, post quartam horam forma alba ascendet.

Et sic habebis meum præstantissimum ignem artis, seu Herculem hydræ morborum externorum sanatorem (super quo admirando medicamento totam artem chyrurgiæ juxta mentem Paracelsi stabilitam a me fuisse solidis experimentis reperies) accipias deindè tres illos dracones spoliatos terribili spuma sua corrosiva; qui in fundo retortæ jacent; eosque in pulverem redige, atque cum quadruplici pondere spiritus nitri, tribus viscibus per retortam pelle spiritum, ita ut in fine destillationis retortæ fundus modicè ignietur, ut materia fixetur quantum fieri potest.

Sed hoc non sufficit, præterea eximatur a fundo retortæ materia, & pulverizetur, atque cum tantundem optimi nitri raffinati detonetur (more antimonii diaphoretici) tribus vicibus dulcificetur & tunc certus eris habere verum stybium diaphoreticum, verum mercurium diaphoreticum, verum auripigmentum [debellatorem draconem, omnium venenatorum) diaphoreticum; ex quibus tribus draconibus veram theriacam mineralem pro venenatis omnibus affectibus te parare posse gaudebis, sine ullo incommodo ventriculi, feliciter purgatis insensibiliter, vel per copiosum sudorem, si exhibeatur ad Scr. i. cum Scr. v. salis prunellæ in aqua cardui benedicti, vel jusculo, aut alio liquore; quando sudores in ægro incipere observantur.

Nam pro alio tempore, accipiatur Dr. i. hujus nostri bezoardici, & cum dr. ii. confectionis hyacentinæ, & dr. v. salis prunellæ, dr. i. margaritarum & on. ii. syrupi de corallis, dissolvantur hæc in aqua totius citri, ut fiat mixtura cocleatim sumenda quatuor vicibus in die, summo manè, hora prandii seu per horæ scilicet quadrantem ante prandium, deindè quatuor horis post prandium; & demum in vespere ante cænam.

Ita ut ista dosis pro duobus diebus inserviat; nam sit usque ad febris declinationem poterimus perseverare singulis diebus, pro consolatione etiam domesticorum, qui nova semper desiderant auxilia, modo belzoaris orientalis vel occidentalis modicum, modo uni cornu pulvis, modo cornu cervi philosophici, & alia sudorifera alexiteria admisceri poterunt, sed basis præcipua sit dicta mixtura.

Ve-

Veruntamen quia in his febribus malignis, purgantia nisi in principio, eaque hemetica tantumodò convenire antecedenter, lib. 1. ostendimus; si de febre maligna, vel etiam pestilenti indicia habeantur, a maligna tunc temporis constitutione vagante; tunc sine ulla cunctatione propinetur egro Dr. v. nostri bezoardici simul cum Scr. v. salis tartari, & granum unum vel alterum tartari hemetici in unciis duabus circiter vini, atque hoc summum beneficium prolicemur, quod post vomitum felicissimè deindè sudabit, & erimus certi quod a materia viscida crassa obstruente, viscera omnia liberabuntur, ut deinceps exhibita sudorifera ingressum habere possint ad cor, cujus rei causa, sepè sudorifera, effectu suo frustrantur.

Ad refectionem virium confert mixtura, ex confectione alKermes, pulvere margaritarum, & corallorum dissolutis in aqua cordiali saxoniæ, cum syrupo de succo limonum, & cocleatim singulis horis exhibeatur: Solet enim hæc virium prostratio, & anxietas fieri, à ventriculo exinanito, seu potiùs privato suo naturali fermento, & ad eum alebente præternaturali materia, vel etiam venenato miasmate.

Extractum scorzoneræ, tum oleum antivenenum, & alia alexipharma a funderia magni ducis Etruriæ a provenientia a multis celebrantur; sed quia in tenuibus capsulis, & vitris venientia in minima dosi adhiberi possunt; si in multo majori copia adhiberi possent credo quod promissi effectus obtinerentur.

Zacut. Lusit. lib. 1 hist. 36. extollit lapidem de porco spino, seu histricæ marino sic:

Lapis de porco spino, *seu de hystrice marino calidus est, & amarulentus. Vnicè resistit venenis (potissimum frigidis, coagulantibus) reperitur in vesicula fellea histricis, rotundus, amarus, levis, coloris purpuræ dilutionis. Excellentiori modo veneno adversatur; quam lapis bezoar. Invenitur hic lapis apud malacenses.*

In aqua aliqua cordiali positus, brevissimo tempore illam amaram reddit. Cave tamen, ne in intensa febre propinetur; nam impensè calefacit. & inflammat, sitim provocat, etiam si frigidis cordialibus admisceatur. Provocat sudorem, & ob ejus amarorem, mirandum in modum de obstruit, & viscera aperit. Hæc ille.

Nemo miretur, quod nos adeò commendaverimus bezoardicum nostrum ex tribus draconibus. Nam reperies, penès Thom. Vvillis, quod *pulvis quæ in peste anni 1643. summam laudem adepta est, & quæ tunc maximo precio uendita fuit (erat enim secretum) fiebat ex buffonibus sale expurgatis, deindè optimo uino lotis, & in olla fictili leviter calcinatis, ut pulueriçari possent. Hujus Dr. iiij. copiosissimos sudores mouebat, & a uirulentia liberabat.*

Mathiolus refert, quod *lapis bezoar ualet etiam in ore integrum detentum, tum mirificè aduersus sitim, & linguæ ariditatem adhibetur, si potissimum madefiat sepiùs, & supra linguam detineatur.*

Eligatur igitur tenuis lapis, & qui facilè a lingua volui possit, ponderetur, nam si verum bezoar sit, pondere imminuetur.

Zaffirus quoque super linguam detentus mirandum in modum juvat. Præterquam quod, ea omnia, quæ in ore a lingua voluuntur, concitatis & apertis ductibus salivalibus, sitim, & linguæ ariditatem arcent.

Spiritus nitri in aqua card. bened. vel scabiosæ sumptus ad Scr. j vel Dr. v. sudores movet, & calores, atque effervescentias efficaciter moderatur.

Pulvis decantatur Ducis mantuæ ad febres malignas paratur sic: ℞. pulveris viperarum Dr. iij cornu cervi parati on. i. boli armeni, rir ocerontis perlarum, corallorum an on. v. salis prunellæ, rad. contrahiervæ, tormentillæ, gentianæ, bistortæ, dictami albi, scordii, seminum citri an Dr. ii. Foliorum auri numero 60. misce. Dosis Dr. v. cum aqua cordiali.

Riverii pulvis sudorificus, fit ex stybio diaphoretico, bezoardico minerali, lapide bezoar orientali, & sale prunellæ an, cum granis canforæ.

Scroderus mercurium fixatum, titulo panaceæ super cætera sudorifera tollit. Tum tincturas auri veras.

Crolius flores sulphuris in peste, & malignis affectibus (potissimum læsa respiratione) plurimum valere, & esse sudoriferum dicit.

Sylvius ab acidis precipitantibus, tum secernentibus a massa sang. sudorem promoveri dicit. Tum a sale volatili, constantibus ex. gr. cornu cervi, viperis &c.

Riverius cent. 2. obs. 83. *Bezoardico miner. utitur mane, & sero ad Scr. i. etiam pluribus diebus, & ait: nil mirum si nil operetur. Vulgares enim timidi, in nimis pauca quantitate propinant.*

Idem cent. 4. obs. 17. in puero duorum annorum præsentibus variolis *exhibuit sepiùs in die Scr. 5. bezoardici mineralis, donec uariolæ perfectum habuerint augmentum.*

Riverii solitum diaphoreticum componitur sic: ℞. bezoardici mineralis Scr. i. salis prunellæ Scr. v. Canforæ gr. vi. propinetur cum aqua cardui bened. Tum jubet *potum diaphoreticum* (*decocto*, & oleo camomelli cum copioso nitro] cum spongiis benè ferventibus, post illud assumptum, horam una, vel altera. Hoc idem procurari posset, decocto in vesicis multis, hinc inde a lateribus ægri positis. Per tres dies.

Tachenius in suo Hip. chim. observavit; quod a natura institutus fuit sudor, ut dissolverentur, & resolverentur sordes in viventibus, quæ interiùs coagulata sunt; ideòque a natura constitutus fuit salsus, volatilis, oleosus, penetrantissimus adeò, ut *iter facientibus* (*prout in se ipso expertus fuit*) *sudor ab equo proueniens, uaporis modo, ocreas penetrare ualeat.*

Cautè in febri maligna dentur bezoardica sudorifera volatilia spirituosa acria præsente magno æstu; nam majorem phlogosim in viscеribus inducunt, & majorem *in liquoribus* massæ sang. fermentationem, ac dissolutionem, malignumque ignem magis accendunt. Securiora igitur sum acida mineralia, vel succus citri, quæ stomachum roborant.

Extractum liquidum chinæ singula hora exhibitum, progressam febrem malignam tollit. Sed potissimum febres omnes antequam malignæ fiant in principio tollit.

Dietetici canones in febre maligna, vel peste.

Vt præservetur medicus ab habitu infecti, reponatur in ore ægri taleola citri, vel limonum, vel os acido aliquo coluatur ex. gr. aqua aceto mixta &c.

Galenus primo aphoris. com. 17. juber, ut *sepe & modice cibentur isti ægri, quoniam horum uires sunt infirmæ.*

Ludo-

Ludovicus mercatus diligens ſcriptor de febribus malignis, jubet, ut *victus horum ægrorum ſit moderatus, non parcus quoniam maſſa ſang. attemperari gaudet, ſecùs magis, magiſque ſemper conflagrabit. Ideòque cum cibis miſcere perlas preparatas, oculos cancri, & ſimilia maximi ſemper erit emolumenti.*

Cibi ſint potulenti, inter quos ptiſana diluta ſuper cætera alimenta commendatur, quoniam in copia tutò exhiberi poteſt, ut ſic chyli ſubſtantia frigidiuſcula humida, ad cor pervenire poſſit; ſecùs in pauca quantitate hæret in primis viis, & a calore præternaturali depravatur. Multum verò intereſt maſſam ſang. chylo frigidiuſculo humido attemperari.

Quia verò languet, ſtomachus, aſſiduò ptiſana utendum non eſt, tum partitis vicibus exhibeatur cum emulſione amygdalarum, prunellis vel quatuor ſem. frigidorum, admixtis pulveribus confortantes corallorum, terræ ſigillatæ, vel aliarum.

Tum ſtomacho nidoroſo exiſtente, adiicere ſuccum citri, vel limonum, ne tam citò alimenta in ſtomacho alterentur, & corrumpantur; vel ſpiritum ipſum vitrioli, qui ſumoperè etiam prodeſt, ad attenuandum chylum, ad facilitandum ejus tranſitum ad cor, ad confortandum ventriculum languentem, acidis gaudentem, quæ ſupleant vicem acidi ſtomachici corrupti.

Ideò ſuccus oxalidis, pimpinellæ, acetum, ſuccus limonum; cum panatellis ſorbilibus, & aliis cibis, in cauſa valdè æſtuoſa commendantur.

Gelatina acidula, cornu cervi, ſumoperè comendatur acidoclitri.

Quia *vini odor ſpiritum valdè recreat, & vigoroſum facit*, meliùs quam acetum, ſpongiola exceptum, modò vinum malvaticum, modo acetum optimum (ex vino malvatico ortum) ſub naribus ægri imponantur.

Aquæ cordiales priùs acidulæ fiant, ſpiritu vitrioli, deindè ad aurificem mittantur, qui ſepiùs ignitis lamellis auri ipſas calibeare quodamodò vellit.

Decoctiones præſtantiores pro his ægris parantur, ex radice ſcorzoneræ, pentaphili, vincetoxici; ex plantagine, borragine, ruta capraria portulaca, pimpinella, acetoſa, cornu cervi citoniorum.

Aer corrigatur hyeme luculentis ignibus accenſis, ligno juniperi, cypreſſu, & aliis odoratis ſuffumigiis, ex. gr. bachis juniperi lauri, benzoini, myrhæ, &c.

In ædibus ſuffumigia fiant ex ſulphure, vel ex pyrio pulvere accenſo, vel aceto cum bezoardicis ſimplicibus, in variis ollis ebulliente, ac effumante.

Expoſio quoque bombardarum ſumoperè commendatur.

In angulo verò conclavis dormitionis, & manſionis bulliat in olula aqua florum aurantiorum, vel etiam aqua roſacea cum aurantio toto, gariofillis integris transfixo, quod ſi belzoini veri pulvis, mirhæ, & alia conſimilia addantur, nobile ſuffumigium præſtabunt.

Ab acidis ergo moleculis halonitri, & ſulphuris, particulæ venenatæ in aere volitantes, præcipitari per pulverem bombardarum accenſum poſſunt. Certa namque res eſt, quod tincturas omnes præcipitant ſpiritus acidus.

Alimenta ſaccarata, mellita, aromatica fugiantur; ſed potiùs cibi alterentur acidis.

Crato lib. 1. ep. 1. teſtatur, quod in his febribus potus aſſiduus in quo ſit cornu cervi, plus dat auxilii, quam cætera medicamenta. Vel ſaltèm gelatina cornu cervi ſoluta cum potulentis, vel in obſoniis.

Vinum album dulcem Hiſpanicum, vel malvaticum, luteo ovi cocto, calido admixtum, vel etiam addito juſculo, vel aqua cordiali ſaxoniæ, & margaritis, vel oculis cancri in extremo caſu virium lapſarum, exhibetur cum certiori; & majori emolumento, quam cum univerſis elixiriis, & aqua vitæ matthioli, aliiſque præparatis vini ſpiritibus qui in hoc caſu adhiberi ſolent; Quin pauca quantitate parum levaminis adfuerat.

Siticuloſis, arida lingua, nigra, exhibeantur cocleatim ſingula media hora, emulſiones, paratæ ex 4. ſem. frig. in aqua cordiali, cum ſale prunellæ, oculis cancri, margaritis, & aliis alKalicis pulveribus.

Suſpecta eſt corporis agitatio, ne maſſa ſang. magis turbetur, & fermentatio augeatur; ideo corporis & animi quies ægris imperanda eſt. Potiſſimum poſt ſumpta bezoardica ſudorifera, quietus, & benè tectus ad ſudorem eger ſe componat, vel ſaltem ad bonam tranſpirationem, ut miaſmata venenata exitum inveniat, ſecus magna facta agitatione, ac tegumentorum projectione in duplum ſymptomata augentur.

Somnus ſub primum morbi peſtilentis acceſſum, pro viribus omninò arceatur, antequam mercuriale purgans ſudoriferumque exhibeatur, tunc enim ſomnus conceditur; ut per ſomnum ſudor concitari poſſit. Secus per ſomnum, peſtilens venenum magis concentratur, & ad intima penetrat.

Integro maneat æger animo, neque a curis diſtructo, rebus ſuis familiaribus jam aptatis, atque diſpoſitis, teſtamento & aliis &c. tum deonerata conſcientia rebus ſacramentalibus, ſpem ſuam in benigna charitate Dei totam reponens; Certò credens, facturum ſuo ſancto decreto, id quod meliùs futurum ſit.

De Peſte.

Cap. II.

Horrendâ facie nemeſis, & meduſæ anguiferæ, in mundi ſcena comparet peſtis, tragicos eventus, ac venenatos, provinciis, integriſque populis adducens, & conſpargens.

Pithonis monſtrum infectum, quod ex paludoſis progenitoribus natum, & Apollineam jaculandi ariem, ſepe illudens, promiſſa ſalutis oracula, mendacia facere gaudet. Sed poſtquam perita manum confoſſum eſt, dignum redit medicum, plures concives ſervantem, non Romanorum ritu coronam lauream; ſed auream reportare.

Canis, ſeu Cerberus peſtilens, ex cæco inferorum antro fractis cathenis delapſus, aconita vomens; atque ſine latratibus ſui præſentiam occultans, ore veneſico correptos, igneis, nigre factis anthracibus miſerabiliter lacerat.

Stygiæ paludis venenatum, per aera diſſeminatum miaſma, quod reſpiratum, ad Acherontis cymbam, immaturæ Lacheſis forfex, mortales ex omni ætate reciſos, indiſcriminatim tranſmittit.

Hipocratis lib. 3. epid. docet, quod *peſtis dari poteſt ſine febri*. Ratio autem hæc eſt; quia venenata qualitas, in ſpirituali, exigua, tenuiſſima ſubſtantia conſiſtit, cui adjuncta non eſt caliditas, (ideoque

que potiùs curatur alexipharmacis, quam elementaribus qualitatibus pugnando] neque alia qualitas elementaris, fermentativa massæ sang. Sed diametraliter adversus spiritus forma est, spiritui nostro vitæ; quem veluti de sua impetuosè propulsare nititur, quandoque absque turbata sanguinis mixtione, sed ejusdem potius coagulatione facta; ideòque tunc ex abrupto cadunt homines, veluti venenato fulmine percussi.

Sine igitur prævia sensibili febre, vel magnis alterationibus, quandoque cadunt homines, a violento, & subito interfectore, quoniam adeò brevis est, & celerima alteratio, ut nulla videatur.

Rarò tamen sunt pestes, adeò atroces, quæ sine prævia alteratione febrili, in massa sang. introducta, possint massam sang. corrumpere, & vitæ spiritum, a sua conjuge, recedere cogant. Sed ut plurimum sanguinis massam contaminant, & vitæ spiritum lacescunt, qui conatus suos ostendit duobus potissimum, affectibus capitis, & bubone aut carbunculis.

Hip. lib. 1. prognost. dicit *pestem divinum quid esse & occultum, admirabile potiùs quam cognoscibile*. Galenus verò in com. *a Diis venire docet; atque observavit quod equè morsus venenatorum animalium, ac pestis eadem inferant symptomata.*

Et sicuti venenata simplicia, uni ex. gr. speciei animantium inimica sunt, sicuti napellus homini, qui tamen sturnis est nutrimentum. Canibus nux vomica est exitiale venenum, hominibus verò est medicina febrium.

Venenum itaque pestilens fundatur in moleculis quantitate, & mole quidem minimis; sed vim, & potentiam maximam habentibus.

Claro testimonio, quod a spiritu astrali movente veniat, cujus activæ potentiæ, & energiæ cuncta sublunaria, elementaria, inertia, mortua passiva obtemperare debent.

Est igitur spiritus venenatus pestis, similis (ratione materialis, suæ corporeæ substantiæ) spiritui nostro; sed solumodò differt ratione suæ formæ, nempè ratione varii sui sigilli; atque ideationis; namque ideatus venit ab astris, eadem forma, & sigillo, quo ideatum fuit arsenicum inter fossilia, buffo inter animalia, aut vipera. Aconitum, inter vegetabilia.

Ideòque a propria forma, seu a tota substantia veneficus spiritus pestilens, hostilitatem exercet adversus spiritum nostrum vitæ sensitivum, seu Archeum; cui cum non possit uniri ob contrarietatem ideationis, cum ipso veluti pugnam init, & motus concitantur utrimque violenti.

Insitus enim spiritus noster calorificus, celestis, igneus, vitæ custos, maritus massæ sanguineæ, tentant prosternere adversarium spiritum; indè fiunt horrenda symptomata in facultatibus omnibus; ex ignea enim combustione cruoris fiunt carbones. Ex contaminato sero alb. nutritio excitantur bubones.

Si autem giganteus sit spiritus pestilens, & debilem, pigmeum spiritum nostrum inveniat, postquam per varios irregulares motus hinc indè fugavit, tandem prosternit, & soluto matrimonio cum massa sang. ad congeneas auras nudum spiritum, sine ideationis ampliùs sigillo, evolare compellit.

Ostendimus igitur pro horum stabili fundamento Platonis in nostris libris physicis, tum in instit. med. ref. quod nihil est inter sublunaria activum, & movens, nisi spiritus æthereus, ad quos libros lectorem remittimus; secùs quietativè, & quiditativè, per doctrinam Aristotelicam, impossibile erit, reddere rationem exactam causarum, & symptomatum universorum pestilentium.

Noster namque spiritus, igneus, calorificus, de solis, & astrorum progenie, de cælo ad nos venit, secum sigillum ideationis gestans, & architectonicam agendi vim, qua animæ nostræ immortali, corruptibile ædificium parat; quod pariter ædificium, usque ad extremum diem reficit, restaurat, defendit, variis artibus, & instrumentis instructus.

Directus tamen ab immortali anima, quæ sine hoc primario instrumento, spiritualis omninò existens, & toto cælo a corporeo, & materiali ædificio discrepans, nisi haberet huuc spiritum æthereum, quod veluti quid medium intercederet inter animam omninò spiritualem, & æternam; Et inter corpus, quod constat ex mortuis, elementaribus, inertibus membris impossibile esset, ut sola anima, membris, sine spiritu imperare posset; nam spiritus motor est, qui corporea membra immediatè dirigit, & movet.

Anima autem dicitur possidere facultates omnes, quæ sunt communes animalibus; mediante hoc spiritu æthereo, qui communis est homini, & animalibus; secùs propriè non posset dici, quod homo sit animal, nisi hunc spiritum, cum animalibus communem haberet:

Quando enim anima posita fuit in hoc corporeo ergastulo, potentiam accepit a suo sanctissimo genitore (qui creator animæ voluit recta ratione pater noster vocari) ut ipsa esset veluti regina cæterorum animalium; atque non solum intelligeret, & liberè vellet; sed esset rectrix, & domina istius spiritus, *communis cum animalibus, sensitivi nempè*, irascibilis, & concupiscibilis.

De anima ergo intellectiva, & de spiritu hoc sensitivo res satis clara, & manifesta est. Quæsitum est solumodò ab aliquibus de facultate naturali seu Vegetativa quæ videtur sui juris esse, neque subiici animæ rationali, indecens enim videtur, quod immortalis anima, nobilima, debeat veluti famulari sordidæ facultati excernendorum excrementorum, vel in coquinis variis alimenta preparare debeat; quare videntur actiones esse non imperatas ab anima rationali.

Iste igitur fuit hereticalis scopulus Joannis Dolei, qui in sua præfactione Enciclopediæ, 24. argumentis probare nititur hominem, esse animal dypsicum, scilicet duabus animabus instructum.

Cui tamen in libro 2. de tuenda valetudine *respondisse sufficienter puto*. Nam sicuti in animalibus duas esse animas non diximus, neque spiritus distinctos, sed unicum; varias facultates habentem, nempè sensitivam, & vegetativam. Sic pariter in homine, non sunt duo, vel tres animæ distinctæ; sed unica est anima, quæ habet pro unico instrumento corporeo spiritum, duabus facultatibus inservientem, nempè sensitivæ, & vegetativæ; quare spiritus est coquus in diversis officinis, est mediastinum, & bajulus servulus, pro exportandis excrementis &c.

Anima autem rationalis, veluti pater familias sedens, nil agit; sed jubet, ut hoc, & illud fiat per famulos &c. nempè per varia membra, & per domi magistrum spiritum, qui omnia opportuna dirigit.

Hinc est quod recedente, atque in auras abeunti tali spiritu manent quidem omnia membra, & liquores sed mortua sine vegetatione, sine vita corruptibili jacent sine motu, sine sensibus.

Si enim absolutè spiritus sensitivus *sui juris* esset cur in aliquibus saltèm de mortuis, *motus* & sensus aliqui,

aliqui, cum vegetativa non obſervari poſſent? Certo namque conſtat, ex deſtillatione quorundam animalium, quod magna hujus ætherei ſpiritus poſt animalium mortem remanet.

Præterea cur motus, vel ſenſus in æſtaticis obſervari non poſſet? Cur pariter ſpiritus hic corporeus in ſenibus hominibus, equè ac in beſtiis obſervatur ſenſim iminui; juxtà ſacram ſcripturam Job: *ſpiritus meus attenuabitur, & dies mei abbreviabuntur*? Non quidem ratione animæ, quæ per ſenectutem ſemper magis perficitur; ſed eſt ſpiritus qui inſtrumentum primarium animæ exiſtens, ſenſim deficit, & evolat in auras.

Ideòque neque viſivæ potentiæ ut priùs inſervire poteſt, neque auditivæ, neque muneribus naturalibus ex gr. concoctionis ſtomachi &c. quare detur mihi ais ſpiritum æthereum hunc ſiſtendi ac ligandi cũ conjuge ſua humiditate radicali, & jam in plura ſæcula vitam duraturam pollicebor; ſed ſufficiat mihi per librum de conſ. valetudine & ejus appendice, oſtendiſſe artem prorogandæ (quantum fieri poteſt) ſenectutis ſolumodò.

Peſtis igitur ex Hipocrate divinum quid eſt, quamobrem juxtum, & rectum eſt ſuſcipere, atque divinum numen venerari, ac implorare propitiatoriis ſacramentis; ut manu Dei omnipotentis flagellum hoc avertatur, Sic enim ex lib. 2. regum cap. 24. David rex, conſpexit angelum domini, evaginato gladio populum cadentem, ob peccatum, deindè ad aram Jabuſei hoſtia placatus eſt; atque ceſſante angelo, cohibita eſt plaga Iſrael. Ob icelera namque clades iſta frequenter populis immittitur.

Galenus itaque lib. 1. acutorum peſtem *morbum appellat pernicioſum, plurimos uno tempore conflictantem, & Grecè epidemicum appellat*. Morbus autem qui communis quidem multis; ſed uni cuidam regioni, vel urbi ſolumodò peculiaris eſt. *Endemicum, vel patrium appellat*. Sporadici enim morbi dicuntur, qui copioſi ſparſim quidem graſſantur; ſed non ſecundum eundem modum, neque ſecundum eadem ſymptomata invadunt.

Ariſtotiles 4. ſect. probl. 21. qui a rebus materialibus ſublunaribus oculos mentis removere non vult docet *annum peſtiferum futurum, qui valdè pluvioſus eſt, ob copiam putridorum vaporum elevatorum; niſi a valido igneo ſolis calore diſſipentur*.

Arabes, egyptii tum caldei aſtrologi, & horum ſectatores, indefeſſa aſtrorum obſervatione, obſervaverunt, quod nullæ aliæ ſunt veræ cauſæ peſtis, niſi aſtra, quorum malignas configurationes, multorum ſæculorum, eventu peſtilenti confirmatus, nobis tradidere.

Certum eſt enim, & experimentis infallibilibus confirmatum, quod aſtrorum motus, eſt cauſa efficiens univerſorum motuum generationum, corruptionum, augmenti, decrementi, & alterationum, in omnibus ſublunaribus.

Quare Ariſt. lib. 4. meth. cap. 2. agnovit *neceſſe eſſe, inferiora hæc ſuperioribus lationibus regi*.

Certum enim eſt aſtrorum motus, tempora commenſurare generationis, in variis animalibus, & eorum corruptiones, ſeu tempora varia vitæ; ſic pariter ſingulorum augmentum, & decretum, & denique motus omnes alterationis; neminem ſublunaribus motum præſtare, niſi æthereus ſpiritus, qui excitat ventos, & metheora, atque dividens tempora, calorem, & frigus adducit.

Cæleſtia igitur corpora ſunt agentia naturalia, prædita virtute alterandi, ac immutandi elementa, & eorum ſingula mixta, agendo lumine, & motu, ſeu influentialiter; Quare nil mirum, ſi maligna influentia cælitus demiſſa, afficiantur præcipuè illi, qui morboſum apparatum in corpore retinent.

Cometæ alieque portentoſæ in cælis aparitiones, tum venti, & terremotus a ventis ſubterraneis, planetarum, ac ſtellarum partus, & effectus ſunt. Atque cometę aparens obſervatur habere colorem, figuramque correſpondentem naturæ planetæ, vel ſtellæ magnæ, a qua producitur.

Sic Ptolomeus, Hali, arabes, egyptii, caldei variis rationibus, & hiſtoriis muniti, eventus morborum peſtillentium ad cometas ſubſequutos fuiſſe monſtrant &c.

Hanc quoque aſtrorum, & aeris varii morboſam efficaciam, in alterandis corporibus, indigitare intendit paſſim in libris Epidemiorum Hipocrates.

Animalium venenoſorum copioſa generatio, buffonum, ſerpentum, ſcorpionum, ac inſectorum (ſolent enim ſingula inſecta a natura muniri veneno, ut a magnis & perfectis animalibus, vitam ſervare poſſint, & caveantur) & aliorum quæ ex putri naſci dicuntur,

Hęc inquam copioſa præter ſolitam comparentia; futuram peſtem ominantur. Ex eodem enim genitore ſpiritu æthereo, venefico, ideato, peſtes in noſtri libris phiſ. de gen. jam oſtendimus oriri.

Talia igitur ſordida animalia, ſpiritui noſtro æthereo adverſa, præcedere ſolent, tum variolæ, ſeu peſtes infantilles, ac morbilli, vel peticulæ aliique morbi contagioſi.

Vel etiam mortalitas aliorum animalium domeſticorum præcedit. Aves quoque in maxima peſte, de cælo mortuas cecidiſſe narratum eſt.

De cauſa materiali contentio eſt inter auctores; nam Thom. Vvillis *ſanguinis peculiarem coagulationem, deindè in partes ſecretionem (ut lac per coagulum) ab acido peſtilenti ſpiritu, cauſam eſſe dicit*.

Alii contendunt contagioſum ſpiritum eſſe ſceptici tantumodò, veluti arſenicalibus particulis armatum, quibus inducit in maſſam ſanguineam mutationem in ichoroſam, acrem, igneam malignam ſubſtantiam, virulentam, diſtantes inficientem.

Alii dicunt hoc fermentum malignum nulla præditum eſſe materiali qualitate minimum exiſtens; & ſumè volatile, ſanguinem tamen potenti vivario modo fermentans, ac inquinans, ſpiritum verò vitæ veluti prepotens hoſtis mortificans, ſyderans, ac proſternens.

Spiritum verò noſtrum vitæ graviter pulſari, & affici, colligitur ex ſumma virium omnium proſtratione, pulſus debilitate, vigiliis, deliriis, convulſivis motibus &c. interim ſine fræno ſe diffundente contagio per univerſum corpus, evulſa veluti habena de manu rectoris ſpiritus noſtri.

Secundum noſtra principia Platonica, ſpiritus æthereus ideatus, idea maligna peſtilenti, eſt harum febrium cauſa qui in minima, & imperceptibili quantitate, & mole. Veſtitus tamen, atque impreſſus ſigillo entelechiæ moventis, eadem penitùs ratione, ac in tenuiſſimis quibuſque animalibus, ab hoc minimo imperceptibili ſpiritu ideato animatis; ex. gr. acaridibus caſei, quibus adducit integros ſenſus, & movendi variis pedibus facultatem &c.

Hinc eſt quod variæ peſtes etiam in variis ſpeciebus animalium obſervantur; quia varia ratione talis

lis ſpiritus æthereus venenatus fuit, hoc vel illo ſigillo impreſſus, & ideatus, ut ſit venenum ſolumodo æquorum, ovium, bovum &c.

Talis igitur ſpiritus veneficus, ideatus, in aere diſſeminatus juxta influentiam cæleſtem vel illum hominem, has, vel illas beſtias, immutabili divinę ideæ decreto, afficit, & inficit.

Si autem mirum alicui videatur quod ſpiritus iſtę æthereus, qui congeneus eſt noſtro ſpiritui vitæ, deſſuper quoque adveniens, poſſit eidem adverſari, imò ſyderare, ac mortificare [illegible]

Reſpondemus, quod in ſtatu ordinario æthereus hic ſpiritus, nudus, & non ideatus eſt congeneus, & amicabilis frater, ſpiritus noſtri vitæ; & tantum abeſt ut ei adverſetur, ut quinimò aſſidua reſpiratione, carceratum ſpiritum in ergaſtulo corporis noſtri viſitet, reficiat, & aſſiduò nutriat, & muneribus ſuis perficiendis coadivat, igniculum vitæ, veluti follis accendendo, qui ſi duobus momentis ad cor influere ceſſet, homo ſuffocatur, nec vivere poteſt.

Sed in ſtatu influentiali extraordinario, ideatus maligno ſigillo, ad inveniens materiam diſpoſitam (ut ſunt tetræ exalationes de terra, de antris venientes) veluti veſtitur, & hac materiali, ac formali ratione, fit unum compoſitum veneficum, quod inſidiatur vitæ hominum ex.gr. & non equis, vel pecudibus, Aliquando è contra, ſolis æquis, vel pecudibus intactis hominibus.

Quorum ratio nulla certè alia eſſe poterit, niſi a tota ſubſtantia; nempè a forma ſpecifica veneni varii ideati ab aſtris.

Sic arſenicum quadrupeda occidit, ſalvis felli-bus, quibus inſervit tantumodò pro medicina purgante.

Nux vomica canibus eſt exitiale venenum, homini inſervit pro medicina in febribus, & aliis affectibus. Rubetæ, buffones, araneæ, ſcorpiones, ſunt exitiales homini; ſed pullis, ac fermè omnibus volatilibus, ſunt nutrimentum, & ægrotantibus ſalus, quibus mediantibus aquila renovat (ſerpentes devorando) juventutem ſuam.

Concludimus igitur, quod nihil eſt mirum, ſi ratione varii ſigilli, & ideationis, ſpiritus iſte æthereus, aeris aliquas corruptas particulas inficiat, ita ut illæ ſuſcipiant naturam arſenici, vel nucis vomicæ, aut cocularum, quæ ſunt ſolis piſcibus exitiales.

Mediante itaque aere ſe inſinuare ſolet peſtis; per inſtrumenta reſpirationis; ſed frequenter in ingreſſu aeris ad pulmones, hæret peſtiferum miaſma. circà partes oris, & deglutitur cum ſaliva, ad ſtomachum deſcendens; inde etiicitur ratio, cur iſti ſtatim conqueri ſolent de moleſtia quadam, circà ſtomachi orificium ſuperiùs percepta, cum nauſea, vomitu inani. Ideò in his de mortuis apertis, obſervatus fuit ventriculus, veluti eſcarotico carbone nigreſcere.

Peſtes ſepè contingunt, nulla facta in aere, quoad primas qualitates inſigni mutatione, atque alteratione [aer enim purus aparet) quarè tunc conjiciendum eſt, a maligno quodam ſyderum influxu, in urbibus potiſſimum bono aere, bonis aquis gaudentibus provenire; Quare.

Hpz epid. ſect. I. *divinum quid in epidemiis admiratus eſt.*

Inſolita quoque meteora, & potiſſimum cometæ, deſuper venire morbos peſtilentes, & magnas in mundo mutationes ſufficienter arguere poſſunt; quare. Claudianus?

In cælo nunquam ſpectatum impune cometem.

Fructus quoque terræ, & arborum ex prava ſyderum conſtitutione corrupti deſſuper venire peſtilentiales morbos arguere poſſunt; tum annonæ caritas quæ plebem vexat.

Ita ut ex fame præcedente, peſtis ſubſequuturæ præſagium deſſumi poſſit. Eadem enim maligna influentia, quæ ſegetes ſyderavit, eadem eſt apta peſtem producere.

Helmontius cap. tumulus peſtis obſervavit; quod peſtis non primariò ſemper cor invadit, & ait: *Vidi qui tangendo peſtiferas chartas, illico ſenſiſſe dolorem veluti pungentis acus; Mox peſtillentem antracem in digito indice excreviſſe, & poſt biduum obiiſſe.* Idem ait: *Vidi ſtomachum ancillæ, quæ ultrò arſenicum ſumpſerat, & vidi poſtmodum conſimilem ſtomachum ſphacellatum in peſte affectis, qui intra paucas horas obierant.*

Cauſa itaque horendorum ſymptomatum in peſte, ſunt præternaturales motus, & ſtagnationes factæ hinc inde maſſæ ſanguineæ; dum non ſecùs ac lac aceſcens, vel acido coagulo perfuſus, poſt coagulationem in partes ſeccedit; aliæque portiones grumefactæ indurantur; (potiſſimum cruoris ſpiritu vitali deſtituti, ſicuti obſervatur, in extravaſato cruore in matula, poſt venæ ſectionem] cum nigredine, mortificatione, & ſpiritus amiſſione.

Indè ſtagnans in vaſibus cordis, factoque polypo, cæteris liquoribus motus circularis impeditur, atque interturbatur. Quidquid verò circularem motum maſſæ ſang interturbat, brevi mortem accerſit.

Ad ambitum corporis protruſus hic cruor, ſpiritu deſtitutus, combuſtus, fuliginoſus, igneus, extinctioni proximus, carbonis igniti adinſtar, ſub denſa cute ſiſtitur, & necroſi ſua antraces, vibices, ſtygmate nigra producit.

Pars verò ſeri alb. veneno peſtilenti tacta, varias quoque coagulationes, & præternaturales motus ſubjens, eſt cauſa, ut glandulæ (quia ſunt incernicula ejuſdem ſeri alb.) in varias tumefactiones, atque impedimenta impingant; inde fiunt in glandulis inguinum bubones, retrò aures parotides.

In nervis autem, & nervoſis partibus, variæ fiunt anomeliæ, convulſiones, paraliſes, cerebri affectus, deliria, ſomnolenti affectus, pro vario motu, & variis circumſtantiis, a ſpiritu impulſore procuratis.

Venenato ergo fermento maligno (acidum appellarent ſaporiſtę) maſſa ſang. coagulatur, indè in partes ſeccedés, virium dejectiones animi deliquia, ſincopes pulſus amiſſiones in vitali facultate contingunt.

Ad peſtem diſpoſita ſunt temperamenta calida, & humida. Tum quæ rariori, vel etiam denſiori habitu prædita ſunt. Tum plethorica; tum cacochyma. Vel quibus principalia membra, ſunt imbecille; vel aliqua labe affecta Vel qui magnis animi pathematibus conflictati ſunt. Vel intemperatè viventes, nimio Baccho indulſerint. Vel qui nimis Veneriis laboribus fracti, enervati ſint. Vel victu plebeo utentes.

Cauſæ externæ, etiam ſecundum vetores; eſt aer non debitè perflactus, ventiſque agitatus, ſed ſilenss, tetris, putridis, acribus, arſenicalibus corroſivis particulis refertus, ex ſtagnis paludoſis, vel ex antris mephitim ſpirantibus, aut ex ſubterraneis mineri veniens. Vel ex criptis mortuorum apertis, vel ex cadaveribus inſepultis.

Cæli obſervatores, poſt coitum ſuperiorum planetarum Saturni, Jovis, & Martis, in ſignis humanis potiſſimum Aquarii Virginis, & Gemini, malè affe-

cto

&o mercurio ab eorum radiis, peſtillentias in orbem diſſeminari obſervarunt, Si potiſſimum luminarium ecclypſes exactè in capite draconis præceſſerint, cum malo maleficorum aſpectu.

Aliquando divino mandato angelo percutiente immittuntur peſtilentiæ, & tempore Gregorii Pontificis Romæ contigit. Vel etiam a Satana, ut de peſte Pizentina narratum eſt, in hyſtoriis eccleſiaſticis.

Huc etiam referuntur veneficia, incantationes, pulvere venenati a veneficis diabolo ſuggerente ſparſis vel unguenta, quibus mediolani peſtis inflicta fuit; prout clarè conſtitit, a veneficis ſupplicio punitis.

Carbonibus accenſis clam ſub lecto dormientis poſitis, in anguſto cubiculo fornicato, ſanguine in pulmonibus coagulato, venarum interceptio concitatur, & more apopleticorum interficiuntur iſti.

Paracelſus ejus opinionis eſt, quod *maxima pars hominum tempore peſtis, ab immaginato terrore inficiantur.*

Plurimum certè immaginatio maſſæ ſang. motum vario modo turbare poteſt; prout in pudore, in iratis, in metuentibus obſervari poteſt; ſed præcipuè in gallo Calecutano, cui caro de collo propendens, pro variis animi commotionibus, variè coloratur. De immaginatione prægnantium, res omnibus nota eſt; quod ex. gr. in fœtu generant vera ceraſa, quæ tempore ſolumodò ceraſorum manifeſtantur, elevantur & colorantur.

Non pauci ſunt, *qui alios vomere videntes, ipſi quoque vomunt*; Vel ad aſpectum oſcitantium, ipſi quoque oſcitant.

Obſervatum præterea eſt, quod prægnantes, tum meticuloſæ mulieres, tempore peſtis multo faciliùs, quam viri alacres, bonoque animo, inficiuntur, & citius moriuntur.

Paracelſus qui in rebus magicis fuit exercitatiſſimus, [ut videre eſt in ſua archidoxi magica, ubi ipſe non negat ſe cum ſpiritibus iſtis rem habuiſſe) ait: *Diabolus incitat ſtriges, ad peſtes excitandas. Iſtæ cadaverum mumias, ſub oſtia templorum effodunt. Spiritus verò illi; odio generis humani, virulentiorem aliis venenis reddunt. Sic ægra Paſſavii, & alibi ſub limitibus templorum, inventæ, & erutæ, poſtquam veneficæ examinatæ in torturâ, confeſſæ ſunt. Sic ego compevii.* (ait ipſe) *villaci tempore peſtis veneficas terram, & pulverem, ex tumulis ſepultorum, abſtuliſſe, ut ſæviſſimam peſtem concitarent.*

Deffinitur itaque peſtis, quod ſit *epydemicus, contagioſus, humano generi ſumè infeſtus morbus; ex miaſmate, ſeu ſpiritu venenato deſſuper a malis conſtellationibus ſuſcepto, in aere diſſeminato, & ut pluvimùm per reſpirationem ſuſcepto; occultè & latenter homines invadens, ſpiritus noſtri calorifici vitalis fugam, & diſſolutionem molitur; coagulatione in maſſa ſang. inducta, & poſtmodum diviſione in partes, motum naturalis ſuæ fermentationis turbat, eamque in motum, & in ſubſtantiam præter naturalem converſam, facit eſſe materialem cauſam ſyderationis, & necroſis, in variis partibus, exanthemata antraces, bubones, aliaque horrenda ſymptomata, cum ſummo vitæ periculo concitans.*

Differentiæ hujus peſtilentis affectus (ſecundum noſtra principia) duæ ſunt; juxta duos liquores alimentales, maſſam ſang. conſtituentes; ſerum alb. ſcilicet, frigidum humidum, ſpermaticarum albarum, nervoſarum partium liquor nutritius, referens in microcoſmo irigatricem aquam.

Alter cruor eſt, ſeu pars craſſior, purpurea maſſæ ſang. quæ nutrit partes carnoſas, rubras; qui refert in microcoſmo terram; ideòque ponderoſior in matula inferiorem partem, ſerum verò alb. ſuperiorem partem occupare obſervabitur.

Dum ergo blandè invicem congrediuntur iſti duo liquores naturali, & placido ſuo motu; ſanitatis, & facultatum omnium vigor, in ſuo viridi viget. Non ſecùs ac terra & aqua in macrocoſmo, dum ſuas naturales vices ſervare poſſunt, felicis omnis nutritionis, & vitæ ſunt cauſæ.

Paraninſa verò & Pluti horum nutritiorum liquorum ſe gerit lympha pediſſequa, mera aqua elementaris, frigida humida, alKalicæ naturæ, quæ congredientem Venerem & Martem in Vulcani thalamo cordis, aſſiſtit.

Cruor enim veluti terra, ſeu carbo foſſilis, ſulphureus exiſtens, diſpoſitus eſſet totus ad concipiendum ignem Veſtalem, aſſiduò in corde conflagrantem; niſi ab amplexu humido Veneris, & ab hoc aqueo liquore demulciretur, atque irrigaretur, ne totus in fuliginoſam bilem tranſeat.

Duo igitur iſti liquores, diverſæ naturæ, alter veluti mas, alter fœmina; ſi a veneno peſtillenti tangantur; & eorum amicabilis amplexus, & congreſſus ſolvatur, inde horrenda ſymptomata, in univerſa æconomia animali concitantur, quæ communia ſemper conjugatis iſtis; attamen modò magis ſe tenent, ſeu majorem partem horum habet cruor, modò ſerum alb.

Et ſic nos conſtituimus duplicem differentiam harum febrium, ſive peſtillentium, ſive malignarum Quia differentem habent cauſam materialem, differentia ſymptomata, differentia prognoſtica; differentem curationem.

Alia namque ſymptomata fiunt ab infecto magis ſero alb. Alia ab infecto magis cruore. Ab infecto enim magis ſero alb. fiunt ſymptomata, quæ magis cerebro, & partibus nervoſis, tum adenoſis infeſtæ ſunt. Nam fiunt convulſiones, ſomnolentiæ, delyria, paraphrænitides, bubones, cum febri lenta, occulta, pulſibus parvis.

Ab infecto magis cruore fiunt ſymptomata, quæ magis cordi, & vaſibus ſuis, tum carnibus tribuuntur, ut ſunt igneæ inflammationes, carbones, vibices, antraces, febres ardentiſſimæ, pulſus vehementes, celeres &c.

Mutatis mutandis, coincidit ſententia Vvillis cum iſta; Nam duas, ratione cauſarum conſtituit differentias, & duas exindè inſtituit curationes varias. Obſervavit enim, quod aliquando magis urget intemperies calida, adurens, cum carbunculis, & affectibus inflammatoriis.

Aliquando magis urget malignitas, & tunc febris ad aparentiam non videtur magna, ſed unicum tantum, vel duo maligna ſymptomata, lætalia manifeſtantur, ex gr. urinam turbatam, delyrium, bubo, vel parotis, &c.

Quare in prima magis obſiſtendum eſt intemperiei, attemperantibus, refrigerantibus, & cautè in ſudorificis, calefacientibus procedendum eſt.

In ſecunda è contra, magis obviam eundum eſt, maligno veneno, adhibitis potentioribus alexipharmacis, theriacalibus, ſudoriferis, calefacientibus, attenuantibus, quoniam de integra coagulatione maſſæ ſang. pertimeſcendum eſt, & ne fiat veluti ſuffocatio, & extinctio repentina, ſpiritus inſiti calorifici cordis.

Peſſimè igitur agunt qui indiſcriminatim in his febribus potentibus calorificis, maſſam ſang. fundentibus attenuantibus utuntur, cum ſummo ægrorum periculo.

ob-

Observationes.

Obſervavi ſingulo fermè anno graſſari peſtem Bixantii cum veris ſignis peſtilentis febris; ſcilicet cum carbunculis, vel exanthematibus, forma variolarum exulceratarum, nigricantinm.

In Cairo pariter Endemicus affectus ſingulo anno ingruit circa dies ſolſtitiales æſtivos, qui ceſſat ſtatim ac diebus carniculariboſ excreverit nilus, per cæleſtem influentiam, dum aer & aquæ nili mutantur, & alterantur.

Eſt enim admirabilis ab aſtris & nudum ſatis nota excreſcentia nili, ad quindecim cubitos quandoque & ultrà, unde Claudianus de nilo cecinit.

Fluctibus ignotis, noſtrum percurrit in orbem ſecreto de fonte cadens, nec contigit ulli, Hoc vidiſſe caput.

Vt plurimum tamen peſtes fiunt, vel vigent æſtivo tempore. Sic fuit peſtis memorabilis Athenis, tempore Tucididis. In Etyopia pariter ob ingentes calores, fiunt peſtes fræquentes.

Obſ. Io. Boterus parte quarta lib. quarto narrat, anno 1587. in America fuiſſe ingentem terremotum, qui multas terras diruit. Anno verò ſequenti ſupervenit peſtis, cum ingenti ſtrage puerorum juvenum, & fæminarum, alios ferè omnes in tactos relinquens, potiſſimum qui extrà talem provinciam nati fuiſſent Hiſpani, Affricani &c. Hoc idem Bixantii contingere teſtis ſum advenas eſſe ſecuros quia fui medicus Illuſtriſſimi Excellentiſſimi Baili, & totius Venetæ nationis &c. Venit ergo deſſuper.

Obſ. Malpigius lib. de polypo cordis, quod *epoto veneno; equè ac in peſte, coagulata maſſa ſanguinea in vaſibus magnis cordis, fiunt polypi.*

Obſ. Sanctorius, quod non *omnes peſte intereunt; ſed tertia pars hominum circiter ſolet mori, claro experimento veſpillonum, qui non omnes moriuntur.* Secus ex inſepultis, & in domibus putreſcentibus terribilis ſuper omnes peſtes inſurget, ut fuit Neapolitana anno 55. elapſi ſæculi.

Ex cadaverum etiam interfectorum multitudine non crematur, peſtilentias oriri poſſe conſtat, poſt ingentem cædem Turcarum in Panonia &c.

Sic in Turingia anno 1434. contigit. Imò ex animalium mortuorum copia inſurexit in Germania anno 1125. ex piſcibus magno æſtivo calore corruptis. Sepè locuſtæ ex Affrica venientes, in Mediterraneo ſubmerſæ ſæculis ante actis ad littus ejectæ atque corruptæ, populis peſtem intullere.

Obſ. Valerius Martinus lib. de peſte ſit: *Cælum eſt, quod indit, & ſervat ſpiritum vitæ noſtrum, ac dirigit. Talis ſpiritus eſt ille, qui in ſemine ab initio continebatur*, & qui ipſa uatura noſtra dicitur.

Venenum autem peſtillens, quod ſpecificum eſt, ſoli ſpeciei humanæ; noſtro ſpiritui vitali contrarium eſt, quam venefica, antipatica inverſione mutat, corrumpit (vi accepta, ab influentia cæleſti) facitque ſpiritum noſtrum, in operibus ſuis maximè recedere, a ſtatu naturali.

Nam tale venenum atram bilem facit eſſe cauſam omnium peſſimorum ſymptomatum, mutata tota maſſa ſang. & inepta facta nutritioni, & facultatibus cæteris exercendis.

Alexander Benedictus, medicus aſtronomus eximius, obſervavit factas fuiſſe peſtes, *ab exitiali maleficorum Saturni, & Martis conjunctione, in ſigno Virginis, vel Gemini, altero eorum exiſtente Domino octavæ & luminaribus cum mercurio, ab eis afflictis.*

Obſervavit quod cometes in quas partis caudam ejaculantur, peſtes inferunt, regionibus tali ſigno ſubjectis. Item: quod corpora rara mollia ſunt magis ad peſtem diſpoſita, quam denſa, dura, robuſta. Minus vero paratæ ſunt veſtes ſericeæ, vel glabræ, quam veſtes pelliceæ, vel laneæ.

Obſ. Nicander lib. de theriaca, quod *cadavera a ſerpentibus demorſa, a fermentativo veneno corrupto a feris non deguſtantur.* Sic in peſte Athenarum Tucididis notat Galenus, quod *hominum inſepultorum carnes ab animalibus non guſtabantur;* Quia ſapor, & dulcedo carnium penitus immutabatur. Beſtiæ autem ſunt exacti guſtus, & acutiſſimi odoratus.

Obſ. Et Petrus Salius narrat, quod *lupus rabidus a venatoribus interfectus, & in obſonia præparatus, rabiem guſtantibus intullit; ut mirum fuerit quod neque ignis, neque coctionis vis, venenum illud ſuperare potuerit.*

Obſ. Dioniſius Alicarnaſeus in peſte deſcripta lib. 4 hiſtor. *Romanorum, virgines tantumodò, & prægnantes interfectas fuiſſe narrat.*

Obſ. Gentilis, & narrat, ſolumodò *robuſtos viros, fuiſſe infectos*, pro varia convenentia, vel diſconvenientia veneni. Aliqui enim dormientes cum infectis ipſis, infici non potuere.

Obſ. Tamen Valerius Martinus, quod univerſaliter animoſos, robuſtos, fortes ſtomacho (juxta enim noſtra principia virium robur, a ſtomachi robore commenſuratur) peſtis *non lædit*; quod patuit ex *bajulis*, & veſpilionibus, *animoſis*, *in* Veneta peſtillentia anni 1631. ferè enim omnes incolumes fuere.

Obſ. Petrus Foreſti, & narrat anno 1524. adeò terribilem peſtem mediolani fuiſſe, ut *ipſe viderit panem recentem aeri expoſitum, citiſſimè mucidum factum; imò vermiculis ſcatentem.* Sanos autem homines a peſte correptos, intra quinque vel ſex horas expiraſſe. Ovum recens coctum durum in manu laborantis peſte geſtatum, citò lividum evaſiſſe.

Obſ. Helmontius quod *qui a peſte ſemel correpti convaluerunt, rarò a peſte amplius corripi ſolent.*

Signa diagnoſtica.

Aliqui peſti correpti, ſine manifeſti ſignis, ſine calore intenſo febrili, de repente mortui in terram concidunt.

Alii intenſiſſimo æſtu utuntur, carbonumque ſtygmata nigra in cute apparent; cum pulſu celerimo, parvo, fræquenti, cum prunella linguæ &c.

In aliis ardor capitis circa frontem continuus, intenſior, quam in reliquo corpore. Vrina naturalis, vel potiùs tenuis, cruda. Vigiliæ contumaces, cutis arida, ſine vaporoſo calore perſpirationis.

Vniverſaliter tamen, ſigna inſidioſi hujus hoſtis, decipere ſolent, etiam oculatos medicos dum ſpe benigni affectus latenti veneno interficit.

Ante omnia igitur maxima arguitur præſumptio, ſi quis graſſantibus his morbis, æger, terrorem conceperit. Vel etiam abſque terrore ſenſerit aliquem horrorem. Vel adhùc ſine horrore ſenſerit ſubitum virium proſtrationem, citra cauſam manifeſtam, & laſſitudinem ſpontaneam univerſorum membrorum.

Tum vigiliæ urgent citrà cauſam, inquietudines, anxietates, adeò ut in quo latere jacere poſſit neſciat æger. Appetitus proſtratus. Caput obtusè do-

lens. *Sitis* inexplebilis, febri miti adhùc existente.

Pulsus ab initio naturali similis. Vel ab initio parvus debilis, in progressu inequalis factus. Vel Protheo mutabilior, inconstans, & varius. Semper tamen bonum esset, ut magnus, & celer mediocriter, toto tempore existeret.

Sitis quandoque mitis est, vel nulla; & tamen corpus valdè æstuat. Aliquando est intensa, dum calor mitis est.

Potus aliquando cum strepitu descendit, aliquando in ventre fluctuant, & anxietates parit.

Lingua nigra, scabra, sicca. Fauces sepè inflammantur, & veluti angina afficiuntur; & sic vox articulata perit.

Urina interea sanorum similis, vel cruda tenuis. Aliquando valdè crassa, intensè tincta, pellucida, sine hypostasi. Aliquando turbata, subjugalis, cum sedimento copioso, candido, vel lateritio.

Calor in comparatione aliarum febrium, minùs acris ad tactum aparet; licet intus exurat, potissimum circa regionem stomachi, de cujus ardore conqueruntur ægri, maximè in principio.

Aliquandò adeò mitis est calor, ut ægri se ægrotare negent, seu non sentiant.

Vespertino tempore, ut plurimum interim observatur.

Apetitus subito aliquando perit, & tanta fit nausea ciborum, & potulentorum cum subversione assidua, ut neque jusculà se posse assumere dicant. Bonum verò est, si adhùc saporem genuinum ciborum percipiant; & non dicant sapere ficti ligna, vel alias res putridas, nauseosas.

Ab initio fieri solent horripillationes fræquentes & præcipuè nocturnæ.

Dolens dorsi, & lumborum exanthematum prodromi.

Vigiliæ statim a principio, sine causa manifesta, anxiosæ irrequietæ, nunc brachium, nunc pedem unum agitantes.

Sudores inordinati, modò cum levamine, modo sine modo colliquativi. In principio faciliùs sudant, in progressu difficilius. In statu vix nunquam.

Alvus aliquando clauditur. Ut plurimum verò est fluida, cum diarhea fætida.

Cephalalgia, gravis, continua; deliria. Convulsiones.

Stillæ, vel etiam hemorrhagia narium aliquando.

Bubones in inguinibus. Parotides circà aures.

Rarius circa alas, vel alias glandulas contingunt.

Quandoque peticulæ in quarta apparent, vel lividuræ potiùs circa latera, in mitiori affectu.

Cordis palpitationes invadunt; cum respiratione læsa.

Capitis affectus soporosicum cum delyrio. Tremores manuum, & linguæ. Sudores frigidi fætidi, circà frontem, & tempora.

Punturæ circa inguina primo, vel secundo die, vel retro aures in loco parotidum; vel sub axillis.

Difficultatur notitia pestis; quia ex hystoricorum lectione, passim observavit Helmontius quod pestis unius anni, differentia signa habet a peste alterius anni, & quæ in uno anno profuerunt, in alio nil juvant, quare bonum esset ut informaretur prudens medicus ab aliis; quos sanaverit ægros; & quibus auxiliis, nisi alia ratione saltem per epistolas.

Veterum enim proverbium ante oculos esse debet.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Pulsus tardus, rarus, sano similis pessimus, significat enim spiritum calorificum compressum non posse cum hoste massam sang. contaminante aggredi pugnam, quare hi ex abrupto cadere solent mortui.

Exemplum habetur in tumoribus externis, quandiù enim pars obruta jacet, neque dolores neque febres fiunt; sed cum spiritus insitus pugnam aggreditur, ut concoctionem moliatur, tunc febres, & dolores insurgunt ex Hipocrate.

In peste correpto, anhelitus solet grave olere, (non sic in febre maligna) ob excedentem corruptionem in vasibus magnis cordis, ita ut in his cadaveribus apertis, in cordis vasibus copia tenuissimorum vermium reperta fuerit.

Observatum etiam fuit, quod si ab incauto medico, ob æstum ingentem febris, sanguis missus fuerit, si in matula scindatur cruor, nullam obtinet consistentiam; sed veluti atramentum in aquam projectum, cum aqua confunditur, sine vinculo seri alb. coagulatoris existens; & hoc etiam in febri maligna contigit sepè.

Observatum etiam, quandoque fuit, quod statim a principio lumbricorum copia excreta fuit, viventium, vel mortuorum, a veneno fugatorum, vel interfectorum.

Aurium sonitus assiduus, & ingens. In pluribus somnus profundus statim ingruit. Aliquando pleuritis, vel alia interna inflammatio. Aliquando diarhea, vel lienteria verminosa. Aurium surditas. Oculorum obtenebratis lachrimæ involuntariæ.

Signa Prognostica.

Non differunt signa diagnostica a signis prognosticis in hoc terribili venenato affectu, quoniam statim ac diagnostica signa manifestaverint præsentem esse in corpore pestem, statim subsequitur prognosticum læthalis semper affectionis.

Veruntamen quia acutus affectus est, & acutorum morborum, non sunt certæ omnino prædictiones salutis, vel mortis, hoc solo Hipocratis oraculo contentus esse debet medicus ut blaterantibus os claudere possit in quocumque ancipiti eventu.

Ideo aliqua tantumodò signa salutaria magis, alia proximæ necis subjungemus; est enim acutissimus affectus, sepè intra 24. horas interficiens.

Rarò septimam vel nonam diem prætergreditur, ist is enim diebus præterlapsis, de vita sperandū esset.

Bubonaria pestis, omnium mitissima est, & fræquentior pessima quæ fit cum antraçibus. Cum exantematibus, medio modo se habet.

Antraces circa manus, & loca tendinosa erumpentes sunt valdè periculosi, & rari ex his evadunt. Securiores sunt, qui circa partes carnosas erumpunt.

Sic circa stomachum, intestina, & partes membranosas fiunt omninò læthales antraces.

Si bubo in collo, vel parotis retrò aures, inducant admodum ingentem tumorem, cum dolore gutturis, & deglutitio citrà inflammationem impediatur. vix ultrà duodecim vel quindecim horas æger supervivet.

Si post sumpta valida alexipharmaca, sudor provocetur, bonum est secus malum reputetur.

Su-

Sudor frigidus, nares frigidæ, extrema frigida, mala.

Fluxus alui colliquativus. Vomitus, vel alia excretio nigrorum. Singultus. Narium ſtillicidium.

Vexiccantia aplicita, quæ non excitent veſicas, infelicis ominis ſunt.

Quæ circa antraces, vel bubones præſaggia haberi poſſint; jam capitibus propriis in noſtris lib. chyrurgicis habentur.

Signorinus medicus Florentinus Illuſtriſſimi Excellentiſſimi Eneæ Caparæ legati Cæſarei, ad Ottomanam portam, qui interfuit in peſte Vienenſi anni 80. & 81. lapſi ſæculi, narrabat mihi ſe intrepidè expoſuiſſe, ad quoslibet indiſcriminatim curandos.

Cognoſcebat autem ſibi obviam factos infectos, dum aliqua ſolumodò capitis turbatione conquerebantur; de cæteris ſe ſanos eſſe dicebant; & tamen ex his multi, ex abrupto mortui, concidebant in terram.

Cognoſcebat inquam iſtos, ſolo tactu pulſus; quia exilis, inæqualis intermittebat, ideòque de coagulatione maſſæ ſang. in magnis vaſibus cordis, ſufficiens ſibi eſſet eo tempore indicium (ut patuit ex iſtis defunctis publico juſſu apertis] conquerebantur tamen ſe ſitire ſed cum pauco calore.

Dixit igitur mihi, quod ſolis ſanguinem vehementer fundentibus, & agitantibus, atque ſudorificis, eos omnes ſanavit, qui tempeſtivè curati fuiſſent.

Ideò ſecum geſtabat pulviſculum, ut ſine ulla mora, eis auxiliari poſſet. Quæſivi qualis eſſet iſte adeò efficax pulviſculus, an eſſet illud *præcioſiſſimum* mercuriale hemeticum, & diaphoreticum Paracelſi ſubridens capite annuens meaque arrepta manu, fingens ſe a re urgenti vocari, me dereliquit, alio tempore commodiori, plura verba facturus. Dixit vero quod moriebantur omnes veluti ſtrangulati, lividi, & oculis prominentibus ob coagulationem maſſæ ſang.

Decipitur verò vulgus, qui videns antraces nigros vel bubones in inguine, firmiter credit quod adſit ibi efficiens, & cauſa peſtis, cum re vera ſint producta, & effectus peſtis, quæ intus latens per hæc manifeſtatur.

Obſervarunt enim neoterici curioſi, quod Gas venenatus peſtis eſt tenuiſſimæ ac fermè impoſſibilis indagationis; quia non excedit 8200. particulas corporeæ molleculæ, in qua inſidet, non ſecus ac ſpiritus vivificus, calorificus, unius Acaridis caſei. Ideò facilimè aſportatur in qualibet re de loco ad locum, & etiam diligenti flamma removetur.

Eſt tamen præpotentis energiæ, & efficaciæ aliquando, ut ubicumque inhæſerit venenato fermento, contaminatis liquoribus nutritiis, & ſpiritu inſito de ſede propulſato, ceſſat omninò pars illa vivere, & proximis quoque eandem mortem communicat more ſphacellorum, a parte poſt parte ad cor ſphacello ſerpente.

Sed hoc rariùs evenit; potiſſimum initio facto ex. gr. a carbone in cute infixo Et hoc cognoſcitur, quia integrè ſano exiſtente homine, ex abrupto carbo manifeſtatur. Sed hæc tantumodò facta peſtis a Satana percutiente legiſſe recordor.

Nam conſueta via peſtis, & ordinaria, eſt per hauſtum venenum reſpiratione; prout paſſim inſinuavimus. In veſtibus enim facilè hæret, neque pervenire ſolet ad cutem, niſi in nudis.

Vel ſi per poros cutis ingrediatur, per venas ad cor circulando feſtinat. Et ſi fortè fortuna vincatur a ſpiritu noſtro vitali calorifico venenata materia foras cum ſpiritu venefico propulſarur, & fit ſalus.

Morbus parvulus, qui tempore peſtillentiæ contingat, in corporibus meticuloſis ex. gr. febris tertiana ſimplex, vel etiam ephemera, mutatur ſtatim in peſtillentem. Metus enim, & terror ſunt obſtetrices peſtillentiæ, igniculi contagioſi incendii, præcones mortis.

E contrà verò hilaris animus, & cauta cuſtodia a fræquentia hominum, in qua poſſint aliqui eſſe infecti, ſunt clipei, & menia, ad arcendam peſtem ſic in terribili peſte anni 1629. & 1630 in qua fermè deſſolata fuit Verona, quæ ex centum millia, & ultrà incolarum, tunc viventium, juxta deſcriptionem D. Franciſci Ponæ tunc viventis, nunc medietas vix numeratur, & ampliſſima ſuburbia ſancti Zenonis & alia populatiſſima, jam deſſolata, dirutis domibus in uſum hortorum, imò agrorum converſa ſunt.

In hac inquam terribili peſte, *cum fratre Antonio*, pater *meus in*ita ſocietate, cum aliis quatuor vel quinque hilariter viventibus ſociis, *in* læta ſobrietate ludêtes in horto ameno ſancti Joanis in Valle maximam partem temporis conterebant; nulluſque a peſte fuit correptus, niſi unus qui in pomis ambratis, & aliis monumentis ſe confidens, a multitudine ſe præcavere noluerat. *Alios* amicos pariter, qui ſpem ſuam ponebant in his cautelis, nimis timidos, omnes periiſſe mihi numerabant.

Quare dicendum eſt, quod peſtis naturam habet ignis fatui, qui *fugientes* territos ſequitur *animi vero fortis*, & cordatos, *in pace* relinquit.

Vniverſaliter etiam, quod æger dicat ſe eſſe bono animo, atque in quocumque eventu ſive bono, ſive malo rebus ſuis conſuluiſſe, tum animæ, tum rei familiaris; medicus bonam ſpem concipere poteſt ſi potiſſimum pulſus magnus, vegetus, fræquens ſine intermiſſioni manifeſtetur.

Præcipua autem ſymptomata læthalia habentur; a læſione cerebri, & partium nervoſarum nempè a delyriis, affectibus ſomnolentis. *Convulſionibus &c. occupato enim ſpiritu ſenſitivo*, ſeu facultate animali, a ſpiritu venenato peſtillenti; jam nullus ſenſitivæ expultrici membrorum, locus reſtat, ut infeſtans venenum expellere poſſit.

Indicationes curativæ jam lib. p. exaratæ a prudenti medico juxta varias condictiones oblatus eligæ poſſunt.

Curatio.

Rarus eſt caſus, in quo phlebotomia adhibenda niſi de magna plethoria conſtet, & vires integræ ſint quæ ſtatim concidere ſolent.

Semper autem ſecurè agit, qui eadem hora, in qua ſuſcepta eſt peſtis, ſtatim hemeticum antimoniale, vel (etiam meliùs) mercuriale, quod per omnem viam; & per ſudorem purget. Hæc enim prophilactica curatio erit; eis potiſſimum, qui a ſaliva venenata ad ſtomachum deſcendente, vomitu tentantur. Nam in progreſſu, & bubone, vel antrace aparente, tutius eſt vomitoria omittere; imò purgantia omnia.

Nemo poterit rectam curationem peſtis inſtituere; niſi qui noverit, venenorum omnium naturam, & modum agendi.

Plura namque videntur vulgò esse venena. Alia sceptica dissolutiva, acutis scindentibus particulis armata; Alia coagulativa, incrassativa, cujus generis sunt plurima narcotica, soporifera, apoplectica. Alia indiscriminatim modò calida, modò frigida, manifestis primis, vel secundis qualitatibus elementaribus agentia. Alia continui solutione. Alia liquorum coagulatione necessariam vitæ circulationem tollunt, venefico spiritu coagulatore operante.

Nobis tamen facilioris doctrinæ gratia liceat omnia, quæ subtitulo veneni veniunt, in duas tantùm classes bipartiri.

Atque in primâ classe vera, & legitima venena recensebimus, quæ in minima, & imperceptibili quantitate in corpore introducta, semper cum maximo vitæ periculo, vel facultatum turbatione observantur, & morsus venenati, contagia &c.

Alia illegitima & spuria, quæ indigent talibus conditionibus, atque in tanta quantitate introduci, ut vitæ pericula inducant; ut sunt arsenicum, & alia fossilia &c. quæ potiùs elementaribus qualitatibus agunt, ideòque solis contrariis qualitatibus ut plurimum tolluntur.

Nos hoc loco, primæ classis venenum considera-mus, & ejus curationem inquirimus, quæ unica tantumodò est, scilicet antidoti, spirituali virtute desuper armati, qui possit in agone consors, & socius spiritui nostro vitali vim adere, ut venenatum hostem propulsare possit.

Quare vires ejus elementares minus considerantur quam constellatas, quas vulgus appellat a tota substantia.

Modus autem agendi venenorum primæ classis, est primum coagulatio tenuissima, quæ inserviat pro similari fermento, inde per modum dissoluti fermenti, undique dilatatur.

Univocè igitur agunt hæc venena primæ classis; ideò certa res est, quod unica tantum curatione tolli possunt, scilicet, quando solumodò minima coagulatio facta est; nam quando fermentum hoc, jam dissolutum est, tunc difficilimè superari poterit, præ sua velocitate refugiens.

Quamobrem in miseris illis infectis, in quibus post mortem reperiuntur polypi in vasibus cordis coagulati, horum pestis potest dici, in principio sui eos interfeciisse; in statu enim subsequuntur excretiones, antraces, bubones, sudores, cum ancipiti exitu aliquando salutis.

Quare in principio statim prudenter agit medicus qui coagulationi obsistit, potissimùm validis mercurialibus vel antimonialibus; & non expectat tempus occurendi symptomatibus ex.gr. calorificis, vel refrigerantibus, vel humectantibus, aliisque elementaribus qualitatibus.

Est enim sydereum venenum, igneum; non frigidum terreum &c. quare observamus, quod igneorum, vel scepticorum actio adversùs humida obvia, est primo combustio, escara, induratio, coagulatio, deindè in partes dissolutio. Idem de peste, igneo sydereo veneno dicatur, ut capite de combustionibus in Chir. diximus.

Thom. Vvillis ejus opinionis est, ut pro præservatione *sanguis mittatur in plethoricis, vel assuetis, sanguinem mittere, ut masla sang. minus effervescat, & liberiùs in vasibus circuletur*; sed jam præsente peste, non audet sanguinem mittere, rationibus &c.

Sic in combustionibus, stultum esset sanguinem mittere, quia combustionis natura est, post factam ex.gr. escaram, deindè ab illa, veluti ab arco procedere millenas, & millenas moleculas igneas, naturam habentes ignei fermenti, qui obvia quæque in suam naturam vertere nititur.

Et hæc est ratio cur ambusta per novem dies excrescere observantur, donec resoluta bona parte insensibiliter tenuissimarum ignearum particularum, spiritus influens, cum succis alimentalibus accurrere possit ad membri combusti restaurationem.

Ad nihilum igitur valeret sanguinis missio; sed solum prudens consilium esset statim cohibere posse mediocrem escaram, & moleculas igneas velociter prodeuntes compescere. Nam magna escara, magnæque combustiones irreparabiliter necem afferunt.

Vexicantibus potiùs, fonticulis, & per venenata circa cutem apposita, exitum veneno conciliare, est prudens consilium; dum enim spiritus calorificus influens cum massa sang. ad locum cauterizatum concurrit, ibi venenatarum particularum majorem, vel minorem quantitatem deponit; pro majori, vel minori analogia cauterizantis veneni externi.

Celebres igitur historiæ narrantur eorum, qui per fonticulos, vel vexicantia non solùm præservati; sed a peste curati fuere, & materiam pestis excretam fuisse.

Circà curationem antracum, & bubonum, jam satis in libris chyrurgicis verba fecimus, & clarè ostendimus, quod universorum principum medicorum consensu, non invenietur certius, & securius medicamentum, quam balsamum, causticum nostrum, quod est oleum mercurii, adjutum oleo arsenici, ambobus correctis ab antimonio.

Inter externa auxilia, inunctiones variæ commendantur epythemata, sacculi, fomenta. Inter quæ magis fragantia, & recreantia spiritum eligenda sunt tincturæ aromaticæ, vini spiritu elicitæ, a qua florum aurantiorum attemperatæ.

Vinum muscatum, cum speciebus aromaticis. Essentiæ omnes præstantiores corticum citri, rolmarini olea carabis, spicæ, lavendulæ, de nuce muscata &c. quibus illiniantur cor, & loci omnes pulsantes. Ol. scorpionum mathioli. Aranearum.

Inter æmuleta præstantiora, commendatissimam sunt, penes Paracelsus, & Helmonium quæ parantur *ex buffonibus in clybano excicatis, ita ut pulverizari possint, inde cum aquæ crassa degracanthi efformentur magdalones, seu trochisci*, qui apponuntur pulsibus manuum, internæ parti coxarum, atque de collo appenduntur directæ regioni cordis. Quorum vis sympatica veneno pestis, manifestatur supra antraces, & bubones, quos retrocedere non permittit, sed ad se trahit, seu vocat.

Qui enim ex arsenico parati fuere Demembrochii expectationi satisfacere non potuere, in peste noviomagensi; neque D. Hogdio in peste Londinensi. Forte quia Paracelsus jubet fieri constellata, sub certò syderum positu, non sine aliquibus caracteribus, cum figura serpentarii cælestis, & aliis. Tunc scio efficacissima parari posse Emuleta, peri apta xenesta gamaina pro credulis, in superstitionis artibus illicitis.

Nobis satis est, certo, & tuto auxilio uti, balsamo nostro caustico cum plurimo butyro (ne exulceret) pro singulari præservativo a peste in variis locis.

Procurativo vero, sincerum in ungatur supra bubonem, vel antracem, atque retrocedere non permittit, tum loco vexicantium pulsibus adhibeatur, horũ enim vim incomparabiliter superat, ad locum enim illum sponte inclinabit pestilens venenum evacuari, ab eo invitatus; minùs enim valent cantarides.

Rive-

Riverius cent. 4. obs. 99. narrat quod quidam medicus cui demandata fuerat cura tertianæ partis civitatis, omnes ferè sanavit *vomitorio ex dr. i. cujuslibet vitrioli, mellis on. ii. & aquæ communis on. vi.* mixtis & vix 10. vel 12. objere, in sua parte, cum in aliis pauci evaserint.

Zetferiel Bovius pariter *tali vitriolica potione usum fuisse reperimus; admirabile certæ, atque summum auxilium* instantaneum pro illis qui respirando, & deglutiendo salivam peste infectam, sentiunt sibi stomachum statim affici, ac subverti vomitu.

Thomas Vvillis de febribus ait: *Peste correptus vomitorium summat quam primum, deinde finita operatione, diaphoreticis sudor procuretur, atque repetantur tum alexipharmacis continuis, fermè omni momento utendum. donec exanthemata, vel antraces erumpant. Quo modo Henricus Saer innumeros curavit.*

Silvius ait: *Si venenum cum aere inspiratum saliva deglutitum stomachum afficiat, nauseam, vomitum faciat, doloresque capitis, statim vomitorium exhibeatur; nam cetera purgantia exagitando magis ignem pestilentem accendunt.*

Eoque magis rationalis medicus debet assentiri hemeticis, quia pestillens miasma solet habere rationem materiæ turgentis, quæ huc illuc, sine quiete movetur; sed cum jam in una parte infixa fuerit pestis, vix hemetica proficere poterunt.

Ardente verò ingenti pestillentia; si ad aliquem ægrum vocatus, debilem, & parvam febrem habere tibi videatur (ex Galeno 3. crisium 4.) pessimum signum, & a solo hemetico statim exhibito, a morte præservari poterit.

Plurima hic possem congerere, ad ostendendum, & firmiter probandum, quod inutilia sunt cætera purgantia, imò damnosa in peste exceptis eis, quæ ex mercurio, vel antimonio habent facultatem, simul purgandi, & sudores potenter promovendi.

Veruntamen quia fuso satis sermone, de his capite antecedenti locutus sum, ne bis coctam crambem apponam, lectorem ad illum locum remitto; curatio enim febris malignæ, & pestis coincidunt.

Quare etiam alexipharmacorum & sudoriferorum sclectissimorum eodem in loco copiam benignus lector habere poterit, pro usu pestis.

Thomas Vvillis libro de feb. de diaphoreticis ait: *Diaphoretica omni tempore indicantur in peste; nam toto evacuant, sanguinem agitando a coagulatione vindicant, a centro ad circumferentiam movent, fermenta venenata, a massa sang. tum corruptelas a eo de arcent.*

Item: *Expedit ut cathartica, & diaphoretica habeant particulas miasmati venenato congeneres, potiùs quam solumodò naturæ, & massæ sanguineæ amicas.*

Sic enim integris viribus in penetralibus agere, sic virulentæ materiæ se accommodare possunt, ut deindè apprehensæ, & mutua partium adhæsione facta, a natura irritata, facilius pellantur, & ambo talligatæ expellantur.

Ideò ex Mercurio, Antimonio, Vitriolo, & arsenico debent parari, arte tamen tale, ut a spiritu nostro calorifico victa, secum venenum pestis ducant. Non solùm enim superflua potenter evacuant; sed quæ maligna sunt præ potenti Energia dissipant, eorumque ulteriores progressus inhibent.

Indigestibilia verò metalla existentia; atque nutritivæ facultati, omninò inutilia; debent a prudenti artifice ita præparari, ut spiritui nostro non adversentur; sed amicabiliter in opere expulsionis uniantur seu potiùs amicabili obsequio, ergà spiritum nostrum, recedendo ab eodem, apprehensis similaribus miasmatibus venenatis recedant.

Helmontius ait capite præservatio a peste; ait. *Cum quolibet antidoto semper aliquid veneni admiscea-tur, ne in alimentum transeat antidota enim debent habere vim corrupti*, & corruptoris pollendi, ac extrahendi.

Ibidem ait: *Vidi in castris estendanis ad litus multa millia virorum, cum xenestis collo appensis jacere, ex arsenico, & mercurio in nuce avellana factis. Quæ sanare pestem, & pediculos idem sit.*

Ibidem quoque ait: *Omnia metalla, & lapides sunt capaces infici peste. Solum autem sulphur nequit infici, est enim veluti ignis, omnem fracedinem a doliis tollens*, vel ab aliis locis mucedinem (la muffa) delet. omnegenus scabiei tollit (gallicæ, leprosæ &c.) quia est contagiosum omnium hostis. Gandavii milites Neapolitani, omnes peste objerunt. Sed milites Germani, qui indusia sua pulvere pyrio (ut necarent pediculos) suffummigganda commiserunt, nullus peste obiit ob sulphur, quod ustum est antidotum pestis.

Quibus verbis docuit pestis ingens præservativum esse subuculam suffumiggatam singulo die mutare, & conclave habitationis frœquenter suffumiggare ad bonam tollerantiam odoris *sulphureis*. Accessionesque *pyrii pulveris* in aperto aere facere, *vel sulphuris*.

Paracelsus, quia sustinet pestem esse morbum astralem, ideò veram curationem sperat haberi posse solumodò *per constellata amuleta, in archidoxi magica sua descripta.*

Helmontius solis *sudoriferis, & vini meracioris potu curandam esse pestem contendit*. Ideò theriacam cum vino, vel cum spiritu vini propinare non dubitat, aliaque sudorifera alexipharmaca cum vino proponit. Statuitque summum remedium præservativum esse, ne archeus terrorem concipiat, *potum meracum, ad hilaritatem usque epotum, non ad ebrietatem*; tum lætas confabulationes, & lusus cum aliquibus amicis.

Sic enim vigorari dicit archeum ad hostem (si quandoque opus fuerit propulsandum, vel si cum eo lucta iniatur, ad eum prosternendum. Per tristitiam enim, & objecta terroris immaginata, circà os stomachi affectus fiunt, qui tollunt appetentiam etiam in sanis, & coctiones labe factandò, nutritivam potentiam prosternunt, vel enervant.

Theriaca nobile alexiterium Imperatorum, & Principem Romanorum Galenique decus, vulgaris, facta, non debet amittere gloriam suam, certum, & maximum diaphoreticum existens, sympathica quadam ratione ob trochiscos viperinos, & ducenta alia alexiteria simplicia admixta, venenis omnibus præstantissimum antidotum experientiis undique motum donat.

Sic diascordium Fracastorii nostri Veronensis innotuit. Sic elect. Ovi Maximiliani, aliaque multa &c. quæ massæ sang. motum naturalem, ejusque mixtionem, ac fermentationem servant, vel procurant amissam, corpusculis suis velut inspirato novo fermento, quare a coagulatione,

inde in parte solutione; tum a corruptione, sanguinis massam vindicant. Veneno particulas tactas, quæ coagulari, atque agglomerari incipiebant, blanda agitatione ab invicem secedunt, & ad vias excretionis ducunt. Post hemeticum ab initio sumptum operatione finita deinceps singula hora cocleatim diaphoreticum summatur, ut sudore, vel antrace erumpente, pestis eliminari possit.

Inter sudorifera securiora, numeratur theriaca continens opium, quod etiam granulis laudani augeri poterit. Tum diascordium. Tum orvietanum. Lapis bezoar. Stybium diaphoreticum. Bezoar minerale, solare, Lunare. Terra lemnia. Lapis de porco spinoso, seu histrice. Bezoar mercuriale.

Ex vegetabilibus verò radix contrahervæ, angelicæ, tormentillæ, zedoariæ, folia cardui benedicti, scordii. Ligna guajaci, juniperi, sassafras omnia cornua, ossa, ungues; sed potissimum ex his salia volatilia, & olea elicita sudores potenter movent.

Singulis igitur horis cochlear aquæ cinamomi, & citri cum theraca dissoluta, & bezoardico minerali, vel stybio diaphoretico exhibeatur.

Sudorifera calidiora & volatilia in æstuante febri, & cum condictionibus fervidioribus magis suspecta esse debent, quam bezoardica fixiora, ex gr. stybium diaphoreticum &c. & alexipharmaca temperatiora, ut sunt bezoardica minéralia. Boli, & terræ variæ. Sulphura metallorum fixa. Quibus semper admisceantur granula canforæ. Cinabaris antimonii. Magisterium, vel sal saturni. Sal volatile viperarum, *spiritu vitrioli fixatum, in oleum* conversum. Spine serpentum, & eorum pulvis, vel sal volatile similiter fixatum oculi cancri preparati, margaritæ, corallia rubra, cornu cervi, Succini oleum, Lapis bezoar.

Alterantia.

In magna controversia penès auctores sunt alterantia. Alii enim contendunt *dicentes*, sola antidota, & alexipharmaca pesti adversa esse consideranda, sine primis, vel secundis qualitatibus elementaribus.

Alii è contra alexipharmaca simul, & alterantia adhibenda esse contendunt.

Disputationis autem arbiter, si esset Galenus, diceret in lib. 2. epid. sect. 2. com. 25. quod *pestis non est idem, ac febris pestilens. Quandoque enim generisce reperitur pestis sine febre, quæ horrenda, ex abrupto interficit, & tunc inutilis esset electio primarum, vel secundarum qualitatum in alexipharmacis.*

Quandoque verò (imò ut plurimum) accedit cum febre, variæ etiam naturæ, & speciei, ratione varietatum symptomatum; & tunc utilissima est electio primarum, vel secundarum qualitatum in alexipharmacis.

Quare prudens medicus juxta ratione patebitur, quod si quis habuerit in peste aliquod speciale antidotum, solida experientia notum, quo utatur in singulis condictionibus indiscriminatim, sine consideratione primarum vel secundarum qualitatum, non poterit argui.

Sed data paritate, quod eque duo paria antidota efficacia adversus febrem pestilentem haberi possint; ille laudabiliori methodica, & certiori ratione agit; qui considerata condictionibus febris, circumstantiis, & symptomatibus variis; se se opponit antidoto contrariis qualitatibus primis, vel secundis armato, ut contrarias qualitates febriles debellare possit.

Alterantia igitur plura promiscue proponemus, ut prudenter aptiora eligi possint.

Zechius aquam cinamomi. Vel thericalem matthioli magnifacit in peste, & pulverem vertebrarum viperæ ad sudorem.

Crollius testatur quod guttula olei succini naribus sepe applicita præservat medicum a peste. Correptis verò peste, exhibeatur ad Scrupuli I. vel etiam ad scrupuli II. duos in aqua cardui benedicti. Hyacinthus interim qui tangat cutem, sed melius si ore gestetur atque voluatur, arcet molestiam sitis, estque æmuletum pestis, non minus ac zaffirus.

Scroderus de mercurio ait: Vix invenientur in peste auxilia præstantiora, quam quæ ex mercurio præparantur.

Crollius spiritum salis, cum aqua cordiali in languido ventriculo istorum, commendat.

Paracelsus de tribus principiis ait: Buffo, rana tinca, anguilla, passerculi, pulli omnes, cornix, corvus, pestiferum venenum appliciti, ex homine trahunt; hæc enim animalia venenum digerunt, & venenatam comniestam, insectilia. Sed potissimum ciconia, & anates.

Antidota, & alia quæ præparantur in peste præstantiora reputantur, spiritus theriacalis canfuratus. Oleum succini destillatum cum canfura, & cornu cervi. Oleum citri, succini cum canfura. Rob juniperi, quod vocatur theriaca Germanorum.

Elixir pestilentiale Crollii. Mixtura simplex. Pulvis ruber Panonicus. Theriaca. Mitridatium. Diascordium. Elect. de ovo. Orvietanum. Pulvis liberantis. Species de hyacintho. Species diamargaritonis.

Cordiales calidæ, vel temperatæ. Spiritus cornu cervi canfuratus.

Cornu cervi philosophicum. Flores sulphuris myrhati. Nitrum perlatum. Decoctum cornu cervi, & ejus gelatina. Aqua cinamomi, attemperata cum aqua rotius citri, vel cordiali Saxoniæ, margaritis, & corallis.

Aqua florum aurantiorum. Vnicornu minerale meum, ex capite mortuo trium draconum. Liquor cornu cervi succinatus &c.

Veterum auxilia præstantiora in peste, & febri maligna erant. Cornu cervi. Os de corde cervi, semina citri. Radices tormentillæ. Consolidæ.

Imperatoriæ. Vincetosici. Zedoariæ. Scorzoneræ. Carlinæ. Semina absynthii. Santonici. Cortices citri. Baccæ juniperi.

Myrha. Mumia humana. Mumia ex ciconia parata ex myrha. Vel mumia ex cervo similiter parata ex myrha. Scordium.

Allium quod rusticorum theriaca dicitur. Dictamum Creticum. Radices dictami albi. Radices antoræ. Angelicæ, bistortæ, aristologiæ rotundæ. Gentianæ.

Myrha in vino epota. Canfura omni modo. Rhibes. Folia tenera quercus. Ruta capraria. Pimpinella. Vinum granatorum. Acetosa. Gibria Limonia. Aurantia. Ex quibus parabant aquas, & alia auxilia ex gr. julapia, extracta &c.

Vtebantur bolis, & terris variis. Scabiosa erat

in

in usu; buglossum, & ejus conserva, tum conserva cunicæ, Radices morsus diaboli. Abrotanum, & fermè omnes herbæ aromaticæ cæphalicæ.

Conserva florum rosmarini, & ejus quinta essentia. Coralliæ. Margaritæ hyacinthus & ejus hyacinthinæ species.

Præservatio a Peste.

Insana eorum opinio est qui nullas omninò præcautiones servare volunt in peste; sed ex. gr. Turcę mortuo fratre, die sequenti vestes defuncti, alius frater suscipit, & eis vestitur. Hæc in nulla alia fundatur ratione quam in sorte, quam fatalem, certam, & determinatam, dicunt inevitabilem esse.

Quis (dicunt) fulmen de cælo infallibili arcu ejaculatum, clypeo prudentiæ eludere poterit?

Ex una quidem parte veritas infallibilis est, quod jam decreta Dei sint immutabilia. Sed ex altera etiam parte, infallibile est, quod si Deus decreverit sanitatem dare, vel præservare, decrevit etiam, ut homo ex parte sua, his prudentibus auxiliis, vel præservativis utatur, concurrente cum sua libera voluntate, etiam Gratia Divina, sine qua nihil actum est.

Quare stultissimè agunt, qui neque in prudentia sua, neque in gratia cælesti quidquam confidere volunt; sed pestiarum modo se, a solo cælo dirigi permittunt.

Data enim nobis est immortalis anima, libero quidem arbitrio donata; sed quæ sine gratia divina, omnia semper stultè, ac imprudenter ageret. Sic decernente mente suprema Dei, qui nos filios amat, quos suæ sanctæ gratiæ subditos, & obedientes esse divinæ voluntati, sine libero arbitrii recalcitrantis obstaculo præscivit, & voluit.

Quibus quidem præhabitis, erudimur tempore pestis, nos commendare debere res vitæ nostræ, non solumodò in manu omnipotentis, neque in sola prudentia nostra immittendum esse, sed orandum simul, & operandum esse, juxta emblema illud inscriptum *Ora & labora*. *Et deus adsit sine mora* *in emblemate curo lapso errigendo, & genuflexo agricola*.

Armata igitur manu regia omnipotentis, nemini parcit pestifera nemesis, nisi divina voluntas servare jusserit. Regum turres æquè pullat pedes ac pauperum tabernas, & æquè subvertit.

Marcus Antonius Imperator, peste interfectus. Lucius secundus Pontifex. Constantinus Imperator, (dictus monachus) cum uxore Zoe peste interempti. Beatus Ludovicus ab expeditione sarracenica cum rediret, peste in castris grassante, unico cum filio Joanne sublatus est.

Sic Alphonsus undecimus Rex Hispaniarum, dum oppidum Zibatar obsideret, Leone Isauro imperante Bizantii, ipse cum tercentis millibus, ictus hoc fulmine cecidit. Michael Mauroceuus Venetorum Dux peste jugulatus, præstantissimorum virorum armonicas lyras, Hermolai Barbari Dominici Calderini, Merlini Cocaii, & consimilium, surdis auribus eludere gaudens.

Imò observatum est semper inter primos eruditos quosque viros cadere; quia solent esse melancolici, studiosi, meticulosi, ideòque debiles, tenui victu utentes.

Anno 1567. totam Italiam pestilentia sæva grassata est, quæ paucos superstites reliquit. Magnæ quoque pestilentiæ enumerantur anno 1348. 1468. 1485. 1527. 1556. sæculo verò elapso 1630. 1656. In Italia.

Anno salutis nostræ 170. Babiloniæ in Apollinis templo, præ auri cupiditate aperta vetustissima deaurata arca defunctorum, a Marci Antonii Veri militibus, spiritus inde veneficus egressus est, qui pestilentem contagionem per omnem terrarum orbem propagavit; nam post Babilonem, & cæteras Asiæ regiones, deindè in Græciam, Italiam, & cæteras Europæ regiones dilatata est &c.

Sed hæc meliori otio historicorum relinquamus; & ad possibilem humanæ prudentiæ prophilexim, & præservationem a peste, animum convertamus.

Ante tamen omnia noscere, ac fateri debemus, quòd nemo hucusque novit; neque fortasis in posterum noscere poterit, verum alexipharmacum hujus ancipitis veneni; quoniam fermè in singulis pestibus semper variare observatur; quare auctores; potiùs ad universalia antidota ex multis composita, quam ad unum, & peculiare alexipharmacum, confugere meliùs, & tutius esse monent.

Theriacalia itaque auxilia, præservativam vim habere possunt; sed non infallibilem, & certam efficaciam, ut cum Ptolomeo, audacter dici possit; *Sapiens dominabitur astris*.

Hoc enim dictum, in futuro, melius accommodatur, atque certius verificatur de dominio, & regno venturo, quod promissum a Salvatore nostro, *sapientibus*, & *prudentibus illis adveniet*; qui procul a stultitiis mundanis viventes, a nocituris voluptatibus ac desideriis animum avertentes, sapienti consilio ad summum, & unicum bonum se toti convertunt quem prudenti electione, in æternum duratura, deligunt mediis aptis assequi.

Hipocrates libro primo de nat. hum. tex. 9. ad præservationem pestis, *causam respirationem ante omnia cavendam*; *deinde partes principes medicamentis roborentur, ut externo veneno advenienti fortiter resistere possint*.

Galenus lib. 12. meth. cap. 8. *Allium antipestilentiale rusticorum theriacam summopere exaltat*.

Scordium quoque inter prima alexipharmaca pestis numeratur, teste Dioscoride, capite proprio, quem ab aliis deromem dessumptis.

Veruntamen quia in præservatione a peste, a *pravis edulibus, & intemperatis cavendum est, ex eodem Galeno primo de differentia febrium capitolo quarto*. Inter vero prava edulia numeravit alia, suticiosa, ad fœtulentum, & fœtidum halitum cogentia, ideo sibi contradicere videtur.

Rusticis igitur alia relinquantur; nam civilibus personis alia auxilia certiora, & nobilibus conditionibus aptiora non deerunt; quibus bonam viscerum temperiem, & vires firmas, & integras servare possint, ut præserventur a peste; pro quâ intentione obtinenda, nil melius, quam conveniens victus ratio, in sex rebus non naturalibus, ut servetur.

Tempore hyemis ignis ligni juniperini, cupressus, vel alterius odorate arboris parcatur.

Habitationis conclave, frœquenter tantillo sulphuris accenso fumigetur.

Confectiantur globuli, ex ligno vel argento, in qui-

quibus includatur ſpongia antipeſtilentialibus tincturis, vel eſſentiis, oleiſque imbuta vel ſaltem aceto roſaceo madida.

Sed efficaciſſimum eſt geſtare aſſiduò in ore theriacam papiro involutam, & nunquam deglutire ſalivam, ſed expuere.

Politica etiam præſervatio eſt, ædes a ſordibus repurgare, plateas mundare.

Peregrinos homines a locis ſuſpectis venientes arcere.

Publicos conventus inhibere.

Ædes infectæ occludantur, atque ſignentur.

Infecti a ſanis per zenodochia, vel alia ratione ſeparentur, & cuſtodiæ committantur.

Bombardarum exploſio ſurgente aurora comendatur.

Aliis horis in ſingulis vinculis acenſio modica ſulphuris commendabilis eſt.

Fuga, tutiſſimum eſt præſidium, juxta vulgatum illud proverbium citò, longè, tardè. *Cede, recede, vede.*

Vel ſi fugere non ſit poſſibile, vaſculo ſecum geſtato, aceto bezoardicis dictamo angelica &c. imbuto, frequenter os eluatur expuatur, ſed nunquam ſaliva deglutiatur.

Veſte cerata myrhata, ſuffumiggata, indutus medicus incedat ad viſitationes ſuas. Perſonata facie maſchera cum magnis conſpicillis, & facculo cerato more longæ proboſcidis pendentis, ut in eo comodè reſpirare poſſit; illiniatur verò talis proboſcis interiùs baliamo vel apopletico Pervano, ladano, belzoino, oleo miræ, quinta eſſentia roſmarini, lavendulæ & ſimilibus, quibus etiam nares tempora, & loca pulſantia inungere, commendabile eſt, ſimul cum canfura.

Sacculus pro corde ex ſimplicibus alexipharmacis repleatur, & in vino, & aceto ebullitus geſtetur, iteratis vicibus madefactus.

Vel melius optima theriaca plurimo croco, & canfura mixta vino muſcato diluta cordi illiniatur.

Aer quantum fieri poteſt corrigatur; pro delicatis, & nobilibus perſonis in angulo conclavis ebulliat in olla pomum aurantium, totum transfixum cariophillis integris, in aqua roſarum, vel florum aurantiorum, admixto benzoino integro, & canfura.

Secùs ſuffitus fræquentes fiant ſuccino, thure, ladano ſtorace, benzoino, canfura, baccis juniperi, vel ſeorſim, vel comixtis, ex efformatis trochiſcis fumalibus.

Tabacophili, ſuis fiſtulis haurire poterunt tabacum quoniam experientia oſtendit tabacum veneno contaminari non poſſe. Novi ſpargiricos Venetiis, qui ſpe magnæ mercedis a Sereniſſima Republica in vanum laboraverunt tempore memorabilis belli Cretenſis, ut Turcas tabaco inficere poſſent.

Fiſtulis verò tabaci loco, vel tabaco mixta ſummantur lignum aloes conciſum (ut faciunt Bixantini Turchæ præ odore ſuaviſſimo, & ſpiritus confortatione) vel lignum rhodium, aromata, & radices aromaticæ &c.

Interim ſi quis ex nauſea dolore capitis dubitet, ſe eſſe peſte infectum deglutiat fumum retractum ex fiſtula, vel tabacum ore ſumptum aliquot vicibus dentibus contritum deglutiat, vel ſola etiam ſaliva deglutiatur; nam eximiè purgabitur, & rem vitæ ſuæ in tuto ponet.

Ore geſtare radices imperatoriæ, angelicæ, zedoariæ aceto macerata, ſemper comendabile eſt.

Vel paratos trochiſcos ſublinguales ex myrha, croco, canfura, mucilagine tragacanthi excepta.

Nares, tempora, carpi inungantur quinteſſentiis citri, roriſmarini, lavendulæ. Oleo ſuccini; juniperi canfuræ. Balſamo Peruano; apopletico, ex oleo nucis muſcatæ. Balſamo orientali. Oleo cinamomi ligni rhodii; theriaca, croco, canfura, moſco ambra.

Narratum eſt, quod Tornaci ſæviente peſte milites præſidii explodentes multas bombardas, contra civitatem in aurora, & in crepuſculis veſpertinis, ſe & alios præſervarunt, atque peſtis alibi fugata eſt.

Ante omnia qui præſervari optat debet optimum ſtatum corporis procurare, & virium augmentum quantum fieri poteſt, ideò ſi plethora gravatum ſentiat ſe eſſe, ſanguis mittatur. Si errata in victu crapuloſo comiſerit, primas vias blandis lenientibus puras faciat.

Deindè aliquod alexipharmacum temperatum, vel acidiuſculum ex. gr. conſ. acidi citri cum perlis, potiſſimum æſtivis temporibus manè jejuno ſtomacho ſummatur, vel aliæ acidulæ conſervæ, rhibes, amarenarum, cydoniorum, perſicorum &c: neque permittatur, ut diù ventriculus vacuus ſit neque tamen nimis repleatur; ſed hilari ſobrietate ſaturus ſit.

Ideò poſt prandium quatuor horis a cibo, aſſumantur emulſiones cum oculis cancri, margaritis, & conſimilibus, tempore æſtivo.

Manſione facta in cubiculo perflato, aura ſeptentrionali, & parata aura frigidiuſcula nive, & glacie, in magnis vaſibus contectis, & refrigeratis variis fructibus poſitis in aqua in magno amplioris vaſe vitreo, nive interim & glacie circumpoſita, mixta nitro, & ſale; Sic enim fructus citiſſimè conglaciabuntur, nec poterunt ſtatim ingurgitari; Sed grata patientia ſummis digitis contrectentur, ut liberentur a glacie.

Sic fervidæ horæ lætanter falluntur, cum jocoſis amicis, hiſtoricis, fabuloſis, curioſis novitatum, & potiſſimum doctis in novitatibus experimentalibus noſtrorum ſæculorum, magnis, & admirabilibus in cælo, in terra, in aquis, & ſub terra; dignis certè magnis & ſapientibus verè viris, loco putreſcendi in ſtercoreis gyneciis, & perniciosis animæ, & corpori ludis.

Fervente jam peſte, qui commodam habitationem habet, ſecuritatis majoris gratia. Cum duobus, vel tribus prædilectis amicis, ſe a fræquentia hominum recipiat; neceſſariis rebus ſaltem per 40. dies inſtructus, potiſſimum vivis pullis, tum carnibus præſtantibus ex. gr. volucrum, vituli, in aceto conditis; atque optimorum piſcium, ſoleæ, auratæ, mugilum &c.

Nec non liberali apparatu ciborum, qui penès offellarios, confectarios parari ſolent, quorum ampliſſimam formulam, & catalogum in appendice prima libri de conſ. valetudine conſtruximus:

Tum unico ſervo uti bonum eſt, qui niſi magna urgente neceſſitate, ſe aliis immiſceat. Certo namque conſtat, quod urbana loca, & magis fræquentata peſtillentialibus miſeriis ſunt magis obnoxia; quam ruralia, & ſolitaria; in quibus manè deambulationes ad frigidiuſculam auram, & aliqua exercitia liberiùs facere licet, ſobriè, & procul a nociturnis crapuloſis commenſalibus, ſibi, & non aliis vivendo, ſeque a negotiis abdicando.

Ob-

Obſervavit Zac. Luſit. lib 3. prax. hiſt. obſ. 38. quod in peſte anni 1600. Hiſpaniæ, *puſtula livida oriebatur in ſummitate naſi, quæ intrà 20. horas exulcerata, totum naſum arrodens, ægros interficiebat.*

Qua obſervatione erudimus duo. Primum, quod circà partes reſpirationi inſervientes ludit peſtis,

Alterum, quod venenum peſtis primò per modum coagulantis indurat ex. gr. poſtulam; poſtmodum fermentum ſuum diſſolutivum, & corroſivum undique diffundit.

Idem auctor obſervavit (obſervatione 40.) quod anno 1604. peſte correpti, *omninò non poterant cibum deglutire, non ob ſolam facultatis appetitivæ mortificationem; ſed etiam ob inſtrumenta deglutiendi iam mortificata, venefica qualitate imbuta, ut etiam notavit Galenus 6. aph. com. 3.*

Item Obſervatione 42. notavit, quod *ſi cucurbitulæ in illa peſte affixæ fuiſſent, ſanguis ab illis ulcuſculis manans, nullo modo compeſci poterat; neque cauſticis ipſis appoſitis; adeo ſanguis tenuis, aquoſus, ſeroſus factus fuerat, a venefica qualitate.* Obſervatione enim 45. commendat *cucurbitulas cruribus ſcarificatas; quibus ait Galenum, ſe ipſum a peſte liberaſſe, diſtrahitur enim venenum a corde, ad partes diſtantes, citrà virium diſpendium; atque phlebotomiæ vicem ſupplent, ex Galeno 2. aph. com. 17.*

Matutina ambulatio orans in viridario, ad auram frigidiuſculam, ſeu temperatam fiat, animi tempore fervido.

Animi compoſitio, plurimum a peſte præſervat. Et cum ſit divinitus immiſſus morbus, etiam in ſententia omnium ætnicorum, & Hipocratis, ideò piaculis ſacramentorum, atque ſincera vitæ emendatione, flagella iracundiæ averti poterunt.

Carlinæ vires eximiæ ſunt, pro præſervando a peſte, a Carolo enim magno imperatore nomen deſſumpſit, cujus exercitus angeli monitu præſervatus, & curatus fuit. Pro maſticatorio igitur tempore peſtis adhibita radix præſervare valet, cavendo tamen ne ſaliva inter maſticandum deglutiatur; ſed expuatur.

Somnus ſit moderatus, meridianus verò, omninò interdicatur; vel brevis, & nanus ſit ſomnus meridianus, in ſenibus ſcilicet, & debilibus factus, curvato dorſo in ſella.

Otium vituperatur, non minus, as exercitium ſudoriferum; ſed ſolum debet fieri exercitium uſque ad ſudorem excluſivè, pro cutis poroſitatibus apertis modicè, tantumodò detinendis, ad ſufficientem tranſpirationem neceſſariam.

Exercitium manè, vel longè a paſtu fiat; niſi alia ratione luſu pillæ volantis in cubiculo.

Ciborum electio fieri debet ab eo qui præſervari cupit. Salita enim valde, vel acida, vel aromatica valdè; uno verbo magnarum virium alimenta fugienda ſunt, & ad temperata animus convertendus eſt.

Juſcula amentur modicè acidiuſcula, citro, cidonio, ſucco granatorum ribes, amarenarum &c. ut vigor ſtomacho, & ſanguini debita craſis, & conſiſtentia ſervetur.

Alexiteria aliqua, cum vino albo dulci, vel malvatico in fine paſtus exhibeantur, ea intentione ut libera diaphoreſis, & perſpiratio omnis ſervetur.

Secus pro ſuperno ſtomachi orificio confortando, confert diacitonitum cum corallis Cydoniatum vel conſerva roſarum, cum confectis moſcardinis ambratis, quibus halitus fragrantiſſimus comparabitur.

In prægnantibus, puerperis, ac mulieribus benevolentia, dulcia, & ſimilia a quibus uterus commoveri ſolet, arceantur. Atque confortationi uteri attendendum erit acidulis moderatis, ſuccino in vino ſoluto, in fine menſe, vel confectis, paratis oleo ſuccini, aut aliis matricalibus.

Confectis, conſervis, ex fructibus a confectariis, & offellariis paratis bucellis utantur, deſcriptis in appendice libri primi de conſ. val. quæ pro oportunitate eligenda erunt.

Vniverſaliter pro præſervatione commendantur omnia odorifera, ſpiritum recreantia, refocillantia ex. gr. acetum bezoardicis radicibus decoctum; quo Sylvius cum pane ſumpto jejunus ſe munivit.

Oleum vero canfuræ in vaſculo.

Vel ſal aliquod volatile ex gr. cornu cervi. Vel ſpiritus cornu cervi, aut viperarum in vaſculis odorentur. Alii utuntur ſpiritu urinæ, vel ſuliginis in viſitatione ægrorum.

Tincturæ eliicitæ ex bezoardicis, attemperatæ cum ſyrupis, vel julipiis acidis citri, limonum &c, ſummo manè commendabiles non ſunt.

Sed id quod vix fidem habere poteſt; pro præſervatione non ſolumodo a peſte, ſed ab omni alio veneno; Manè, jejuno ſtomacho, ſumpta propria urina ad uncie ij. circiter, præſtantiſſima queque antidota excellere, certa gtaviſſimorum virorum experientia notum eſt, qui ſe expoſuere terribilibus venenis, confiſi ſolumodò in propria urina manè ſumpta, & poſt ſumptum venenum.

Efficit enim, ut aſſumptum venenum, ſtatim a turbatione ſtomachi cognoſcatur, & vomitu reiiciatur, tum undique aperit omnes vias, urinæ, alui, ſudoris copioſiſſimi, & ſic liberat.

Vir magni nominis cui erat cura ſeditioſos de medio tollere latenter; qui vario venenorum genere uſus fuerat; Extremis horis vitæ ſuæ, medico fideliter tradidit hoc, pro ſecreto, qui etiam libenter recepit loco maximæ mercedis; nam multis deindè occaſionibus, veriſſimum eſſe confirmavit; atque in gratiam charitatis proximi vulgari juſſit.

Ingenioſi deindè medici, tantam vim in urina eſſe obſervantes, in omnibus deſperatis morbis urinæ potum tentare voluere. Nec ſpes eos fefellit. Nam phtiſicos certè, & infallibiliter juvat, ſi non ſanet, cacheticos, hydropicos, opillatos, melancolicos deſperatos, derelictos, elephatitiaſes, ſcorbutos, & conſimiles, urinæ potio matutina vel ſanat, vel infallibiliter ſublevat, ratione ſui ſalis armoniacalis, qui duriſſima quæque obſtacula atque impedimenta potiſſimum in viſceribus depurationi excrementorum inventa, diſſolvit, removet, & undique vias excrementis, aperit.

Sed longa patientia in ejus uſu inſiſtendum eſt. Vrina pueri impolluti, vinum bibentis ſolet eſſe efficacior. Aliis etiam admiſceri poteſt ex. gr. guttula eſſentiæ citri vel alia; neque ingrata eſt potio, ſed eſt veluti juſculum ſalirum.

Habemus hic Clangfurthi vivens exemplum patris Fulgentii Banari Capucini, qui in juventute obſeſſus a mille morbis, & impotens, cum a ſapienti medico hunc ſyrupum de urina intellexiſſet; ab eo die

die non desistens nunc decrepitus, centesimum annum numare jam anhelans, vitam, & jejuna capucinorum intrepidè servat,

Pro pestis præservativo *mirificè* inservient confecta ex oleo succini, & canfura parata, assiduo in ore gestata. *Vel* mane deglutita,

Pulsuum *regiones*,& cordis, balsamo apoplectico inungantur, *vel* saltem oleo nucis moscatæ, mixto cum oleo *canfuræ*.

Magnus medicus, qui præ fuit pesti Vienensi, se & *alios* præservavit, sumpto manè ad Dr.1.circiter electuari parati ex radicibus contrahiervæ, carlinæ trochiscis viperarum, copiosa canfura, osse de corde cervi, & plurima theriaca, mixtis omnibus cum rob de sambuco.

Cornu cervi succinatum, pro omnibus inservire potest.

Opium in aceto theriacali, vel bezoardico solutum tempore æstivo, ad felicem somni quietem captandam, *illis* qui quietem habere suspirant meticulosis, ad cocleare *unum*, *hora* somni exhibeatur,

In debilibus in pueris, fœminis &c. cibus parcior, probè nutriens sepiùs in die sumptus, qui potiùs ad pleniorem, quam ad tenujorem inclinet, commendatur,

Vno verbo singulis cibus constituatur, qui per individualem experientiam innotescat, vires validas; sine lassitudine conservare, imò augere, juxtà condictiones præsentes.

Extractum Carlinæ cum theriaca, & canfura, manè est magnum præservativum a peste.

Vulgus non incassum sola grana septem sulphuris, cum vino albo, singulo manè ad præservationem sumit.

Vel mirha devorata magnitudine avellanæ. Saltem his utentibus contigit, ut si pestis invadat, faciliùs & tutiùs curentur, & evadant. Idem agit pulvis de cornu cervi, vel corallorum rubrorum mane sumptus.

Sic elixir proprietatis Paracelsi, cum guttulis spiritus vitrioli in vino albo, manè sumptus, & granulis canfuræ,

Canfura enim penes Etmulerum, cæteris palmam proripit & ait: quod *medicus in peste, sine canfura, est veluti miles absque gladio. Atque jubet ut cocleatim in die mixturæ alexipharmaca summatur ex theriaca croco, conserva citri, & canfura.*

Jejunus non egrediatur de domo, nisi summat aliquod, quod gratum *stomachum confortet*, ex.gr. conservam acidi citri, vel jusculum acidulum succo limonum, vel aurantiorum. Vel coclear mixturæ alexiteriæ.

Secum gestet in vasculo terreo acetum bezoardicis ebullitum, ad fræquentes haustulos summendos: Vel saltem aurantia Portugali, ut fræquenter ore contrectet.

Commendantur quoque alimenta, succis limonum, aurantiorum, aceto modicè acidula parata.

Potus sit vinum generosum, pro generosis viris; pro fœminis, & imbecillibus oligophorum, quod singulorum aptetur stomacho, & quod inserviat commodæ digestioni ciborum, ad hilaritatem epotum, per quod terror, & mœstitia omnis excutiatur.

Sylvius qui in sale volatili alKalico spiritum pestillentem consistere statuit; pro præservatione, *acida omnia extollit, spirituosa detestatur, spiritu vini tincturas, elixiria reiicit; atque magnificat spiritum salis (pro roborando stomacho) vel sulphuris, vel vitrioli, qua sunt præcipitantia, & figentia. Fructus acidos commendat, mala citria, limonia, aurantia, granata, rhibes, amarenaes viscioles. Iuscula cum onfacio & agrestata,*

Pasta Januensis ex cydoniis, conserva rosarum, cum guttulis spiritus vitrioli, conf. totius citri summo manè summantur.

Tabellæ ex acidis preparatæ sale prunellæ, nitro antimoniato, tartaro, vitriolato, cremore, vel sale tartari, quibus alvus aperta,& sanguinis debita consistentia servatur,

Adversus verò veneni pestillentis acrimoniam, nil potentius nitro, vel ejus spiritu. Nitro enim figitur arsenicum ipsum, & auripigmentum, antimonium, & universa queque, sale acri volatili constantia, & acerima; spiritus autem nitri, tincturas omnes præcipitat.

Sanctorius in statica sua *exercitia sudorifera, tempore pestis non laudat; sed semper commendat; ut in stomacho aliquid contineatur, & licet non præcesserit omninò concoctio, cibus summatur*; interim spiritus vividus, fortis ad resistendum præparetur veluti si summenda essent venena, aptis antidotis, primas vias apertas, liberas, expeditas ab excrementis procurando.

Chyrurgia nobis exhibet æmuletum præstans, scilicet ulum fonticulorum, vel etiam phænigmatum; sunt enim experientia duce unum ex certis, & optimis præservativis.

Testes mihi sunt plurimi in hac ultima peste Vienensi, qui a medicis instructi præservati sunt phenigmatibus appositis, vel fonticulis exasperatis, mediantibus pulveribus pro pasta vesicanti paratis.

Medici verò fonticulos gestantes, fatebantur; quod si ad infectum visitandum accessissent, statim sentiebant punctiones in fonticulis.

Vexicantia tamen vulgaria, omnibus non conveniunt, nam quibus instrumenta urinæ læsa sunt, vocent; tum in urinæ ardoribus, tum in prægnantibus omittantur.

Ad fonticulos igitur, vel ad phænigmata, si contingat corpus pestilentiali veneno contaminatum esse robustus Archeus ad hanc partem debilitatam illud transmittit.

Multo verò facilius, si invitetur archeus ad partem congeneo veneno contaminatam; sed veneno ita per artem preparato, ut obsequentissimus obediat archeo; inter quæ est oleum arsenici, vel mercurii, vel antimonii, vel compositum ex his tribus dracoribus, titulo ignis artis cujus miram, & inexplicabilem efficaciam, tantam esse monstravimus in nostris libris chirurgicis;ut solum hoc(titulo balsami caustici] pro omnibus affectibus chyrurgiæ sanandis sufficere possit.

Tempore igitur pestis, si adhibeatur loco phænigmatum, sympaticè ad illum locum, si aliqua ratione pestis concipiatur, per illud emissorium parietur & sic homo a morte præservabitur.

Si autem jam pestis bubone, vel antrace manifestetur, multo fidelius cæteris omnibus auxiliis, ad eos maturandos, & ad prohibendum ne retrocedant inserviet, adeò ut præsente jam febri pestilente, cum dolore capitis &c. si ad emunctoria, vel circà glandulas inguinum inungatur, citissimè ad illam partem bubo conspicuus fieret.

Scabies pariter, fonticuli, ulcera diuturna, fistulæ, hemorhoides, & si quæ alia sunt a quibus sordes emanant; horum omnium tempore pestis

sanatio

ſanatio negligenda eſt; nam per hæc interiora viſcera purgantur, & tantum abeſt, ut noceant, quod ſpes magna eſſe debet; ut ſi fortè fortuna peſtis arripiat per hæc emiſſaria eliminetur.

Æmuleta peſtis certatim proponunt auctores, ſed promiſcuè licita, & illicita; nos aliqua proponemus relictis illis conſtellatis quos Paracelſus in archidoxi magica exaravit, & quæ a credulis ad arbitrium fieri poſſunt ſignata figura ſerpentarii celeſtis, & ſcorpionis domo, ac ſignatura Martis.

Alii accipiunt mercurium, & miſcent cum partibus ſex plumbi liquati, ab igne remoti, & preparato jam ſigillo (cum ſigno Gemini Lunæ, & mercurii) amplo, ligneo, ſigillant, & imprimunt in Saturno fixante mercurium talem ſignaturam, Luna in ſigno Gemini degente, & mercurio libero a maleficis radiis. Atque tale xeneſton collo appenditur vel geſtatur.

Sed ſecuri ratione agunt, qui pulvere buffonum, & ſolo tragacantho efformatis magdaleonibus latis, eos concinant in duobus, vel tribus locis, veluti apponere vellent veſicantia.

Idem agere poſſunt mercurius ſublimatus, auripigmentum, & antimonium in ſaculo ſericee inclusa, & ſuper loca pulſantia ligata ubi ſcilicet pulſus tangitur, vel phenigmata apponuntur.

Martinus Delrius ſocietatis Jeſu teſtatur, quod tuti ſunt a peſtillentia, qui geſtaverint nomen inſcriptum Ananiſapta; ſed malè agunt, qui hoc faciunt, niſi pactum renunciaverint &c.

Aranearum unguentum ſtrobelbergeri cæteris aliis omnibus palmam præripere poteſt, Vel ſimplici via paratum ex araneis occiſis, & cum tellis ſuis modica terebenthina exceptis inunctum.

Vel oleum ſcorpionum matthioli pulſantibus locis; & cordi illitum; additis etiam (ſi fieri poteſt) aliis ſcorpionibus recentibus, vel araneis.

Fel viperarum pulſibus inunctum prophilaxim donat, vel aliorum ſerpentum caro contuſa & applicita.

Exemplar.

Collega noſter, qui librum ex profeſſo edidit, de peſte Veneta circa annum trigeſimum lapſi ſæculi; intrepidus peſte correptos viſitabant, maſchera geſtata apta, & veſte longa redeundo domum mutata, atque per flammam ignis trajecta. Hæc igitur monita nobis reliquit.

Cum incidiſſet in bubone, vel carbone correptum, habebat ſecum juvenem chyrurgum, cui jubebat, ut applicaret quatuor vel 5 ſanguiſuccas, poſitas in cucurbitula; atque relinqueret, donec repletæ ſponte caderent.

Sed pro nobilioribus perſonis, deplumabat ſub cauda pullum, & fricato ejus podice cum modico ſale trito, aplicabat ſuprà bubonem, vel carbonem; nam pullus hoc modo, fugebat in ſe peſtis venenum ita ut poſt breve tempus unius pater, & ave circiter interiret [claro teſtimonio horribilis veneni) quare ſtatim alius pullus aplicabatur, & alius, donec ultimus non moreretur.

Quandoque enim quatuor, vel etiam quinque moriebantur; ſed ægri ſalus in tutò tunc erat. Contigit autem ipſi, quod cum plures pulli hac ratione mortui fuiſſent, & alii non invenirentur, ut pullus ultimus ſuperviveret, æger mori debuit, cum ſecùs ſalvari potuiſſet.

Quamobrem res magni momenti eſt, tempore peſtis in domo copiam pullorum, & gallinarum habere; tum ob antedictam rationem; tum ne cogatur ſervus, hinc inde vagari, ad victum comparandum, & domum peſte inficiendam.

Poſt aplicationem interim pullorum non deſiſtebat ſuprà partem aplicare maturantia, vel ſceptica aperientia. Præſervavit domeſticos ſuos, una nuce tribus granis ſalis, tribus ſumitatibus rutæ & una carica cum modico pane comeſta ſingulo manè, unciis deindè duabus optimi vini malvatici ſuper epotis, vel ſaltem aceti modicum.

Confidebat tamen ipſe magis in potu unciarum duarum circiter propriæ urinæ. Tum alexiteriis in aceto ebullitis, unguebat ſua tempora, jugulum, nares, & loca pulſantia, ante exitum de domo, ſecum in vaſculo terreo tale acetum geſtans, ad hauſtulos pro oportunitate viſitationis faciendos.

Experimenti gratia obſervavit in plurimis prima viſitatione ignotis, phlebotomo partem aliquam carnoſam pungendo, niſi ſtatim vidiſſet ſanguinem fluere, tacitus ſtatim recedebat, ſignum erat enim, quod maſſa ſang. a veneno peſtillenti coagulata eſſet, quare non poterat per puncturam illam exire, Et exitus acta probabat; nam iſti poſt tres circiter horas moriebantur.

Obſervavit ſignum évidens quod homo eſſet peſte correptus, ſi teſtes ambo, vel etiam unus valdè rubicundus factus fuiſſet, colore ſanguinis. Vel ſi teſtes ingenter ſudarent.

Obſervavit deindè mortuos ex peſte habere oculos apertos, os ſpumans, ungues nigros, dorſum obſcurum lividum, teſtes nigro colore ceruleos. A teſtibus enim ſang. flos, butyrum, & partem virilem ſpirituoſam, in noſtra antrographia capite proprio oſtendimus.

Obſervavit ingens præſervativum eſſe, cauterizare utrumque inguem, quouſque ſuſpicio peſtis duraverit.

Obſervavit, quod ad loca ubi facta fuiſſet aliqua inciſio ex. gr. phlebotomia, vel ventoſis aplicitis, aut ſcarificatione &c. ibi emergebant carbones.

Obſervavit illius anni peſtem incipere, cum febri lenta; ſed ingenti capitis dolore, vel gravitate, vel mentis offuſcatione. Cum horripilationibus in dorſo.

Cum ardore oculorum tanto, ut non poſſent tollerare lumen in aperto aere. Et ſi firmato duabus manibus capite, oculos hinc inde agitare vellint, illacrimant, & conſpicuum dolorem tunc in temporibus ſentiunt.

Obſervavit plures fuiſſe leviter a peſte tactos, & ſenſerant capitis dolores, vel puncturas in aliqua corporis parte, quos præſervavit optima vivendi ratione, & epota aqua deſtillata ex citro, & alexiteriis, epota cum granulis canfuræ, & croci.

Iam verò ægrotantibus jubebat, ut omni arte, & patientia ſudarent, decocto propinato cardui benedicti, hypericonis, & alexiteriorum &c. deindè lateribus calefactis poſt horam, & madefactis in dicto decocto, paniſque leniter madidis involutis (ita ut ægri lectulus non madefiat) & circa ægrum poſitis.

Atque obſervavit quod rari ægri fuiſſent, qui hoc modo ſudaſſent, & mortui fuiſſent. Quando enim ſudare non poterant, ſignum erat coagulatum eſſe ſanguinem, atque iſti moriebantur.

Qui autem peſti tacti fuiſſent intra 12. primas horas, exhibita theriaca, dictamo radice tormentillæ, cum decocto cardui benedicti, infalibiliter ſanabant.

nabantur *sudantes*, benè tecti &c. interim primis horis *interdicto* somno.

Vsum autem croci in hac *peste* præclarum fuisse *dicit*.

Primis diebus dabat *jusculapullorum* alterata succo limonum, *aurantiorum*, vel citri, vel agrestæ, aut acidis &c. *Pro* potu aquam acetosæ melissæ cum spiritu vitrioli, vel decoctum tamarindorum. Purgabat *domos*, calce illitis muris, & suffitu sulphuris.

Hercules Saxonias illo tempore vivens observavit Venetiis plurimos tunc peste correptos; post ingentia symptomata, de repente febrem veluti cessasse, & egros quietem obtinuisse; deindè post tertianam vel quartanam diem obiisse, semper tamen inappetentes.

Quia scilicet humor adeò malignus fuit, ut aliquod naturale viscus in gangrenam vertisset; atque medicum, tum adstantes decipiebat, donec gangrenæ corruptio, ad cor ascendisset.

De peste Infantili seu De Variollis, & Morbillis.

Caput Tertium.

MAlignus Saturnus, puerorum vorator, ex infero antro egressos infantes, vix salutatis recentibus auris, stygio veneno contaminatos suffocare gaudet.

Miseramque tenerimam primam ætatem, post difficillimum egressum ab angusto utero, per horribilem hanc pestis Averni portam, veluti denuò renatam transire cogit.

Nigroque similima cygno proles, quæ subter fugiens fausto Jove isthæc, Saturni sigillata stygmata ab infantia, ad extremum vitæ senium non gestet.

Magna lis est inter scriptores, de hoc affectu; an fuerit veteribus ignotus; an sit pestis recens, non minùs, ac morbus Gallicus, plica Polonica, aliique plurimi contagiosi affectus &c. An verò sit affectus, occulti veneni nobiscum nati effectus.

Certò namque ex hystoriis constat novi orbis; quod penes Americanas *provincias*, ignotus semper fuerat variollarum, & morbillorum morbus; sed post adventum Columbi, & Europeorum militum advena accessit, cum incredibili Americanorum puerorum strage.

E contra ex America ad Europeas provincias ignotum, ac peregrinum malum ad nos pervenit commutata pestis, quæ an Gallica, an Hyspanica, an Italica dici promereatur, adhùc in anciti pendet.

Nam a militibus Hispanis ab America venientibus, communicata fuit meretriculis Neapolitanis, quæ occasione obsidionis anno 1497. Caroli Octavi Gallorum regis, a civitate simul, cum inutilibus personis, expulsæ præ anonæ caritate.

Istæ ornatæ, & lascivientes, in exercitu Gallorum lætanter receptæ intra paucos dies febribus, urinæ dysuriis, bubonibus disseminatis, millites Gallos in bello claudicare, sine hostibus coegerunt, & sine pugna.

Quare non dubitamus variolas esse affectum pestillentem contagiosum de recenter in provinciis exortum; eadem prorsùs ratione, qua omnes pestes in variis provinciis immissæ, ab astrali spiritu æthereo influentiali (ut olim lepra fuit, quæ fræquens, nunc vix reperibilis est) quæ etiam quodam certo dierum, mensium, vel annorum curriculo imminuuntur, decrescunt, & tandem abolentur.

Ita ut pestis ipsa Gallica, quæ primis annis horrenda, ossa frontis, nasi, arrodens homines aspectu horribiles redebat, nunc veluti decrepita, ultrà ducentos annos nestoreos a sua nativitate numerans, claudicare conspicitur, imminutis viribus, & furore.

Opponunt adversarii; quod exanthemata veterum ab Hipocrate in digitata, erant nostrorum temporum variolæ; sed hoc perperam dictum, nam exanthemata, diversa omninò symptomata, & signa habebant, prout inferiùs dicetur.

Infantilis pestis ideò dicitur, quia rarò adultos aggreditur; sed ferè semper infantis, atque more solito pestis, quos semèl contaminavit, contaminare ampliùs non consuevit.

Putant verò plurimi venenum hoc contractum, a residuis venenari menstrui uterini, ab ortu nobiscum nasci, & per tempus maturatum erumpere.

Alii culpant consuetam naturam cerebri; quod ex Hipocrate lib. de morbo sacro, *humidissimum, molle, ab initio fluxile, super cætera viscera existens, indiget fermentari, ac ebullire, ut mustum, & succi* &c. qui deponere debent scorias suas, ut depurentur, & deindè purificati quietem habere possint.

Ideòque observamus puerorum cerebrum, ac infantum, partim per mucositates ex ore, vel diarheas ex alvo, partim per crustas capitis, & alia ulcera criticè expurgari; ideòque si tales evacuationes supprimantur, infantes intereunt.

Variolarum nomen deducitur a Varis, quia immitantur Varos, in facie nasci solitos.

Variolæ autem sunt [proprio modo loquendo) illa tubercula, quæ critico modo, cum febre, ut plurimum maligna, in cute erumpunt, atque suppurantur.

Morbilli (Ferse Italicè dicti) sunt rubræ illæ maculæ, cum protuberantia minori, quæ cum pruritu in cute erumpunt, & quæ etiam citiùs, & citrè suppurationem solvuntur.

Riverius lib. 17. cap. secondo Variolas *ad febres pestillentes referendas esse dicit; expidemicus enim contagiosus affectus est, plurimos pueros de medio tollens.*

Viguit hucusque opinio Galenicorum, quod variolæ fiant a *peculiari sanguinis effervescentia, musti ad instar, a veneno fermentativo in massa sang. ad tempus delitescente, genito, seu residuo ex sanguine menstruo;* quod fermentatione universali sanguinis mediante, critico veluti modo, ad corporis superficiem transmittatur; Ideòque ferè omnes infantes hoc affectu corripiantur. Latere verò usque quo accedat causa aliqua externa; speciatimque a certa aeris alteratione in actum deducatur.

Nos tamen absque hac immaginaria physica, quod infans in utero matris re venenata nutriatur, & quod venenum in utero matris contractum, expectet tempus suæ maturationis (quod in singulis variare deberet, pro vario tempore conceptionis, & aliarum condictionum) Observamus Hippocratem docentem in libro de morbo sacro quod *cerebrum ab initio molle, fluidum necesse est, ut fermentatione quadam facta depuretur, ejusque in pruritates critico modo per crustas capitis, vel alius &c. transmittat; secùs tales pueri epyleptici pereunt, vel morbosi toto suæ vitæ tem-*

tempore vivunt ; conflictati a morbis a cerebro oriundis .

Qua ſtante infallibili veritate, eſſe ſoluta problemata variolarum , ſine veneno ſanguinis menſtrui .

Ecce cur pueris ſolis, & non in aliis ætatibus conteingat &c. Quia ſcilicet puerorum cerebrum ſolumodò depurari, ac indurari indiget ; in aliis ætatibus depuratum eſſe ſupponitur ; vel ſi contingant viris variolæ , impurum cerebrum depurari ac mundari a ſero alb. pravo ſignificatur .

Ecce cur proprio nomine peſtis infantillis dici debeat . Vidi enim ſingulo fermè anno Bizantii tempore peſtis Turcas peſte interfectos geſtari nudos pendentes a dorſo bajuli ad cemiterium beſtiarum , ſparſis undique per corpus puſtulis , in vera forma variolarum .

Ecce cur lues Gallica , quæ vera peſtis eſt , manifeſtatur per ſcabiem malignam contagioſam; ſeu puſtulas , quare rationabiliter a Gallis, appellatur proprio idiomate (le grand'variol]

Ecce cur ſingulæ peſtes iſtæ afficiunt univoca ratione cutem , quia ſcilicet præſtantiſſima pars ſpermatica eſt , quæ ſero alb. nutritur , ſingulæ verò iſte peſtes inſidiantur , & inficiunt ſerum alb. nutritium ſpermaticarum partium , potiùs quam cruorem , prout ſuis locis oſtendimus .

Ecce inventam veram rationem , cur potiùs variolæ circa partes capitis manifeſtentur ; quia ſcilicet, proximæ ſunt ad contaminatum fontem cerebri , a quo provenit ſerum alb. coruptum , quod eſt materia variollarum .

Ecce , cur , pueris, perfectè ſanis, quibus jam rectè cerebrum expurgatum fuerit , per cruſtas capitis , per mucoſitates ab ore defluentes , vel per diarheas, & conſimiles evacuationes , paucæ, vel nullæ variolæ contingunt . Vel ſi contingant, non ſunt deindè morboſi toto ſuæ vitæ tempore .

Ecce cur , vigente tempore peſtis hujus infantilis, obſervamus alios infantes contaminari , alios non qui enim cerebrum jam ſatis purgatum habent , tuti ſunt ab hac lue . Qui verò non benè purgatum habent , ab ea corripiuntur .

Ecce cur plurimi a variolis excæcantur , quia ſcilicet oculi ſunt immediatè proximi cerebro , mali iſtius fonti .

Cauſa igitur variollarum , a nobis maligna peſtilens contagioſa ſtatuitur , quæ purgatorium malum cerebri exiſtens , ulterius non excedit , niſi ad contaminandos pueros quibus adhùc morboſum cerebrum , non eſt ſufficienter expurgatum .

Sed quia cauſæ ſubordinationem ſervant inter ſe; ideò curioſus querere poſſet , cur infantes alii naſcuntur hoc morbido cerebro , alii verò non; ſed ſano & puro .

Quibus ſine cunctatione reſpondemus, hoc provenire , ab influentiali conſtitutione aſtrorum, in geneſi directa a mente ideante Dei , a qua principium , & norma habetur univerſorum motuum , prout in phyſicis libris oſtendimus . Et hæc eſt originalis , & primitiva cauſa .

Secundariæ autem cauſæ , ſe tenent ex parte parentum , & potiſſimum ex parte matris , prout pura , vel impura fuerit materia , ex qua facta fuit in utero conceptio , & qua infans nutritus fuit , toto prægnationis tempore . Ab ea enim fœtus magis , vel minus morboſus redditur .

Oſtendimus enim in libris noſtris anatomicis, tum in inſtit. med. ref. quod ſerum alb. mirabili incerniculo in vaſibus ſpermaticis ſecretum eſt materia ſeminis in maribus , eſtque etiam materia ſeminalis contenta in ovulis fœminarum .

Serum quoque alb. maximam habet partem in nutritione membrorum fœtus . Eſtque vera , & unica cauſa materialis album exiſtens ex qua cerebrum conflatur album , ſpermaticum , fons albarum partium ſpermaticarum .

Si contingat igitur , quod conceptus fiat in utero malè affecto , & quod ſerum alb. impurum ſit , ob errores in victu , vel ob reliquias contagioſas Cæltiçæ luis, tunc generatur fœtus , (in ſententia Hip.) cujus cerebrum magnoperè indiget expurgari .

Niſi enim in pueritia probè expurgetur per cruſtas capitis , variolas &c. ſemper peſſimè habebit , ob maximum apparatum morboſum cerebri .

Modus itaque fiendi variolarum in cute , comparari poteſt muſto efferveſcenti, ante quam depuretur, & optimum vinum fiat .

Maſſæ enim ſanguineæ , ſed potiſſimum cerebri , ſerique ejus albuginei admixta excrementa , igniculo peſtis accendi diſpoſita , ebullitione facta interna, ad emunctoria glandularum cutis demandantur forma variolarum .

Deffiniuntur variolæ : quod ſint *puſtulæ , ſeu tubercula ſanioſo humore plena , pruriginoſa dolentia , in ſumma cute , cum febri acuta , continua maligna , a venenato contagio , ſerum alb. inficiente , & turbante naturalem motum , & craſim maſſæ ſang. cogente ſpiritum ſenſitivum per modum depurationis , critico modo deponere a centro ad circumferentiam , tale contaminatum ſerum (ad glandulas ſcilicet cutis , quandoque ſimul cum aliqua portione cruoris aſſati , a quo conſpicui fiunt rubicundi morbilli ; qui nihil aliud ſunt , niſi maculæ , vel puſtulæ , depreſſæ , minores , in cute erumpentes rubræ a contaminato cruore ortæ , abſque ſuppuratione evaneſcentes .*

Subjectum , non tantumodò externa corporis ſuperficies eſt ; ſed etiam membranæ partium internarum , & viſcerum ſuperficies ; potiſſimum verò faucibus & pulmonibus inſidiator affectus eſt .

Differentiæ variolarum ſunt , quod aliæ ſint benignæ ; aliæ malignæ . Aliæ ſolitariæ ; aliæ cum morbillis aliæ ſint latæ , eminentes , aliæ exiguæ, depreſſæ &c.

Quod autem ſit contagioſus , peſtilens affectus , claro experimento probatur . Primo quoniam aliis comunicatur , more peſtis .

Secundo quia peculiari influentia , & aeris conſtitutione populariter graſſatur .

Tertio quia alexiteriis , veluti peſtilens affectus curatur .

Quarto quia poſtquam ſemel invadit , non amplius tale corpus inficit ; conſueto peſtis more .

Quinto quoniam ſolos pueros (ad diſtinctionem aliarum condictionum & ætatum) inficit , prout facere ſolent peſtes , quæ magis ex gr. fœminas invadunt , quam mares &c.

Obſervamus igitur , quod pars affecta præcipuè ſolent eſſe cutis glandulæ miliares , quæ ſunt præcipuum emunctorium ſeri alb. contaminati , ut clarè patet in affectibus ſcabioſis , luis Gallicæ , elephantiaſis , & aliis &c.

Obſ. partes circa caput potiùs a variolis affici , quam partes extremas pedum , & manuum , quia

ATENEO VENETO VENEZIA

sunt magis proximæ cerebro, quod est fons illius seri alb. contaminati, expurgari indigentis.

Si autem magnus fuerit apparatus morbosus seri alb. non solumodò in cerebro contaminati, sed etiam in magnis vasibus cordis, & pulmonum, tunc partes etiam spiritales, cum summo vitæ periculo afficiuntur, & pulmonis atque gutturis fiunt inflammatorii affectus, anginosi, difficili respiratione suffocantes.

Obs. quod frequenter excæcantur pueri a variolis; quoniam oculi cerebro fonti seri alb. proximi, ex puriſſima seri alb. parte constituuntur, ac nutriuntur.

Si igitur ingens sit labes cerebri expurgari indigentis, tunc oculorum debita materia nutriens, & pura deficit, & sic nutritione eorum defraudata, ad oculorum organum pessima materia affluens, est causa obcæcationis. Nunquam verò observatum fuit quod paucis, ac benignis variolis comparentibus homo excæcatus fuerit.

Obs. quod qui semel passi fuerint variolas, eas non patiuntur amplius in futuris temporibus; quia jam cessavit morbosus apparatus puerilis, cerebri humidioris; namque absumptus fuit, vel crustis in capite ex ortis, vel mucositatibus per os, vel per alvum vel a variolis prægressis.

Obs quod consuetus mos pestis est adversari aliquando magis cruori, aliquando magis seri alb. At pestis variolarum magis certè adversatur sero alb. ideòque albida forma variolarum conspicua fit. Aliquando contaminatur etiam cruor, & tunc rubicunda forma morbillorum manifestatur.

Obs. quod in pueris plurimo sero alb. nutritio expurgari indigo facilius communicatur, in juvenili vero, vel consistenti ætate, in qua plurimus cruor viget, difficulter variolæ locum habent. Multò verò minus in senibus, in quibus utrumque deest.

Obs. quod magis sæviunt variolæ in pueris qui ab initio, neque valdè mucosi, neque defedationes in vultu, aut in capite crustas passi fuerunt.

Obs. quod sedes morbi primaria, est cerebrum depurgari indigum, ejusque serum alb. contaminatum, non minus, ac sit in morbo Gallico, qui omnium confessione est pestis.

Variolæ igitur, æqua ratione, ac pestis Gallica, a contaminato sero alb. proveniunt, quod a miasmate venenato pestillenti tactum, est causa universorum symptomatum &c.

Adeò ut vera virulentia Gallica consistere videtur in variolis, seu pustulis malignis, scabiosis, pruriginosis, quæ in fine dolorosæ manifestantur, aliis communicabiles; Gallico idiomate, le grand variol dicta, minor enim variola puerorum est. In utraque verò venenata, pestifera, contagiosa, aliis communicabilia miasmata observantur.

Obs. quod hereditaria podagra, phtysis, & similia &c. plurimis annis latere solent; donec membrorum conformatio, & humores sint hoc modo, & non aliter dispositi, deinde sine aeris contagiosi externo igniculo, variisque temporibus in variis ætatibus contingunt.

Sed variolæ, quia (vera pestis puerilis est) contagiosa ratione, ad quasdam cæli influentias, & aeris constitutiones, plurimos pueros eodem tempore invadit, illos nempè, qui morbosum apparatum, cerebri, seriique albuginei depurandi habent.

Prodigiosum verò esset, quod vir temperamenti calidi, sicci, macilenti (in quo serum alb. paucum est, & cerebrum siccum, & non mucosum) si variolis correptus cerneretur; est enim affectus morbidorum puerorum magis, vel minus &c.

Obs. quod pueri non periclitantur de vita, ob variolas a robusta natura ad summam cutem transmissas, sed ob variolas circa partes nobiles infestantes, quæ a debili natura, ad partes externas propelli non possunt.

Obs. quod symptomata variolas concomitantia solent esse affectus gutturis, & pulmonis, tussis sicca, anginosus affectus, difficilis respiratio; vigiliæ, terrores in somnis.

Obs. quod variolæ aliæ benigniores aliæ maligniores erumpunt. & aliquando magis, vel minus copiosæ; pro peste vehementiori puerili, tunc temporis vagante, & pro majori, vel minori apparatu morbifico in hoc, vel in illo puero reperto &c.

Ideòque non semel mihi risum commovit superstitiosæ obstetrices Italæ, quæ tempore hujus pestis puerilis, ducunt puerulum suum, in domum, in qua sit puer, qui paucis variolis laboret, atque puer sanus, & loquax vel obstetrix offert monetam in manu pueri jacentis, & ægrotantis, dicens; venit in nomine domini, emere a te paucas variolas; indè taciti nullis salutatis abeunt.

Factum est deinde hoc ridiculo præservativo, quod intrà illam hebdomadam puer sanus, a variolis corripitur, ut plurimum paucis, cum maxima obstetricis laude, quia fortè fortuna puerilis pestis, tunc vagans benigna est.

Obs. itaque quod quandoque puerilis pestis adeò mitis, ac benigna est; ut aliqui pueri grandiores, jam in magna copia expurgato, & solidiori facto cerebro, a variolis paucis correpti, parum febricitantes, neque de calore febrili, neque de alio gravi symptomate conqueruntur; imò benè comedentes, & alia vitæ munia rectè agentes, exurgunt ad ludos, & saltus, ut etiam pueri facere solent, quando levi febre, ac intermittente laborant.

Obs. quod prima, vel secunda die incipiunt variolæ in cute aparere cum rubore, quia cruor, ut potè calidior, & tenujor præcedit, ac veluti viam sternit frigidiori, crassiori sero alb. consorti; quod tertia die, jam in sua clamide alba comparere solet, & citò in pus mutatur circa septimam diem, in forma postmodum scabiei siccæ, in summitate nigræ incipit decrescere; tenujori scilicet parte in halitum soluta, & evaporata.

Tandem aciditate præ mora contracta, exesaque cute, sibi viam aperit, & quod reliquum est per squamulas decidit.

Obs. quod tardè variolæ erumpenaes, indicant serum alb. crassum acidum difficulter a natura sequestrari posse fermentando, a cætera massa sanguinea; sed herere parietibus arteriarum, & sic pueri vitam in magno discrimine ponit.

Observamus pariter quod si variolarum materia a partibus externis ad internas partes recurrat; massa sang. majorem crassitiem, atque lentorem adipiscitur, vasa sanguinea veluti visco oblinita, liberum motum circulationis necessarium tollunt; inde in vasibus pulmonum factis impedimentis, difficultatur respiratio, & vita perit.

Observavit ideò Thom. Vvillis lib. de febribus *Anxietates syncopes, quandoque in variolis contingere,*

gere, ob antedictam causam, impedita necessaria circulatione humorum.

Observavit pariter ibidem, quod *facto impetu materiæ acris venefica circa ventriculum, vel intestina, contingunt vomitus, dysenteriæ &c.*

Nec non observavit in variolis contingere *dolores lumborum, a valida fermentatione* quæ in magna arteria aorta celebratur, quæ secundum lumbos decurrit.

Item observavit, quod plerumque variolæ, & morbilli, *statim incipiunt cum ingenti febre, quæ illicò veluti ad statum assurgit*, quare non solum tertiana vel quartana die, sed etiam prima, & secunda die, critico modo fieri possunt cum levamine. Id quod in febri maligna contingere non solet. Citissimè igitur ad statum accellerare solent variolæ.

Observavit adhùc, quod sepè variolæ puerorum sunt *prodromi, & nuncii futuræ proximæ pestis.*

Observavit diversa tempora, ebulitionis variolarum, tum eruptionis, augmenti, status & declinationis. Nam tempus ebulitionis & eruptionis *primis quatuor diebus solet perfici; augmentum ad septimum diem prorogatur, status ad diem undecimum Declinatio, & exiccatio ad decimumquartum.*

Observavit itidem Thom. Vvillis cap. 15. de febribus; quod in hoc affecto *massa sang. valdè prona est ad coagulationes, hinc, inde, faciendas.*

Obs. Nos itaque quod sine decantata metamorphosi cruoris, palpabile, & visibile experimentum habemus a variolis, quod non est cruor, qui statim mutetur in materiam purulentam albam, sed est serum alb. naturaliter album, concrescibile, viscosum.

Cruor enim destinatus est facere phlegmones, inflammationes, & tumores rubros, qui non tam citò maturantur. Vel si maturentur & suppurent, indigent bona portione seri alb. admisceri, quod frigidum humidum dulce, humorem illum fervidum, acrem, bilioſum attemperare possit.

Ideòque incisis phlegmonibus, exit materia partim alba, partim cruenta. Sed incisis, vel ad apertis variolis nunquam materiam cruentam exiisse observatum fuit.

Observat Fernelius, quod variolarum ortus præcipuè debetur *Saturno maligno, qui primæ ætati infantili, simul cum luna dominatur; quæ cerebro præsidet. Saturnus verò malignus, voratoris puerorum nomen adeptus est: quia eorum plurimos interficit*; Nos curiositatis ergo in officio sanitatis Veronæ vivente D. Bartholomeo Vanti cancellario plurimos annos computavimus, & referimus plures esse, qui in prima ætate moriuntur, quam qui simul in aliis ætatibus pereunt. Et in duplum mulieres quam viri. In triplum verò juvenes & viri, quam senes.

Minus igitur decipitur Fernelius, qui docet hæc, quam qui metaphysicam quandam substantiæ venenatæ proprietatem, in menstruo reperiri somniant, & quam vario tempore maturari immaginantur.

Si enim menstruus cruor habere in se venenum universaliter, cur omnis homo variolis non afficeretur dum experientia docet, quod plurimi a variolis intacti vivunt.

Observamus igitur, quod potiùs fiunt variolæ a cerebro depurgari indigo, nacta occasione puerilis pestis vagantis; ideoque contaminatum serum alb. incrassationi pronum, forma puris albidi in pustulis cutis comparet. Incrassationi pronum, circa vasa pulmonum coagulatum, respirationem difficultat; cujus causa plurimi pueri intereunt; sic enim non benè diflata massa sang. conduplicatur febrilis calor, cruor in fuliginem vertitur, & sic cum variolis fiunt morbilli, & causa mortis conduplicatur.

Obs. etiam, quod sicuti proprium est cruoris comburi, & in fuliginosam bilem, amaram verti. Ita proprium est seri alb. acidam naturam induere, more universali semidulcium jusculentorum liquidorum; qui etiam longiori stagnatione facta, in liquamen acre, corrosivum transeunt.

Ideòque variolarum materia in testimonium suæ acidæ acredinis, cutem profundè aliquando exulcerat, & foveas excavat, ad mortis foveam usque duraturas. Imò malignis ulceribus in pulmonum vesiculis excitatis, tabem quandoque concitare observatur, & phtysim.

Observavit quinimò Doleus in variolis acidum corrosivum adeò peccare, ut ossa aliquando a variolis erosa se vidisse referat, non secùs ac os frontis, vel aliud in lue Venerea.

Observavit præterea, quod ex hac aciditate seri alb. seu succi nutritii nervosi, fiunt cerebri, & nervorum varia symptomata, nempè motus epyleptici, vel convulsivi, cephalalgiæ delyria, vigiliæ &c.

Signa diagnostica.

Præsentium jam variolarum signa sunt ipsis mutatis *lierculis manifesta*, neque indigent descriptione.

Futurarum verò signa sunt; si infans priùs variolis correptus non fuerit; & passim variolæ grassentur.

Præcedere solet horror, deindè æstus febrilis, atque sine declinatione febris perseverat; Et pulsus fræquentior fit. Pandiculationes, cum oscitatione crebra.

Cum gravitate totius corporis, & impotentia ad motum cum lassitudine dolorosa, & lumborum dolore.

Cephalalgia. Somnolentia inquieta; cum terroribus & pavore expergiscuntur.

Oculi fiunt tumidi, rubentes, veluti illachrimantes, & caligantes. Nares pruriunt.

Tussis sicca. Raucedo. Asperitas in faucibus, & dolor. Spirandi difficultas. Sitis.

Anxietas. Vomitus. Diarhea. Hemorhagia vel stillicidium narium in grandioribus pueris. Nares pruriunt. Sternutant.

Vigiliæ. Delyria. Sed potissimum motus epyleptici, vel convulsivi fræquentes. Aures tiniunt.

Tremores universales. Palpitatio cordis.

Viscera æstuant. Vrina sepè sanorom similis.

Vt plurimum circa diem tertium comparere solent, præcedente universali in cute pruritu, cum punctionum sensu. Die tertia augentur, nam quarta die toto agmine comparere solent.

In tumorem sensim elevantur, primò forma maculæ rubræ, sensim elatæ acuminantur, & deindè albescunt, cum remissione symptomatum.

In facie potissimum, & circa partes capitis variolæ ludunt. Minus circa partes extremas manuum, & pedum.

Saniem emittunt, usque ad undecimum fermè diem, scilicet donec tota materia prava fuerit ex-

tra propulsata, deindè in summitate incipiunt nigreicere, & resolutæ in squammulas fatiscunt.

Morbilli verò citius manifestantur, & citius etiam evanescunt; quia a cruore proveniunt calidiore.

Semper verò in toto morbi decursu solet ptialismus circa os pituitosus urgere, qui ægros valdè fatigat, & eis sepè funestum exitum affert (excedentis pravæ humiditatis cerebri indicium) imò sepè observatur cum salivatione pus excerni, ob exulcerationem gutturis, vel partium spiritalium; quare affectus terminatur in phtisim, vel contabescentiam pulmonum.

Signa Prognostica.

Adulti gravius laborant, ob cutem densiorem.

Bonæ, benignæ variolæ manifestantur, si post quartanam diem symptomatum remissio fiat.

Meliores esse judicantur, quæ citò albescentes, cum circulo rubro, magnæ, molles, acuminatæ, si rotundæ, ignobiliora loca occupent, facilè maturentur, & cito etiam exiccentur.

Securi magis sunt illi, in quibus vox est libera, respiratio facilis, & fauces non impeditæ.

Magis periclitantur illi quibus læsa sunt organa respirationis, cum siti ingenti, faucium succitate, asperitate; inapetentia alui fluore.

Variolæ cum circulo nigro, livido, depressæ malæ. Tum in medio foveam habentes; Vel tardiùs, & cum difficultate erumpentes. Vel uno die incipientes, alio evanescentes, & affecti cerebri symptomata adducentes, potissimum motus convulsivos.

Ab initio si fiat narium hemorrhagia bona est; nam minuere solet copiam variolarum; sed in progressu facta, mala est, nundum enim cerebrum a materia prava deoneratum sufficienter indicat, & sic affectum prorogari debere. Vel etiam recursum variolarum ad partes internas significat.

Extrà periculum versantur, qui fræquentia sputa deiicere ex ore possunt, grandiores natu pueri. Et quibus tumor faciei, & manuum diutiùs persistit. Si autem salivatio cessèt, & variolæ retrocedant, perire solent.

Status variolarum circa septimam solet esse. Atque more acutorum circa diem decimumquartum terminantur matureſcentes. Qui enim diem undecimam superare possunt; rarò interire observantur.

Circa declinationem fræquenter diarhea teneris pueris supervenire solet, quæ etiam tunc non est læthalis; sicuti esset in principio.

Qui autem ex variolis pereunt; suffocati intereunt, ob fauces vel pulmones affectos; epilepticis motibus, vel convulsionibus exortis, vel alui fluore symptomatico superveniente.

Nil dignius observatione est nil optabilius quam ut organa respirationis libera sint.

Variolæ quæ postremis (primi anni infantilis ætatis) mensibus invadunt, nullas post se relinquunt foveas, quia nundum perfecta cutis, facilè redintegratur, sicut cæteræ partes spermaticæ in infantibus ex Neotericorum observatione ex. gr. ossa fracta.

Pueri grandiores post difficiles variolas, qui convaluerunt, interrogandi sunt, an integrè se benè valere sentiant; nam frequenter eorum visculæ pulmonum exulcerantur a variolis suppuratis nec consolidantur, quare indigent curari, veluti pro incipiente ptisi, antequam ulcus, & suppuratio ulteriùs progrediatur.

Colligere possumus signa læthalium, vel minùs læthalium variolarum sic; Si fuerint paucæ, sincerè sine morbillis rotundæ, albescentes, non sunt lethales.

Si plurimæ circa faciem, & guttur, mixtæ cum morbillis, sunt læthales. Significant enim non solumodò serum alb. dulce nutritium, contaminatum esse in massa sanguinea; sed etiam cruorem a magno febrili calore comburi, & in materiam bilioſam inflammatoriam verti; & sic totam massam sang. contaminatam esse, quare naturalis facultas destituta suis succis alimentalibus, ac nutritiis, simul cum vita perire cogitur.

Magis periclitantur pueri hyeme, quam æstate, tunc enim perspiratio in extima cute est magis impedita.

Magis periclitantur adulti, quam pueruli, quia in adultis febrilis calor magis urget, inde cruor magis comburitur, quamobrem isti solis variolis laborant, sed simul etiam morbillis, vel peticulis.

Neque uniformes sunt semper variolæ; sed more aliorum contagiosorum morborum pestilentialium, in uno anno sunt periculosiores magis, in alio verò anno sunt benigniores, pro varia influentia &c.

Lividæ, nigræ maculæ, ueticulæ, vel morbilli inter spacia variolarum intermixti, insignem massæ sang. ebullitionem, & miasmatis venenosi vim ominantur.

Si circa septimam graviora symptomata remittant, spes magna affulget; secùs in periculo versantur.

Si evanescant sine ulla sensibili evacuatione, citrà caloris febrilis, & symptomatum mitigatione, mortem portendunt.

Tutius est alvum adstrictam habere; nàm sepè sepiùs contingit quòd orta symptomatica diarhea, fit variolarum introcessio, & mors.

Pessimæ sunt variolæ non solum externam cutem sed interna vilcera vexant, Copiam enim pravæ materiæ, & naturæ imbecillitatem declarant.

Ad tunicas oculorum materia prava variolarum delata, cæcitatem infert. Ad partes autem aurium internas lapsa, surditatem, Ad glotidem vel epyglotidem suffocationem, vel locutionem impedit,

Indicationes curativæ.

Venenata malignitas pestifera; præstantioribus alexipharmacis est compescenda.

Febrilis fermentatio nimis valida, est imminuenda.

Acrimonia fermentantium liquorum est attemperanda.

Impedimenta, & obstructiones removendæ.

Incrassatio ideò seri alb. est prohibenda, atque.

Pororum in cute apertio, liberaque diaphoresis procuranda, ducentibus in cutem liquantibus, attenuantibus, diaphoreticis.

Symptomatibus singulis (si fieri possit) occurrendum erit.

Læ-

Læsionēm potissimum oculorum præcavere oportet, & liberam respirationem procurare.

Massæ sang. motus ad æquabilem, & naturalem suum motum, redigere oportet, & si quæ sint obstacula in magnis cordis vasibus, quæ liberum ejus motum inhibeant, removenda sunt.

Frigida ideò & valdè acida, pontica, suspecta sunt; nam infrigidant, coagulant, & generant impedimenta &c.

Quando variolæ aparere incipiunt, tunc tria observanda. Primo ut lenis diaphoresis alexipharmacis procuretur.

Secundo Gutturi respectus habeatur;

Tertio Oculi a nimia variolarum eruptione præserventur; transacto enim principio, vix quidquam medicamentis proficere poterimus.

Calida cardiaca, in magno æstu febris suspecta sunt.

In statu, & declinatione confortantia, cordialia optima sunt.

Pro præservatione verò separentur invicem pueri vel adrura mitantur, si potissimum malignarum læthalium variolarum constitutio vigeat.

Quia non erumpunt variolæ, nisi per depuratoriam fermentationem massæ sang. ideò non debet deturbari, donec particulæ impuræ sint separatæ, neque fermentatio est calorificis augenda.

Curatio.

Statim prima die in adultis cum plethoria sanguinis missio fiat, aparente lotio crasso, rubro. Nam experientia constat, quod si primis diebus fiat hemorhagia narium in istis, plurimum juvat, & sublevatur a sarcina natura, & fermentatio liberiùs exinanitis vasibus celebrare possit; quare morbus imminuitur, dum eventillatur cruor ne comburatur, & ne fiant etiam peticulæ, vel morbilli præ combustione.

Si vigente maligna variolarum constitutione grandior puer occurrat cacochimus, & metuamus futuram in eo copiam variolarum, statim prima die ante eruptionem propinetur vinum hemeticum, seu aqua benedicta Rulandi, quæ non solumodò per vomitum & alvum, sed per omnem viam, & per cutem potissimum movere consuevit. *Sic Thom. Willis statim prima vel secunda die, hemeticum propinat.*

Helmontius verò statim incipit per arcana depuratoria; inter quæ *præcipue numeratur mercurius diaphoreticus*, qui quandoque per vomitum sed semper per diaphoresim purgat eximiè; nec non glandulas aperit seri alb. depuratorias.

Purgatio enim per alvum, sive blandis, dulcibus, lenientibus; sive verè purgantibus, valdè suspecta esse debet, ne per eam turbatio motus fermentationis fiat, vel augeatur, aut pervertatur.

Solumodò posset esse accommodata in totali declinatione, ad aliquas reliquias morbificas crassas depurgandas.

Oculi, fauces, & nares, ante eruptionem præserventur, illiniendo omni hora, aqua rosarum albarum, plantaginis cum granulis croci, canfuræ, salis saturni, tutiæ, & vitrioli albi.

Si intra oculum pustulæ oriri incipiant, instilletur sanguis ex secta vena in ala columbi recens tepidus; tum adhibeatur aqua eufraggiæ cum sief albo, & tutior præparata.

Si post curationem nebulæ, vel suffusiones relictæ fuerint; aqua ophtalmica cum copioso croco metallorum infuso adhibeatur. Vel spiritus vini in quo vitriolum album longo, tempore *infusum* fuerit, qui deindè aqua ophtalmica attemperetur, ita ut tollerari possit, & noctu oculi subtili lino madefacto tegantur, & dormiant illiti.

Ad præservandos pariter oculos plurimum valet aqua rosarum cum pulvere summachiorum ligato in petiola.

Si autem intra oculum pustulæ aliquæ compareant; sanguis recens elicitus a pullo frequenter instilletur ut cita resolutio procuretur, tum tepidæ fomenta antedictis ocularijs fiant.

Vel colyria ex aqua ros. eufraggiæ, trochis albis Rasis, tutiæ, granulis canfuræ, croci, quæ in linteolo ligata oculis frequenter admoveantur.

Lacte quoque muliebri recens in oculis emulcto, oculi a dolore, inflammationibus, & aliis præserventur. Vel lacti muliebri crocus, & canfura addatur.

Palpebris *potissimum læsis*, vel tunica cornea erosa lac muliebre cum croco, & canfura conducit. Vel aqua rosarum, & feniculi cum croco metallorum, sepiùs tepidè; linteis duplicatis adhibeatur.

Pro præservatione oculorum, veteres utebantur aqua ros. solani, plantaginis, cum croco, mucilagine seminum cydoniorum, *sumachiis*, chrystallo montano præparato, sief albo, lacte muliebri.

Ad nares præservandas canforatum acetum sepè olfaciendum est. Vel colyrium fiat aceto, sumachiis sale saturni, canfura, atque torrunda madefacta in nares immitatur.

Si jam crustæ in naribus adsint, *illiniantur* frequenter oleo amygd. dulcium cum sale saturni. *Vel* etiam butyro recenti in aqua ros. loto, saleque saturni, & canfura admixto. Vel solo oleo saturni, vel oleo lavendulæ admixtum; aut oleo succini.

Si auditus læsus fuerit vexicantia retrò aures imponantur. In quo casu, nil aptiùs balsamo caustico nostro, quod vires suas profundiùs insinuare possit.

Tum fumus tabaci per tubulum exceptus in aurem insufletur, castoreo, mirha & similibus cum tabaco admixtis. Vel *alia adhibeantur* præstantiora, quæ *in* nostra praxi, capite de surditate exaravimus &c. spiritus salis armoniaci &c.

Fauces præservantur gargarismate parato ex decocto foliorum plantaginis, ac seminum, florum rosarum rubrarum, sumachiorum *in* aquæ hordei, *cum* succo granatorum, sale prunellæ, diamorone, syrupo de papavere.

Item lacte caprino cum mucilagine seminum cydoniorum; decocto passularum, hordei sale prunellæ præsentibus jam in gutture variolis, & angustiantibus faucibus.

Guttur quoque defenditur syrupo, tum decocto florum papaveris erratici, vel decocto ficuum, & syrupo violarum; atque gelatina cornu cervi. Tum gargarismate ex mucilagine seminum cydoniorum, succo cancrorum fluvialium, decocto balaustiorum &c.

Alterantia;

Quoad usum internorum alterantium; verum fateor quod tanta est discordia inter auctores, *de* sudoriferis exhibendis, vel non; de refrigerantibus, & fermentationem massæ sang. cohibentibus vel non; ut me certè perplexum reddant, in quam partem mutare debeat mea sententia.

Qui enim pro pestifero venenato morbo variolas reputant, validis sudoriferis tractandas esse

contendunt; ſalibus volatilibus viperarum cornu cervi, & ſimilibus cum portionibus aquarum Saxoniæ, cardui benedicti, ſcabioſæ valdè dilutis, admixtis oculis *cancri*. Stybio diaphoretico.

Vtuntur pariter *mirha*, & mirhatis, tum theriaca. Tum *decocto* cornu cervi raſpati, ſcordii, hyperici, *contrahiervæ*, ſeminum napi, cardui benedicti, ſcabioſæ & conſimilibus antipeſtillentialibus calidis in antecedenti capite exaratis.

Qui verò variolas, neceſſariam eſſe naturæ ſeparationem puri ab impuro in cerebro, & in maſſa ſang. mediante fermentatione contendunt; valdè cauti in exhibitione alexipharmacorum diaphoreticorum valdè calefacientium; timent enim ne febrilis flamma magis accenſa, extinguat flammulam cordis vitalem; ſcilicet adeò adaugeatur fermentatio maſſæ ſang. in corde, & vaſibus ſuis, ut confundantur, & turbentur omnes contenti liquores, indè ſeparatio molecularum impurarum [quæ neceſſaria eſt) celebrari non poſſit.

Quare tutiùs ducunt primis ſex diebus, ab his fermentantibus, & ſecernentibus calidis ſudoriferis abſtinere, & eorum loco blandis acidis; aquis, vel decoctis, vel alio modo attemperatis uti tinctura florum cordialium, roſarum damaſcenarum papaveris erratici, violarum, bugloſi, cum ſuis aquis facta, acidula prius facta, cum ſpiritu vel rore vitrioli, vel guttulis ſucci citri.

Vt deinde ſeptima octava & nona die blandiora bezoardica, ſudorifera, ad reliquias morboſas a centro ad *circumferentiam propellantur*.

*Sunt*que adeò circumſpecti iſti; ut etiam ab acidis, frigidis, habentibus vim validam præcipitandi, vel compeſcendi fermentationes, abſtinere tutum ducant.

Blanda igitur cardiaca reputata ab iſtis ſunt diaſcordium Fracaſtorii. Aqua cordialis Saxoniæ, vel cardui benedicti. Radices contrahiervæ, ſcorzoneræ. Theriaca Terra ſigillata. Antimonium diaphoreticum. Bezoar minerale, unicornu foſſile ex tribus draconibus.

Sed potiſſimum elyxir proprietatis cum vehiculo. Tinctura, ſeu eſſentia myrhæ. Stybium diaphoreticum cum cornu cervi in emulſionibus, addita myrha.

Mediæ inter hos opinionis, eſt Thomas Vvillis, qui vult ut *ſtatim ab initio diaphoretica propinentur; ſudorque provocetur, non tamen attenuantibus validiſſimis; ſed potiùs temperatis, ut eſt ſtybium fixum diaphoreticum, quod ex magneſia ſaturnina frigida paratur, atque primis qualitatibus caloris, vel frigoris non agit; ſed ſpirituali quadam ratione, ſpiritui noſtro unitur*.

Sic opiata diaphoreticis mixta veſperi exhibita etiam ſtatim primis diebus, quoniam impetrato quieto ſomno nocturno, natura omnes concoctiones felici ratione celebrat, atque inter dormiendum ampliſſimam ſibi parat in cute diaphoreſim, atque ſudorem; inde ſymptomata futura arcentur, præſentia verò imminuuntur, vel tolluntur.

Alui fluores moderantur. Nervoſi generis ſymptomata propulſantur, dolores capitis, & alia &c. Sic vulgus adhibere ſolet decoctum caricarum, raſuram cornu cervi, raſuram eboris cum floribus calendulæ, & aliis cordialibus &c. Internas verò partes præſervare intendit ſtyptico confortanti decocto lentium primis diebus adhibito.

Hujus farinæ pariter eſt tinctura, ſeu eſſentia myrhæ in ſpiritu, ſeu aqua bacarum juniperi facta.

Gloſopetræ pariter Melitenſis pulvis valdè in variolis celebratur, adeò ut lapidi bezoardico anteferatur.

Perlæ, mater perlarum, oculi cancri, corallia, admixtis granulis myrhæ; temperata, & cordialia auxilia ſunt in variolis.

Si autem de internis inflammationibus aliqua ſuſpicio habeatur, ſaccarum ſaturni, cum aqua florum papaveris, & ſyrupo ex floribus papaveris erratici eximiam operam præſtabit.

Quartam inferimus noſtram conciliatricem opinionem; ſcilicet non contemnendam eſſe naturam variolarum, ſed pro peſte venefica conſiderandam. Neque febrilem calorem, & fermentationem eſſe pro nihilo reputandam; ſed hunc, tum illam, pari oculo reſpiciendum eſſe. Potiſſimum verò ſymptomatibus proſpiciendum eſſe, ut avertantur (ſi fieri poſſit) vel ſaltem mitigentur, ut tollerabiles fiant.

Nam opus depurandi cerebrum, & maſſam ſang. omninò opus naturæ, quæ in opere ſolumodò confortari debet, & ſi quæ obſtent ei impedimenta removenda ſunt.

Quare antipeſtillentialia auxilia, adhibenda eſſe putamus, quæ qualitatibus elementalibus calorificis non agant, ſed ſpecificis tantumodò viribus operentur.

Inter quæ certè eminet Mercurius noſter diaphoreticus ſtybiatus, quem ab initio in præfactione præparare docuimus.

Eo magis quia hoc loco agitur de peſte veluti Gallica, cujus natura eſt contaminare ſerum alb. in maſſa ſang. & in cerebro, & cujus vera curatio in ingenioſa præparatione, & prudenti exhibitione mercurii conſiſtit.

Infallibile namque eſt quod per mercurium aperiuntur, & patefiunt excrementitio ſero alb. viæ omnes ad exitum (ut patet ſalivatione) in omnibus glandulis, & potiſſimum glandulis milliaribus cutis.

Mercurio autem adduntur eximiæ virtutes annexi antimonii, quod univerſale antidotum venenorum omnium eſſe, oculari experimento Mantuæ, & alibi edoctus ſum, in perſona Orujetani, viri eximii, qui in peſte Romana, & Neapolitana anno 1656. elapſi ſæculi interfuit; tum in ultima peſte Vienenſi, cum magno ſuæ famæ rumore, quia innumeroſa faucibus Orci eripuit.

Ipſe igitur a me donis, & precibus interpellatus, bus auxiliis uteretur adversùs omnia genera venenorum, & adversùs peſtem ipſam, tam pro curatione, quam pro præſervatione, & an ſuum Orujetanum eſſet tantarum virium.

Quibus interrogationibus ſub ridens reſpondit; ſuum Orujetanum non obtinere tam præclaras vires, ſed mihi oſtendit ſtaculam cum antimonio non præparato ſeu crudo pulverizato, tum preparato bezoardici mineralis modo diaphoretico, & fixato.

Deindè ſubjunxit hoc eſſe ſuum verum præſervativum, & curativum, quo munitus ante & poſt, audet ſingulis annis, octo, decem, vel etiam ampliùs vicibus porecta a magnis viris curioſis venena, ingurgitare, & ſe ſe etiam exponere morſui viperarum.

Quinimò viſitationi quoruncumque indiſcriminatim peſte contaminatorum intereſſe ad quos ſi in tempore acceſſiſſet, ſalutem ſe affere poſſe jurabat.

Valet ergo adverſus peſtilens venenum crudum decoctum antimonium (ad tres vel amplius uncias in fruſtulis) cum lignis & aliis ſudoriferis &c. eadem ratione qua fit in lue Gallica; quæ loror vera, & legitima peſtis infantilis variolarum dici poteſt; quia ab eadem cauſa ſeri alb. corrupti, & iiſdem remediis curatur diaphoreticis, & ad cutem promoventibus.

Valet

Valet deinde etiam antimonium varia ratione præparatum ex.gr. crocus metallorum in vino, vel tartarus hemeticus ad gr.ii statim devoratus, ac aliquis mendicus vigente peste puerili, ad puerum visitandum accesserit, primo vel secundo die nullis adhùc variolis in cute apparentibus.

Valet deindè toto alio tempore antimonium ingeniosè fixatum; atque omninò diaphoreticum factum, ut est bezoar minerale, sed potissimum unicornu nostrum fossile, ex tribus draconibus optimè fixatum.

Sed usum habet alium præstantissimum externum, adversus pestem, & adversus pestiferum morbum variolarum antimonium; scilicet butyrum antimoniale, seu ignis artis qui jam descriptus, nam illitus in fossula nuchæ, seu in principio spinalis medulæ, est remedium purgatorium, intercipiens variolarum materiam de capite descendentem, ita ut maxima pars variolarum subtrahatur, venenum pestilens mortificetur, cerebri superflua morbosa humiditas absumatur, ut sic nil ulteriùs desiderari possit, neque par auxilium reperiatur in terris, equè potens.

Si autem caustica vis ejus sincera metuatur, in tenero infante, adhibeatur cum de culpa, & amplius parte butyri recentis, atque inungatur non solumodò antedicta fossula cervices, sed etiam supra futuras, sic enim crustulæ in capite excitabuntur, ad imitationem naturæ, quæ infantes cerebro morboso, humido preditos, per ulculcula in capite exorta repurgat, & a copia variolarum liberat, & a morte.

Hujus præstantissimi auxilii auctorem fecimus Hippocratem, qui *necessitatem depurgationis, & exiccationis molioris cerebri in infantibus esse adjudicavit* lib. de morbo sacro. Quare bona fide testari possum, quod non solumodò pueros jam incipientibus variolis inunctos suprà saturas hoc validissimo, & infallibili suspensorio a copia variolarum præservavi.

Sed etiam quotquot mihi occurerunt pueri corpulenti, valdè mucosi, & cum signis humidioris cerebri, eis inuncto tali butyro excitatæ sunt crustæ capitis (quod secus mundum, & sine crustis erat) & sic deinceps sensim, & sensim mucositas cessavit, cerebrum fuit exiccatum sufficienter ab humiditate superflua, & pueri deinceps integrè sani facti sunt, atque vagante variolarum constitutione, a paucis variolis correpti, a morte præservati sunt, quam subiissent præ variolarum copia; nisi apparatus morbosus, jam subtractus fuisset.

Hoc fundamento pariter Hippocratico quot quot pueri nobis oblati sunt motibus epylepticis conflictati, qui mundum, & sine crustis caput habuerunt statim inuncto meo balsamo caustico, cum copia sufficienti butyri recentis, atque excitatis crustis in capite, aliis etiam levibus auxiliis internis adhibitis, felici ratione sanati sunt.

Hoc eodem fundamento D. Sorbait Vienæ introduxit pro pueris variolis laborantibus, usum vesicatorii in loco ubi fiunt setacea (notante hoc cum sui admiratione D. Jo. Doleo) certo enim experimento hac via, copia ingens variolarum subtrahitur, & vita pueri in tuto ponitur.

Plantis quoque pedum illitum balsamum causticum nostrum, cum butyro, valdè sublevat pueros a copia variolarum, & attenuendo, accellerat tardum egressum earundem ob materiæ crassitiem; & citam resolutionem molitur.

Certo itaque constat experimento, quod vexicantia antedicta, sunt maximi emolumenti in variolis. Sed cuilibet notum esse poterit, quod talia vesicantia parata nostro balsamo caustico, erunt incomparabiliter multo efficaciora, quam vulgaria vexicantia; quæ suscipiunt quidem in se cantharides venenatas, quæ invitare possunt archeum ad deponendam in febribus malignis, & in peste, ad eum locum veneni interna; sed cum minori efficacia balsami nostri, quod potentissimum carbonum ipsorum summam virulentiam infringere, ac domare potest; prout in chyrurgia capite proprio ostendimus.

Præterquam quod appositio vexicantium, horrenda est in pueris, apud parentes, & adstantes; dum per modum inunctionis, multò facilius admittitur, etiam a puero ægrotante, cui nullum incommodum affertur, in detrahenda cuticula; sed sufficit frequenter inungere butyro recenti, usque in finem integræ sanationis.

Aliud quoque eximium auxilium nostrum est, quod respicit pestilentiale venenum, & ingens sudoriferum est, & removens omnia impedimenta glandularum in visceribus naturalibus, & est urina epota, quæ puerulis ignaris in obscuro loco degentibus, & saporis jusculi saliti, non admodum difficulter assumitur, potissimum urgente siti.

Sit igitur urina alterius pueri impoluti, vinum probum bibentis. Vel urina destillata exhibeatur; sed minoris efficaciæ est, nisi etiam granula salis armoniaci addantur.

Hæc igitur directè ad variolas respiciunt; nam secùs ad variolarum symptomata plurimum attendendum est.

Ad arcendas enim profundas cicatrices, aliqui auctores suadent, quod ante variolarum eruptionem, inungatur pueri facies oleo amygdalarum, cum modico sale saturni, deindè foliis auri universa facies deauretur, vel etiam *foliis argenti*; quod aliquando benè succedit, & facies a variolis saltem copiosis præservatur.

Sed res non adeò tuta est, nisi in ovipitio vexicatorium, imponatur, vel in aliis corporis partibus promoveantur variolarum eruptiones.

Quia fermentationis calor potissimum in adultis fit ingens, adeò ut soleant mori phrænetici; ideò blandis acidis æstus compescendus est, ex gr. tinctura rosarum vel florum papaveris eratici, in aqua florum papaveris acidula facta cum guttulis spiritus vitrioli. Tum emulsiones cum granulis laudani vesperi ante somnum.

Si motus epyleptici urgeant, inungatur butyrum recens cum portiuncula balsami caustici, ita ut exulceretur locus ovipitii in quo setacea fieri solent. Tum exhibeatur cinabaris nativa, vel cinabaris antimonii. Vel pulvis marchionis. Vel *sal volatili succini*, viperarum, aut cornu cervi.

Si malignæ valdè variolæ sint, passim vagantes, exhibeatur singula hora mixtura parata, ex tiybio diaphoretico, pulvere rad. contrahiervæ, lapide bezoar, unicornu fossili, cum confectione alKermes & syrupo cortium citri.

Sed in talibus malignis valdè variolis solet venenum esse nervosis partibus infectum, quare fiunt motus convulsivi circa eruptionem variollarum; tunc ergo exhibeatur cornu cervi succinatum. Sal volatile cranii humani, cum cinabari nativa, vel antimonii an gr. iv. Vel R. lapid. bezoar, succini albi, cinabaris nativæ. Cranii humani ungulæ alcis, smeragdi preparati, ambræ M.F. pulvis.

Si phrænesis, vel delyria adsint, cinabarina, cum canfura, saccaro Saturni, & laudano opiato &c.

Si erumpentibus variolis observentur læsiones in partibus spiritualibus tusses difficilis respiratio &c. cura maxima pulmonis habenda est; nam ob copiam seri alb. incrassati in quadruplicibus vasibus pulmonum, proclitantur ne motu necessariæ circulationis impedito, fiat suffocatio.

Den-

Dentur igitur cocleatim stybium diaphoreticum, cum balsamo sulphuris terebentinato, in aqua, & syrupo de fartara, vel hysopi, aliaque in difficili respiratione proposita, capite proprio, & capite de tussi.

Si ptialismi saliva viscidior compareat, & pueri fauces inviscando suffocationem minetur (quod contingere solet post septimam diem) tunc attenuantia incidentia gargarismata adhibeantur, potissimum decoctum caricarum cum hysopo, eximelite, spiritu sulphuris acidulum factum, & alia quæ pro angina pituitosa capite proprio proposuimus.

Si tamen fluxilis ptialismus vexet, permittatur neque sistatur ante diem undecimam. Secùs quarta die sisti posset, per opiata vesperi exhibita.

Tutius igitur est primis diebus ptialismum magis promovere in adultis, præcipuè per gargarismata varia pro ratione materiæ tenuis, vel crassæ &c.

Si vomitus adsint, fiant fotus, & cataplasmata stomacho; capite de vomitibus proposita.

Si vires videantur valdè prostratæ, acidulis potiunculis fræquentibus refocillentur, tinctura corallorum acidiuscula berberis succo extracta. Emulsionibus in aqua acidula cordiali Saxoniæ, cum copiosis margaritis corallis, oculis cancri, & lapide bezoardico.

Si nimis ad somnum propendere videantur, variis artificiis; & distractionibus divertantur a somno; imò plus solito vigilare expedit.

Si retrocedere videantur variolæ, potentiora in arte sudorifica alexiteria exhibeantur, & potissimum salia volatilia viperarum, succini, vel cornu cervi. Vel essentia myrhæ, seu tinctura cum spiritu salis armoniaci, atque elixire proprietatis.

Cum jam maturuerit, scilicet circa diem nonum oleo amygdalarum dulcium, vel pinguedine viperæ, vel deciduo oleo ex anguilla assata, cum pena calidè illiniantur sepiùs in die, usque ad crustarum casum; ne profundius cutis exulceretur, oleum saturni adatur.

Circa verò finem casus crustarum, tunc oleo myrhæ, vel pinguedine humana cum tantillo salis Saturni illiniantur. Vel spiritu vini myrhato abluantur. Valet quoque oleum vitellorum ovi. Vel ablutio facta decocto pedum viculi.

Non sine aliqua superstitione semine virili inunguntur &c. Vel licita ratione post coitum amborum genitotum uscuratorum genitura elapsa, pueruli sui faciem inungunt matres ipse.

Ad accelerandam verò exiccationem variolarum, nil aptius oleo saturni.

Ad maculas verò rubras, post casum variolarum relictas, aqua spermatis ranarum potentissima est. Vel aqua, aut succus liliorum alborum, vel florum fabarum, cum sale saturni, & canfura.

Aliqui auctores variolas jam albescentes, maturas perforare jubent filo aureo, ne ab acrimonia puris, profundæ cicatrices relinquantur, deindè illas inungunt spiritu vini myrhato, canforato, cum tantillo salis saturni.

Attamen experientia ostendit perforatas, tardiùs sanari, & ob introductum aere deterius se habere atque cicatrices fædiores relinqui, quare mercurialis qui de his ex professo tractavit, dicit superfluam *esse hanc perforationem; quia non aperiuntur nisi albæ maturæ fuerint, quo tempore fervor; & acrimonia cessavit, ita ut alba illa materia contenta si gustetur insipida sit, & potiùs dulcis sine acrimonia, quare tunc exedi non potest cute, imò tunc facilimè excrescit.*

Istæ agitur non aperiantur; sed potiùs aperiuntur & illiniantur myrhatis, & saturninis auxiliis, carnem citò generantibus, & cavitates implentibus, quando circa nonam diem observamus contentam saniem, esse pravi coloris lividam, icorosam, acrem, indigestam, exulcerativam. Cavendo etiam ne nimis amplum foramen fiat, & caro aeri exponatur; tum generosioribus balsamicis citissima mundificatio, & incarnatio fiat.

Terminatis denique, & consolidatis variolis, per aliquod tempus lavetur facies aqua florum fabarum, cum oleo tartari, vel lacte virginali inungantur, aut alia cosmetica adhibeantur, quæ in sexta parte chyrurgiæ nostræ recensuimus &c.

Victus ratio.

Aer non sit æstuans; sed temperatus, ita ut arceantur omnino a vento, & a frigore; sed etiam præcaveantur a nimio calore, cujus causa quietem adinvenire non possint, anxiosi; Hyeme tamen cubiculum æstuet igne.

Juscula fræquentia exhibeantur succo citri acidiuscula facta, ad vigorem, & robur stomachi servandum; tum quia citri succus arcanum esse reputatur in variolis potissimum; tum universaliter pesti, & venenis resistere certum est.

Gelatina pariter cornu cervi acidi, citri guttulis parata summoperè commendatur.

Victus sit tenuis, acutis morbis accomodatus, nempè ptisana cum modico saccaro & succo citri. Panatellæ, juscula blandis rebus acidulis, seu fructibus alterata; absorbentibus admixta, oculis cancri, perlis, corallia viribus semper stomachi respectum habentes.

Panatellæ, cum emulsione parata ex amygdalis, vel seminibus peponum. Poma acidiuscula. Fructus conditi acidiusculi, amarenæ, gelatinæ viscio-larum, pasta Jauuensis cydoniorum dissoluta in jusculo succus malorum punicorum præcipuè, vel vinum granatorum dilutum.

Pro potu decoctum hordei. Sed potissimum decoctum lentium, & cornu cervi raspati. Vel decoctum hordei, cum radicibus acetosæ, gliceriza, & passulis.

Conserva de acido citri, cum perlis, lapide bezoar.

Cautè refrigerantia valida in principio exhibeantur; ex. gr. emulsiones ad sitim arcendam; quia necessariam fermentationem, atque separationem materiæ impuræ in vasibus magnis cohibere, vel saltem retardare possent. Nam post eruptionem variolarum tutò, & cum fructu, propinari possunt.

Decoctum cornu cervi raspati, cum radicibus scorzoneræ, facto nodulo terræ sigillatæ valdè commendatur vel nodulo terræ catecu; & guttulis spiritus nitri.

Sed pro potu decoctum crudi antimonii cum lignis &c. cæteris præferendum est.

Parcè dormiant tempore eruptionis variolarum.

LIBRI QVINTI.

De Variis accidentibus & symptomatibus Febrium.

Caput unicum.

Vita hominis navigatio est, cujus Nauclerus Archeus, seu spiritus sensitivus calorificus cordis malo vigilans noctu, diuque assistit; Malique minimo facto motu; maximæ mutationes in naviggio contingunt.

Mare verò modo tranquillum, modo procellis agitatum, sunt fluxiles, atque instabiles massæ sanguineæ humores.

Non desunt postmodum hinc inde arenosæ syrtes siccitatum, flammivomi scopuli Vulcanei inflammationum. Diluvia desuper tempestatum catharalium. Mare glaciale frigidorum affectuum. Mare rubrum sanguinis. Mare nigrum melancoliæ sulcandum.

Denique corporis naviggium, quod super carinam spinæ dorsi constructum est, a ventis inclementis aeris, a violentis animi, & corporis motibus, ab improportionatis cibis, & potibus agitatum, sepiùs in itinere, sarpas resarcire, atque spalmare cogitur, donec senio dehiscens, naufraggium pati tandem compellitur.

In quo immortalis peregrinus spiritus, nisi super tabulas naufraggii; scilicet super salutares Iesu Christi Salvatoris cruces, æternæ salutis portum sperare potest.

Interim in hoc itinere, universalis procella, quæ insurgit, febris vocatur; cætera verò pro particularibus occursibus, & accidentibus in tribus variis facultatibus considerandæ erunt, a quibus diversa pericula vitæ, variam denominationem sortiuntur; prout inferiùs patebit.

Symptomata universa febrium, a duobus præcipuè dependere solent, ab Archeo, & a massa sang. varia ratione ab eodem agitata, simul cum aliis corporis liquoribus, adque varia membra demissa. Nam in capite fiunt cephalalgiæ somnolentiæ. Convulsivi motus &c.

In corde calores febriles, & æstus minores, vel majores &c.

Massæ vero sanguineæ, duos tantum liquores nutritios depravatos, causas universales symptomatum consideramus; serum scilicet alb. & cruorem.

A sero namque alb. horrenda capitis symptomata proficiscuntur, convulsiones, affectus soporiferi &c. A cruore terribilia incendia, inflammationes &c, quæ omnia in nostra praxi medica exarata sunt; nunc verò solumodò per transcenam, quatenus febrium accidentia sunt, in medium afferemus, eorum essentiam, & curationem celeri passu percurrentes.

Rigoris igitur, hororis & frigoris, naturam investigabimus, qui in febribus præcedere solet.

Rigoris causam putat Sylvius, esse succi pancreatici acrimoniam, qui halitus acidos acres & intestino tenui, quaquaversus diffundit.

Æger in hoc affectu putat se frigere, & tamen ab assidentibus corpus ingenter quandoque incalescere tactu percipitur.

Decipitur verò ægri, phantasia quia tempore suę sanitatis hyemale frigus, solet esse ordinaria causa horroris, rigoris, & concussionis dentium.

Nam re vera in febribus causa rigoris solet esse, acrimonia salina acida, vel acris, delapsa super fibrillas, & partes viscerum sensitivas, vel etiam super paniculum carnosum.

Observamus interim quod puerperis circa quartanam diem febris lactis dicta, ad venire solet cum horripilationibus circa lumbos, & humeros.

Causaque hujus horroris, horripilationis, reputatus est chylus acidiusculus, impurus, per insolitas vias, a natura ad mamas impulsus; qui molestis suis particulis, in febrillas sensitivas impingens, horrorem inducit.

A frigore itaque non fieri rigorem certum est, prout experientia adstantium, tactus testimonio comprobatum est; adeò ut aliquando in vigore rigoris, ægri incalescentes sudore observentur; tum siti ingenti torquentur quæ a frigore fieri non solent.

Hofmanus in horrore, & rigore, aliquid convulsivi in fibrillis membranarum viscerum, vel etiam paniculi carnosi observavit. Fibrillæ enim nervosæ, a motu acris, irritativæ materiæ vellicantur, & crispantur.

Hip. 5. aph. 69. *Rigores incipiunt mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorsum ad caput. Viris autem postica magis parte, quam antica corporis, veluti ex femoribus, & cubitis.*

Frigiditas manifestatur in febribus, priùs in naribus, in auribus, in pedibus; sed rigoris sensus, manifestatur circà partes proximas, ubi excurrunt vasa magna cordis, juxta spinam, quoniam a corde incipit febrilis procella, quæ halituosa, cum massa sanguinea, per arteriam aortam præcedens molestans partes membranosas sensitivas.

Per modum ergo halituosi, acris spiritus velociter per sensitivas partes inæqualiter moti, rationabile magis est, quod rigores fiant, quam a crassis corpulentis humoribus, acidis [ut volunt plurimi Neoterici cum Silvio] vel etiam a tenuibus biliosis.

Quoniam experientia docuit; quod in febribus, quo magis sincerior fuerit bilis, eo minores rigores, imò nulli omninò contingunt. At vice versa in febribus factis a mulo melancolico ex. gr. in quartanis diuturniores, & vehementiores rigores contingunt.

Notum verò est, quod melancolia asinina bestia, per irrisionem dicitur, quoniam tardigradum animal est asinus, qui etiam flatuosis halitibus semper turgens nunquam pedere cessat.

Tales igitur flatuosi halitus, ab insurgente spiritu motum naturalem massæ sang. turbante procedunt; atque sicuti in procella præcedere solent venti, tonitrua, & fulgetræ; ita fit in procella febrili; nam re vera analoga procellæ est; a qua sanitatis serenitas turbatur in homine; atque remisso vento præcursore, jam ingruit procellosa tempestas.

Secus vix immaginari possumus rationem, cur si rigores fiant a materia biliosa, super partes sentientes mota, non magis rigores ingruant, in statu febris quando bilis est in vigore suæ activitatis; sed solumodò fiant in principio.

Tum etiam cur rigores non sint majores in febri tertiana facta a bile, magis activa, quam in quartana asinina, tardigrada, saturnina, flatuosa [saturnus enim est dominus trigoni ventosi; sicuti Mars est dominus trigoni ignei]

Reliquum est, ut rationem reddamus cur mulieribus

ribus rigores incipiunt ex lumbis magis, & per dorsum ad caput.

Pro qua ratione reddenda, auctores multa metaphysica immaginantur. Nos saltem physicum fundamentum Jo. Helmontii in medium adducemus.

Observat enim in fœminis *tyranicam quandam monarchiam membrorum exerceri ab utero, in quo concupiscibilem residere probat, admirandis stygmatibus suis fœtibus impressis, tum stupendis præfocationibus uterinis; tum ultrà naturalem mensuram violentorum desideriorum pica, & malaciæ.*

Præterea utero anexi sunt testes fœminei (ovarium Neotericorum) a quibus sicuti procedit in viris virilitas, animi robur, vox calor, & alia a testibus; Ita in fœminis fœmineitas, & desideria fœminea violenta, quæ animam ipsam immortalem cogere tentant; aliaque multa, ab utero proveniunt, quæ maribus non sunt communia.

Observamus autem, quod utrinque in lumbis testes fœminei morantur; atque præterea notamus; quod duo viscera sunt super cætera viscera flatuosa, lien scilicet, & uterus, quæ ambo sunt emunctoria acidi, præternaturalis seri alb.

Inde facile est, rationem deducere cum a liene læso orta quartana ingentes rigores fiant; & cur ex utero per lumbos, & dorsum ad caput rigores ascendant.

Procella enim febrilis, in fœminis incipit flatuosis exhalationibus ab utero insurgentibus, inde more præfocationis uterinæ, ad partes superiores, per dorsum ascendit ad caput.

Bellinus putat rigores, vel horrores fieri in accessione febris, a concussione fibrillarum paniculi carnosi sub cute. Dolorem verò dorsi fieri tempore majoris fermentationis, ob impetuosam scilicet fermentationem massæ sang. in vasibus magnis cordis illic excurrentibus.

Circa verò lumbos dolor contingere solet; quia ibi sacculus glanduloſus est; seu receptaculum commune chyli, circa centrum mesenterii lumbis alligatum, ad quod confluit universus succus chylosus, & cum lympha lotrice diversi succi, & salia a variis membris elota; quæ omnia postmodum per duplicem ductum thoracicum Pequetanum, ascendunt ad vasa subclavia venæ cavæ inde ad dexterum cordis ventriculum, naturalem motum massæ sang. deturbant.

Observavi interim quod posito nitro, vel etiam ejus spiritu suprà linguam, de repente sensum frigiditatis inducit, cum quadam acrimonia; quare non immerito suspicatus fuit, quod in febrium principio elevari possit a minera morbosa acris tenuissimus spiritus, nitri spiritui analogus, qui circa fibrillas membranarum sensitivas viscerum, tum circa paniculum carnosum motum hunc rigoriferum, circa verò extremitates nasi, pedum sensum frigoriferum excitaret.

Atque eo magis in hac opinione me confirmavit Galenus, qui 10. meth. 4. qui ait: *Vapores aeres rigere faciunt. Sic ex halitibus malignis a minera venefica venientibus, & partes nervosas sensitivas lacescensibus, rigores fiunt.*

Hos igitur a natura alienos, dum calorificus spiritus expellere nititur, fibrillæ & porositates contrahuntur, per quas dum calorificus spiritus inæqualiter movetur, & agitatur, fit horror, anserina cutis quod si causa validior fuerit, fit rigor. Non differunt enim rigor, & horror, nisi secundum magis, & minus.

Concordant ferè omnes auctores, quod causa rigoris sit substantia quædam tenuis, acris, celeriter per membra sentientia commotus, dum irritatus expultrix.

In quo opere si facultas robustior fueret, eo rigor validior erit. Quamobrem exquisitus, & acutus sensus membranosarum partium, præcipua causa rigoris est.

Atque observabile est, quod rigor in tertiana exquisita intermittente in primis accessionibus, vehemenrior est, in postremis est remissior; contrarium verò in quartana evenit.

Quibus præmissis rectè interpretari poterimus Hipocrate in 6. epid. sectione prima tex. 9. dicentem: *Qui in valido rigore ascendunt; non admodum mitigantur, nisi propè statum.*

Coctionis enim ope, humores circa statum, veluti ad mediocritatem rediguntur; nam humor melancolicus crassus, tunc tenujor fit humor verò biliosus tenuis, incrassatur; & sic contraria ratione fit rigor circa statum in quartana & in tertiana febri intermittente.

Observamus quod natantibus in mare non fiunt rigores, nisi postquam exeuntes aeri exponuntur. Tunc enim excitatur pugna spiritus calorifici, cum particulis frigoriferis susceptis, circa fibrillas paniculi carnosi cutis sensitivas, ut frigoriferas particulas expellat.

Obs. quod post mictum, levis quidam, & brevis rigoris sensus percipitur hyeme in sanis; quia scilicet loco urinæ calidæ quæ exivit, introducitur aer frigidus in vesicam membranosam, & valdè sensitivam aer autem habet rationem tenuis spiritus, a quo fit rigor.

Observavit Galenus lib. de sympt. causis; quod *pandiculatio, & oscitatio maximè fit post somnum, non quidem a materia humorali; sed halituosa quadam substantia, in interstitiis carnium elevata, a nutritione jam facta membrorum.*

Observavit ibidem pariter quod fræquentes horrores fiunt, in lassitudine ostocopos, dum homo movetur; nec non qui cruditatibus laborant, dum in sole moventur, quia scilicet excrementa attenuata in halitus vertuntur.

Obs. quod in animi ingentibus passionibus ex. gr. magni timoris, impetuosæ iræ, amoris cum verecundia, vel reverentia, & aliis &c. fiunt rigores tremores, extremarum partium refrigerationes.

Tum in doloribus vehementibus homines rigere observantur; nulla sanè alia ratione, nisi quia spiritus calorificus, deserit extremas partes, ut se ad arcem cordis recipiat.

Quamobrem motus isti rigoriferi, frigoriferi, non indigent crassa quadam humorali substantia; sed modo quodam spirituali fiunt.

Ad rigorem igitur excitandum sufficit spiritus calorifici fuga a partibus extremis, cujus etiam causa, manifesta refrigeratio contingit; sed quia dum spiritus se ad cor recipit, calorificus excitat magnam fermentationem in corde; inde calorificæ particulæ per arteriam aortam ad universum corpus, & ad extremas frigefactas partes delatæ, excitant veluti pugnam, caloris, & frigoris descriptam a Galeno lib. de tremore, & palpitatione.

Sed oportet ut talis fuga spiritus calorifici, a partibus extremis; & talis transmissio particularum calidarum per arterias in universum corpus, fit subita, & violenta; secus jam proximi morti non rigent, licet spiritus calorificus partes extremas deserat, & adhùc cordis fermentatio adsit.

Hinc factum est, quod postquam spiritus calorificus, se ad cor recepit; & jam materiam molestantem,

tem, ad fermentatiõnem diſpoſuit, erumpit veluti victor quaquaverſum, & ingentem calorem producit, atque accenditur, deinde ſeperatione improbarum molecularum factą per fermentationem, & expulſionem per ſudorem, ad ſuam veluti naturalem quietem, laſſus ſe recipit.

Hinc eſt quod ſi poſt rigorem corpus non calefiat, ſignum malum eſt, vitiati ſcilicet, & lapſis ſpiritus calorifici, prout benè obſervavit Hipoc. 4. aph. 46. ſic. *Si rigor in febri non intermittente fiat, ægro ſam debili, lethale.*

Obſervabile eſt, quod acre calidum medicamentum ulceri impoſitum, rigorem excitat; potiſſimum ſi ulcus mundum, & ſine ſordibus, ſenſitivum ſit.

Obſ. quod dum febres ardentes (cauſon) verſus ſui finem, & poſtquam bilis ſincera ceſſavit per vaſa magna cordis feri; per modum ſubtiliſſimi halitus ad extimam cutis & paniculi carnoſi partem tranſmiſſa, rigorem facit, & in auras ſolvitur.

Obſ. quod a balneo calido egredientibus, ad frigidiuſculam auram delatis, ſine humorum acrimonia ſpirituali quadam pugna caliditatis, & frigiditatis, conſurgunt horrores, & tremores.

Obſ. quod in rigore facto in quartanis febribus, fit ſenſus doloris oſtocopos, ſcilicet uſque ad oſſa; non ſecus ac fiat in refrigeratis a nive, vel glacie; ſed in tertianis febribus ſenſus fit punctionis, veluti carnes ab acidulis lancinarentur. Quia in quartana ſpiritus veluti aceti eſt, qui rigores facit, vel aquæ fortis. In tertia verò eſt veluti ſpiritus ardens qui a rebus omnibus calidis eliicitur per deſtillationem.

Elmontius de rigore ait: Cauſa vera rigoris eſt *ſpiritus impetum faciens in nobis, qui motu ſuo locali vario, eſt cauſa frigoris, deinde ſubſequentis caloris. Vniverſaliter enim omnis motus fit efficienter ab Archeo, occaſionaliter verò fit a cauſis occaſionalibus, vel impedimentis oblatis. Non eſt ergo materia febrilis, quæ faciat rigorem; Nam in oſſium exarroſi obſervamus, quod ſtatim rigores fiunt, ſine materia.*

Ariſtotiles ſect. 8. probl. querit, cur qui rigent lividi efficiuntur; atque cauſam refert in ſpiritum, & ait: *Sanguis tenui, vivendo ſpiritu calorifico privatus, nigreſcit. Sic ſenes, minus habentes hujus vividi ſpiritus calorifici, lividi aparent.*

Obſervavimus ſuperiùs quod a ſpiritibus frigoriferis ex. gr. a nitro, vel ſpiritu nitri, ſupra linguam poſito, fit frigoris ſenſus, ſic fieri poſſe a ſpiritu quodam frigorifero in febribus naſum, & partes extremas refrigerante, & rigorem efficiente.

Nunc etiam eundem frigoris, & rigoris ſenſum, a ſpiritibus calorificis, & a multis quinteſſentiis calidis ſuper linguam poſitis fieri, certo experimento obſervavimus ex. gr. quinta eſſentia roſmarini ſuprà linguam poſita; imò ſi labiis, vel balano guttula una imponatur, ſtatim frigiditatis ſenſum donat; peculiari ſcilicet quadam ſenſatione ſpiritus noſtri ſenſitivi, qui hoc, vel illo modo movetur, juxta oblata objecta.

Attactu igitur horum ſpirituum caloriferorum, movetur eadem fermè ratione, qua movetur a præſentia frigidorum occurſantium acutorum.

Obſervavi etiam, quod ex ſolo inequali, ac irregulari motu ſpiritus, fieri poſſunt tremores, rigores, refrigerationes; ſic decertantibus inter ſe variis animi affectibus potiſſimum iræ fervidæ, & gelidi timoris, vel deſiderii vindictæ, vidi multos veluti in febrili paroxiſmo rigore concuti. Fœminis, & corde debilibus hoc frequenter contingit, magna ira percitis.

Rigoris itaque moleſti; ſi non ablatio, ſaltem mitigatio tentanda eſt; per linteolas calefactos undique ſupra membra potiſſimum extrema poſitos. Vel ſaltem lateres calefactos, hinc, inde appoſitos, plantis pedum, & genibus admoveri curabis, dum magni, & longi rigores, etiam cum doloribus dorſi vexant.

Inungi quoque poteſt regio ſtomachi, lumborum, & plantarum pedum, oleo nucis moſcatæ expreſſo. Vel oleo deſtillato juniperi, vel etiam cariophilorum.

Aplicari etiam poſſunt lintea ſpiritu vini intincta in quo infuſum fuerit caſtoreum, cum canfura.

Per os verò exhibeatur ſal abſynthii in aqua florum camomelli, ſpiritu nitri, & oculis cancri.

Poloni autem in febribus rigoriferis, exhibent grana aliquot piperis contuſa, cum hauſtulo aquæ ardentis, atque fræquenter cum bono exitu; ſed eſt irrationale, empyricum auxilium; ſolis duris corporibus, roboreis, inter nives, ſpiritu vini aſſuetis, relinquendum.

Fr. Sylvius ad rigores in quartanis febribus moderandos, nil aptius ſe inveniſſe dicit; *Quam oleum gariofilorum ad guttas, cum modica aqua cinamomi ſyrupo ex floribus papaveris addita laudano opiato, & facta mixtura cocleatim tribus horis ante acceſſionem ſumendæ, præſente verò frigore, ejus tria cochlearia ſummantur.*

Rigori itaque potiſſimum quartanæ vehementi occurendum eſt, nam fatigat ægrum, ejuſque dentes valida concuſſione quandoque frangit.

Pedes igitur, ſpinaliſque medula foveatur oleis, & linimentis, quæ in convulſivis, vel paralyticis affectibus adhibentur reputatur enim ſpaſmodicam eſſe affectionem fibrillarum ſenſitivarum, nervoſarum.

A ſpiritu ſenſitivo factam. Oleum igitur de caſtoreo, de piperibus deſtillatum, vel cariophillorum, cum ſpiritu vini, vel oleum ſynapi, aut variæ quintelentiæ oleoſe, ex ſimplicibus cephalicis paratæ. Cum oleo ſinapi, linimentum ex caſtoreo hora una ante acceſſionem, in lecto ſpina dorſi inungatur.

Camomillæ flores pulverizati, cum on iv. aquæ florum camomelli, plurimum levat dolores, & eſt arcanum adverſus febres horriferas, ſi propinentur ad dr. i.

Lateres calentes vino perfuſi, linteis involuti vel qui in decocto florum camomelli fuerint efferveſacti, & ægro circumpoſiti juvabunt.

Per os verò in febribus cronicis rigoriferis ſalia volatilia, & aromatica omnia adhibeantur, aqua petroſelini, fœniculi, theriacalis, aqua vitæ Mattioli.

Opiata fiat cum guttulis tribus olei gariophillorum. ℞. theriacæ ſcrup. ii. olei gariofillorum gut. iv. M. F. bolus. Salia volatilia cum opiatis.

Vulgus non incaſſum utitur pipere, vel ejus oleo vel oleo gariophillorum.

Oleum ſcorpionum Matthioli theriaca permixtum ante rigorem febrilem ſpinali medulæ inunctum maximè levat, & antifebrifugum eſt.

Capitis ſymptomata ante cætera examinabimus, deindè pectoris, & tandem abdominis, celeri paſſu percurrendo eorum eſſentiam, & curationem.

Inter cætera verò capitis ſymptomata, ſitim reposuimus quia potiſſimum manifeſtatur *in* lingua; nam re vera potiùs ad ventriculum ſpectaret.

Sitis ergo (ait Bellinus) fit a *lucta bilis amaricantis*

tis alkalicæ, exaltatæ, prævalentis pauco acido nitro aereo, pulmonibus advenienti. Quare hic auctor pulmonum, & partium spiritalium affectum potiùs esse judicat.

Alibi dicit, quod sitis fit a *salinis corpusculis ad fauces delatis.*

Sitis tamen propriè est affectus spiritus nostri sensitivi, monentis animam de defectu lymphæ salivalis; quod si post assumptum potum perseveret, lympham salivalem præternaturalibus salinis particulis imbutam esse significatur, ideòque talis lympha salina, sitim potiùs augere, quam tollere apta est.

Sitis etiam quandòque fit, arescentibus veluti perennibus fonticulis lymphæ salivalis, ad os, variis canaliculis pervenientis; sic enim siccitatis sensum, & indigentiam frigidi, & humidi introduci necesse est.

Lympha enim sincera; & salinis particulis non contaminata, pura aqua *elementaris* est, culinis concoctionum eluendis famula a natura destinata, prout in instit.med.ref.ostendimus.

Lingua nigra arida (prunella linguæ dicitur) fit a fuligine densatæ bilis, naturaliter ad loca superiora ascendentis, sicut fuligo camini, quæ coagulata, & densata pariter amara est, & in aqua soluta, manifestat suam flavitiem.

Ad linguam igitur spongiosam, deficiente lympha salivali, assurgit bilis, quæ confertim densata, neque impedita a lympha affluente, clarum testimonium exhibet ingentis conflagrationis cruoris, in vasibus cordis; istæ enim sunt incendii *fuligines*.

Adde quod nigrescit lingua facilius, quia mollis villosa sicuti holosericum nigredine tingitur, confecto atramento, ex galla, & vitriolo. Bilis enim alKalica ad linguam affluens, habet rationem prioris, acidula vero lympha in lingua reperta habet rationem posterioris, & sic veluti atramentum circa linguam celebratur.

Linguæ autem asperitas, fit a penuria alluentis lymphæ salivalis; naturaliter enim sunt villi in lingua (veluti in holoserico) qui in ejus superficie assurgunt, & qui lympha destituti, rigidi evadunt; quare attingentem digitum ferientes, asperitatis sensum producunt, ut fit quando tangitur pectem, quo lana carminatur.

Sitis clamosa; non adeò facilè extingui potest, quando non solum circa fauces, & partes spiritales, sed per totum corpus fuerit sensus quidam ariditatis per ventriculum innotescens, propter calorem absumentem, ac resolventem humiditates totius corporis.

Linguæ adhuc scisuræ fiunt (sicuti terra per æstatem nimis siccam dehiscit) arescentibus fonticulis lymphæ circa linguam positis, violenter fibrillis ejus tractis atque discisis, ideò sine præcedenti duritie non fiunt.

Jo. Zechius cons. 47. ait: Sitis, & linguæ scabrities, fervor oris, linguæ, & faucium ariditas; ob duplicem causam febrem fovere, atque augere possunt.

Primo quia talis mala affectio ad proximas partes spiritales communicatur. Secundo quia inspiratum aerem calidiorem efficere possunt.

Quare occurrere debemus cum Hipocrate 6. de morb. vulg. sectione tertia scilicet *ores, & vocalium instrumentorum otio, ac silentio, tum frigida potione assu, & potentia, tum inspirato aere frigido.*

Singulis itaque horis gargarizentur; mucilago seminum psilii, vel cydoniorum exhibeatur extracta aqua rosarum, & succo citri.

Vel traganthi mucilagine cum ovi albumine, & sale prunellæ. Gelida pro ore abluendo non denegetur. Gargarizent cum emulsione facta ex seminibus frigidis, & lapide prunellæ.

Thom. Vvillis lib. de febribus ait: *deflaganter massa sang. materia adusta cruoris, & succi nervosi, est quæ linguam nigredine inficit. Sitis autem fit ob æstum in visceribus, tum ob particulas acres, febriles, biliosas, ventriculo, & gutturi communicatas, quæ elui aqueis desiderantur* [deficiente aquea lympha] non secus ac in sanis, qui alimenta valdè salsa, vel piperata ingurgitantes, vel acria valdè ore voluentes siti postmodum ingenti torquentur.

Sitis verò, est prima hominis nuper nati, crucis passio, qua incitatur indigus ad lac a matris uberibus sugendum, ut suam sitim lenire possit.

Atque hæc miserabilis passio, neque viris principibus parcit, toto vitæ cursu duratura; & id quod delicia est apud eos, apud nos morales philosofos est medicina pro leniendo symptomata sitis, omnibus commune.

Jo. Helmontius putat in febribus universaliter fieri sitim, ob exaltatam bilem, & impeditum, vel imminutum lienis succum, qui ad stomachum deferi non possit.

Hinc est, quod si longiori somno frænari possit bilis, & exaltari, vel augeri possit acidus succus lienis, tunc sitis sedabitur.

Somnum enim sitim sedare ex Hipocrate 5. aph. 27. certum est; signum etiam bonum, & quod bilis non sit irrefrænabilis.

Quamobrem sticulosis, somnifera exhibere, laudatissimum auxilium est.

Lympha salivalis ad siccitatem oris arcendam destinata est a natura, omninò aquea insipida existens; quod si particulis salinis, febrilibus contaminata sit, suo muneri obeundo inepta est.

Hip. 4. aph. 54. *Quibus tusses siccæ, parum irritantes in febribus ardentibus fiunt, hi non admodum (comparative ad veram causonem febrem ardentem) siticulosi sunt.*

Atque ratio in promptu est; quia per tussim siccam, leviter irritantem fauces, & asperam arteriam significatur ad fauces, & linguam a glandulis circa guttur, & a vasibus, seu canaliculis lymphaticis salivalibus, provenire lympham salivalem irrigatricem, linguæ, faucium, & asperæ arteriæ, quæ tamen de particulis salinis febrilibus particeps, irritando glotidem epyglotidem, & asperam arteriam, est causa illius tussis.

Paracelsus de siti ait: *Tempore rigoris febrilis fraudolenta sitis vexat, quam potus extinguere nequit, quia non a defectu materiæ humidæ, fluidæ causatur; sed a sensatione materiæ molestæ humidæ quidem, sed salinæ, quam natura aqueo liquore diluere, ac eluere vellet.*

Hinc est, quod sitis versus declinationem minuitur, & non amplius augetur, quoniam illa quoque materia molesta, post statum jam alterata est, mixta succis dulcioribus, atque attemperata minusque molesta est.

Si enim a mera siccitate fieret, in declinatione quando a calore dissipatæ magis humiditates, sensibiliter per sudorem vel insensibiliter evacuatæ sunt sitis urgere deberet; & tamen contrarium evenit.

Observant Neoterici, quod adeò affluit ad linguam, & partes oris lympha salivalis per multiplices canaliculos, veluti fontes perenes salientes, quod tempore sanitatis igniti carbones supra linguam positi, illicò extinguuntur sine linguæ læsione; prout me observasse narravi capite de combustis in mea chy-

chyrurgia adeò ut circulatores audeant picem, ceram liquefactam hiſpanicam ſupra linguam ſuſcipere.

Quibus tamen nos docemur, & coniicimus, ex hoc receſſu linguæ a ſtatu naturali, quantum debet eſſe internum incendium, quod lympham abſumit, cum fonticuli oris inareſcentes, permittunt linguam veluti in carbonem verti.

Quare peſſimè agunt illi, qui aquam elementarem (ſicuti eſt lympha deficiens) in febribus ardentibus ægrotis ſuis negant; non eſt enim aliud auxilium oportunius, quam ſuplere defectum aquæ, per aquam.

Ad linguæ igitur ariditatem, mucilago ſeminum cidoniorum in aqua acetoſæ, cum ſale prunellæ, Vel gelatina cornu cervi cum acido citri parata.

Ptialiſmi quandoque in febribus longis a cauſa melancolica contingunt, ob lienis impedimenta, & ob obſtructas, & impeditas glandulas depuratorias ſeri alb. acidi præternaturalis, quare lympha, ejus pediſequa non invenit faciliorem exitum quam per ductus ſalivales oris, & ſic per ptialiſmum nititur ſerum alb. depurgare. Et hæc eſt vera & legitima cauſa, cur melancolici, ſalivatores fiant.

Sitis mitigabitur aſſidua emulſione ore detenta, & gargarizata, quæ parabitur decocto hordei, & quatuor ſeminibus frigidis; cuius etiam bona portio deglutiri poteſt.

Linguæ durities, inflammatio, ſiccitas, nigredo ſciſſuræ tolluntur *butyro recenti in aqua roſarum loto, admixto ſale prunellæ, atque ſervato in aqua frigida; datur fabæ magnitudine ſepiùs in os detinendo, ex Riverio lib. 17. Tum lac frigefactum nive, gargarizatum, ſed cautè expuant illud, & non deglutiant.*

Ariſtotiles ſec. 28. probl. 5. Querit cur ſitim minùs, quam famem tollerare poſſimus, atque reſpondit, quod *fames eſt ſicci tantum terrei deſiderium; ſed ſitis duarum rerum eſt deſiderium, rei ſcilicet humidæ, & refrigerantis, atque igneus calor noſter, minus moleſtus eſt & placidè ardet igneus ſpiritus, ſupeditato humido pabulo, quam ſicco;* ideoque magis natura ſolicitat nos per ſitim, ad humidum reſarciendum, quam per famem ad terreas particulas reſtaurandas.

Quando fui Raguſii, inveni medicum, quam ſemivivum poſt octo dies extraxerunt a ruvinis horrendi terræmotus anni 1660. qui urbem totam diruit. Narravitque mihi quod diligenter colecta urina, & epota vitam ſervaverit, magis a ſiti, quam a fame vexatus.

Ad ſitim in febri tertiana intermittente tollendam. ℞. julep violarum, aqua vitæ an partes æquales cum aqua roſarum, & granum unum moſchi in eis diſſolvatur additis guttulis ſpiritus vitrioli, cocleatim in ſingulas horis propinetur.

Sed in prunella linguæ oportet aſcendere ad ſuccum cancrorum nive frigefactum, & ad alia quæ a nobis propoſita fuere in chyrurgia, pro combuſtionibus ex. gr. ſuccum ſempervivi, vel portulacæ &c.

Hipocratis auxilium pro ſiti, in libro de ſalubri dieta proponitur ſic: *Si ſitis corripuerit, cibi detrahendi ſunt, & vinum bibant aquoſum & frigidiſſimum.*

Cauſa amaroris qui percipitur in ore febricitantium, & conqueruntur quod oblata ſint amara; nulla alia eſt, niſi bilis amara, quæ in radice linguæ infixa eſt.

Sic Ariſtotiles obſervavit ſect. 20. probl. 5. quod *ſi pomum putre in ore detineatur, inde vinum ſuper bibatur, omninò amarum videbitur. Hoc idem in febribus a bile contingere dicit in ore contento &c.*

Fr. Sylvius lib. 2. cap. 5. *Nil aptius in ſiti febrili, ſe ad inveniſſe fatetur, quam ſpiritus minerales acidos, a quibus fervida bilis præcipitatur, & figitur.*

Ad ſitim ergo ſpiritus ſalis dulcis &c. Lapis prunellæ cum ſero lactis ſyrupus cum decocto portulacæ vel acetoſæ, citri acido, & fructibus acidis &c.

Dolor capitis, vigiliæ, delyria, conſecutivè unum poſt alterum advenire obſervamus; ideoque eorum cauſa & curatio fermè coincidit.

Dolor igitur capitis, fieri ſolet in febribus, ab æſtuante corde, præternaturali fermentatione agitato, dum brevi, & recta via aſcendit ad cerebrum mediantibus arteriis carotidibus maſſa ſang. fervens, rarefacta, ſpiritu calorifico, & particulis fuliginoſæ bilis turgida; atque per innumera atque contorta vaſa meningum diſſeminatur; Quæ valdè ſenſitivæ membranæ, a pulſantibus arteriis turgidis, dilatatis, ſpirito calorifico & fuliginoſa bile repletis, dum feriuntur, & earum continui ſolutio tentatur, magis, vel minus dolent; cephalalgiaque excitatur.

Copioſa eſt autem, & ſpiritu turgida valdè, pars maſſæ ſanguineæ, quæ aſſiduò ad cerebrum demittitur adeò ut pluribus animalibus, & potiſſimum in piſcibus obſervaverim, manifeſtiſſimum, & amplum eſſe ductum a corde ad cerebrum, verſus verò alias partes, in conſpicuos ductus eſſe, atque tenuiſſimos.

Dolor igitur capitis, *ab exagitata acri*, ſalina, *icoroſa bilioſa* maſſa ſang. ad ſenſitivas valdè cerebri membranas delata, ſolutionem continui earum tentantem, procedere conſuevit.

Vigiliæ autem fiunt, ab eodem ſpiritu calorifico; flatuoſa, cum maſſa ſanguinea ad meninges aſcendente; & ad cerebri penetralia ingrediente; ubi inordinatè; ac violenter hinc inde per tortuoſas cerebri vias, & vaſcula excurrens, portas undique ad ſingula ſenſoria aperiens, & pateſaciens impetuosè, eſt cauſa vigiliarum, & inquietudinis.

Delyria autem fiunt, ab eodem ſpiritu impetuosè in cerebro moto, atque irregulariter hinc inde excurrente, omnia ſubvertente, potiſſimum verò imagines phantaſticas de ſuo loco removente, atque confundente, tum organa ſenſoria varia ratione movente, facultatem denique animalem depravante.

Maſſa ſang. materia febrili fervente contaminata, a vitali ſpiritu ad cerebrum defertur, ut præparetur ſerum alb. ſeu ſuccus nervoſus, & ſpiritus vitalis in ſpirituum animalem exaltetur.

Si itaque contingat quod maſſa ſang. turbida, confuſa, impuris particulis referta ſit, turbidus quoque confuſus, irregulariter motus ſpiritus vitalis, ineptus, ut exaltetur in ſpiritum animalem; eſt cauſa ſuo irregulari motu (ſuperiùs exarato) ut deliria, vigiliæ, dolores capitis contingant.

Cum delyriis motus quoque convulſivi quandoque contingunt, dum cum antedicto ſpiritu, materia febrilis ad cerebrum defertur, quæ acredine ſua nervoſo generi hoſtilis ſit & irritans, contractiones ad ſuum principium promoveat.

Hinc eſt quod in his affectibus intenſior circa frontem obſervatur æſtus, quam in aliis partibus.

Delyria autem cum riſu, vel placida ſecuriora; nam furioſa, & tumultuoſa, phrænitidem indicare ſolent atque futuram mortem cum motibus convulſivis.

His autem præcedere solet capitis dolor magnus, cum vigiliæ intensæ, ac pertinaces.

Capitis igitur æstus, dolor, *pulsatio*; contingunt quia nulla corporis pars, tot habet arterias, easque insignes, & variè reflexas, quæ suscipiunt maximam partem sanguinis.

In temporali verò regione sunt notabiles illæ cranii an fractuosæ fissuræ, per quas insignes feruntur arteriæ; quare ibidem pulsatio, & dolor quandoque molestior, quam alibi persentitur.

Tanta quandoque est acrimonia salina icorositatum ad caput ascendentium, ut istis febricitantibus antedictis symptomatibus conflictatis, continuitatis ratione cum meningibus, procedant ab oculis lachrymæ adeò molestæ, quasi ab aqua fortì oculi tacti essent, ita ut difficulter cum trochiscis albis cum opio, & canfura mitigari possint.

Ad vigilias igitur molestas arcendas, emulsiones in aqua florum papaveris, ex quatuor seminibus frigidis, vel in aqua lactucæ parentur, cum granulis duobus laudani nepentes, ante somnum noctu propinandæ.

Tum unguento populeo, cum canfurâ, & opio, tempora & loca capitis pulsantia inungantur. Aquæ pariter ex alto cadentes, tum alia artificia fiant quæ in lib. de conf. valet. a nobis tradita fuere &c.

Dolori capitis prospiciemus, provocatione sudoris, vel in febribus intermittentibus, & in plethoricis, in die intermissionis celebrata venæ sectionæ, tum epythematibus refrigerantibus capiti admotis cum plurima canfura.

Ad vigilias *quoque moles* frictiones cum oleis *prosunt*.

Cantus quoque atque instrumentorum variorum armoniæ, sed a loco distanti venientes, somnum conciliant.

Decoctum mandragoræ cum opio, & canfura, spongia exceptum, fronti, temporibus & locis pulsantibus colli illitum, & sub naribus appositum, somnum acersit. Quod si etiam plantis pedum alligetur, certius fiet.

Ad dolores capitis frictiones cruribus prosunt; tũ cucurbitulæ infernis partibus appositæ, vel hyrudines hemorhoidibus; vel etiam retrò aures. Tum clysteres emollientes, parati cum decocto radicum mandragorę, seminum iusquiami, & papaveris contusorum vel granulis opii solutis in vino albo, & admixtis.

Vigilias *mitigat oleum* ranarum, vel seminum papaveris expressum.

Cataplasma plantis pedum ex opiatis, & papaverinis. Vel etiam latis taleolis cucurbitæ alligatis, vel contuso sempervivi, vel lactucæ succo applito.

Delyrium factum post calefactum caput a vigiliis mitigatur blandis frictionibus, versus partes infernas cucurbitulis.

Tum pullis gallinarum vel columborum apertis, speciebusque confortantibus cerebrum conspersis; qui tamen in progressu, & pro resolvente auxilio, quam in principio pro avertente, & repellente adhibiti, prodesse solent.

Symptomata circa medium ventrem, scilicet thoracem contingentia solent esse, quæ circa pulsum, respirationem & calorem versantur. Ad quæ reducuntur syncopes, sudores præfocatio & consimilia.

Pulsus igitur celer, frequens, vehemens, validus, significat spiritum vehementer irritatum, & moventem ac fermentantem massam sang. præternaturali, & celeriori motu.

Pulsus tardus, languidus, parvus in febribus, significat, resolutum esse spiritum motorem, ac fermentatorem, & massam sanguineam paulatim cessare a sua fermentatione; Qualis pulsus in febribus horrendis pestiferis observantur, in quibus tensim coagulata in vasibus magnis cordis massa sang. de repente homines in terram mortui cadunt.

Sudor in febricem declinatione fieri solet a spiritu calorifico, fermentatore dum mediante fermentatione massæ sang. sequestratæ fuerint particulæ materiæ pravæ, febrilis, quæ simul cum urinosa, salina lympha, ad glandulas cutis demittuntur, ut per cutis porositates eliminentur.

Lassitudo, & amissio virium est vera mensura, qua noscimus majorem, vel minorem fieri membrorum omnium nutritionem, juxta majorem, vel minorem depravationem succorum nutritiorum massæ sang.

Certum est enim quod vires corporis, juxta nutritionem augentur, vel imminuuntur; prout benè docet Galenus in sua arte gymnastica, exemplo claro atletarum.

Prefocatione in febribus ab halitibus pravis, vel ab austero succo meteorizantibus a partibus infernis, ad pulmones, & adversus eorum burtulas debaccante non solum, sed musculum respirationis præcipuum scilicet diaphragmatis nervulos motorios afficiente.

Ideòque in febribus fit quandoque a pituita acida viscida flatuosa circa os stomachi, & proximum diaphragma infestante. Vel ab acido melancolico succo in utero stagnante.

Sudatoria febris elodes quasi pallustris dicta quoniam in perpetuis sudoribus natant ægri. Dicitur etiã sudor Anglicus, qui quandoque est endemicus, & lęthalis, etiam in nostris regionibus; a medicis dicitur febris colliquativa; quia cũ ingẽti viriũ prostratione, & mẽbrorũ macie, signa colliquationis, & cessãtis nutritionis exhibentur, sudore frigido, acidũ reddolẽte.

Qui a nulla alia causa provenire potest, nisi a sero alb. acido, corrupto, præternaturali, nutritioni partium spermaticarum inepto, quod salinum acre, cum pedissequa lympha, assiduò per poros cutis eliminatur, & cujus curatio, non est diversa a febribus malignis, quarum elodes febris species est.

Æstus, calor ingens in febribus ardentibus observatus, a duplici causa fit. Altera est efficiens, nempè furibundus spiritus sensitivus, qui a præsentia molecularum biliosarum molestarum, vehementem, pręternaturalem fermentationem massę sang. cõsitat.

Altera est causa materialis; nempe biliosæ particulæ irritativæ, quæ ab hermeticis dicuntur sulphura accensa in massa sang. vel salia acri volatilitate abũdantia; quæ eundem spiritum ad sui expulsionem sollicitant, facto æstuoso tumultu fermentationis.

Epyalæ causa (in qua ægri conqueruntur, sensum vehementissimum frigoris, tum caloris percipere) est inæqualis, & varius motus spiritus impulsoris, modò ad hanc, modò ad illam partem, materiam febrilem moventis.

Nam ad circumferentiam movendo in sensitivis membranarum & paniculi carnosi fibrillis, sensum frigiditatis [veluti canfuræ, vel quintæ essentiæ rosmarini super linguam, vel labia) imprimit.

Movendo verò versus centrum, in visceribus conduplicat caloris incendium. Decipitur tamen immaginatio ægri; nam ab assidentibus, dum tanguntur carnes, valdè incalescere percipiuntur.

Hæc quoque febris species malignarum febrium est; & iisdem auxiliis curatur.

Syncopalis febris, solet fieri a denegato spirituum in fluxu, ad universa membra, mediante veneno a nodyno. Quandoque fit, ob massam sanguineam vapidam, seu effætam, spiritu vitali calorifico orbatam, vel imminutam, ob nimiam effervescentiam,

seu

seu fermentationem massæ sang. a materia acri irritante excitatam.

Fieri potest adhùc an sanguine in corde, & vasibus suis stagnante, atque coagulato per modum polypi ab acido veneno.

Hæc pariter febris species malignarum, vel pestillentium febrium est. Et iisdem sudoriferis, attenuantibus, massæ sang. coagulationem prohibentibus; Vel resolutionem spiritus cohibentibus curari debet.

Astmatica febris fit, dum turbata sanguinis mixtione, in quadruplici genere vasorum pulmonalium præsente cacochymia pituitosa, excrementa febrilia, ad pulmonum bronchia, & eorum vesiculas delata, respirationem difficultant.

Materia etiam crassa, vel coagulativa stagnans, potest in tenuissimis bursulis, & angustis viis pulmonum difficilem respirationem concitare; liberum interim transitum, & circulationem massæ sang. per antedictas vias sufflaminando.

Quare neque causam, neque curationem diversam a præscripta in nostra praxi, capite de astmate, habere debet hoc symptoma.

Tussis quoque ferina in febribus quandoque concitatur, a salibus sylvestribus, acutis, volatilibus. Vel etiam ab humoribus viscosis, acribus, trachææ fibrillas velicantibus.

Quandoque minera est circa lienem, ventriculum, vel viscera naturalia, atque exhalationes tantumodò, acres irritativæ sunt causæ tussis inanis, ac molestæ potissimum circa accessionem. Pro cujus mitigatione, debent tussicularia auxilia sufficere, quæ a nobis capite de tussi proponuntur.

Sudores in febribus fieri solent, dum massa sang. ad instar lactis acescentis solvitur ac præcipitatur in serositates, ob salem acidum in fluore, quod solet a sero alb. provenire.

Per motum ergo circularem, fermentativum, celeriorem, ac præternaturalem, necessariò massa sang. attenuatur funditur, & quasi liquefit potissimum serum alb. quod est naturæ, crassæ, unctuosæ, lacteæ, quod facilè separationem patitur ab acido concepto, quando a liene, & a glandulis suis emunctoris, rectè depurari non possit; ideoque in quartanariis, & lienosis observamus copiosissimos fieri sudores, & melancoliam aquam appellari ab Hipocrate.

Pulsus in accessione febrium fiunt parvi, anguśti celeres, se recipiente, ac veluti uniente circa cor spiritu pulsifico, calorifico, vitali, ut deindè vehementius impetum facere possit adversus materiam morbificam, & illam fermentativæ separationi, obedientem reddat.

Ideò paulo post magnus, & frequens fit pulsus, & tandem attenuata disgregata, & separata materia febrili, obediens fit temperatori spiritui, deiicitur per sudores, nec tali loco sequestratur, & interim sedato motu veluti quiescens ad suum naturalem statum regreditur.

Syncopes ut plurimum fit a venefico fermento acido ad cor delato in febribus malignis, vel pestiferis (prout evenit etiam ex morsu viperarum) massam sang. incrassante ac coagulante, & per aliquod tempus prohibente, ne per motum fermentationis rarefieri possit.

Quare spiritus veluti soporatur, & pulsus amittitur, donec excitatus ab activitate bilis febrilis, iterum rarefieri possit massa sang. & circulari motu moveri, fermentando possit.

Præfocatio uterina contingit, dum materia austera acida, vel etiam halitus consimiles a minera in utero existente, seri alb. acidi incrassati melancolici, elevatur, & per ductum thoracicum ad cor & vasa pulmonum ascendit, ibique sensum suffocationis inducit.

Sudor, & urina habent pro materiali fundamento præcipuo lympham, seu aquam elementarem, cum potionibus ingurgitatam, deinde dissoluta in ea salia quæ in venis reperta fuere, magis per urinam manifestantur.

Salia verò, quæ potiùs undique & in ambitu corporis sunt per sudorem potiùs manifestantur. Spiritus enim calorificus vegetus, & fortis in vapores solvit aquam, eo facilius; quia salibus volatilibus prægnans est.

Hipocrates autem lib. 1. proret. sect. 3. tum 4. aph. 34. ait: *Vbi sudor ibi morbus, atque ibi partis laborem significat.*

Impetum enim spiritus calorifici adversus materiam, infestantem significat ibi.

Respiratio in febribus aliquando *fit* frequentior, vel difficilior *respiratio*, ob rarescentem massam sang. in quadruplicibus vasibus pulmonum, & motum fermentationis vehementiorem.

Lassitudo spontanea in toto corpore fit a succis alimentalibus, ad pravam indolem inclinantibus, quia solita nutritio, & membrorum refectio claudicare incipiat, ideoque semper ferè precedere solet ad magnos morbos, vel febres. Secus nutritione naturaliter deambulante, vegeta ac vigorosa fiunt denuo membra.

Talis relaxatio potissimum fit cina accessionem, febris vehementis, a causa morbifica ascendente *ad cor per venas circulantes*, inde ad *vasa magna*, & multiplicia pulmonum delata facit tussim, & anhelationem; tum præterea observamus quod tunc major etiam fit calor circa pectus, & interim extremæ partes refrigerantur.

Suspiria in febribus fiunt, ab usu aucto, & multam aeris trahendi necessitatem, ad spiritus, & massæ sang. æstum attemperandum; frigidiusculo enim aere recreantur. Quandoque fit vitio musculorum thoracem languidè moventium, dum natura per suspirii magnam factam respirationem, conatur resarcire *præteritas imminutas respirationes*.

Refrigeratio externorum in febribus facta, in inflamationibus internis, in animi deliquiis, fieri consuevit a recursu spiritus calorifici ad arcem cordis.

Pulsus fit inæqualis in febribus, ob spiritum languidum, & inæqualiter moventem, *nec non ob* particularum febrilium maxè figuratarum ac inordinatarum positionem in arteriis, variam, & inæqualem irritationem facientem.

Curatio, seu potiùs mitigatio horum symptomatum molestorum fieri debebit; nam in astmatica febri, vomitoria utilima esse experti sumus, potissimum si non convulsoria ratione; sed a materia crassa impediente vascula pulmonum fiat. Mercurius verò dulcis ad gr. xv. cum pulvere cornachini tutior in progressu febris erit, quam hemetica, aut alia solventia.

Cordis palpitationi, tremori, animi deliquiis, quæ in febribus contingunt aqua naphæ, acetum ros. vel succus limonum cum speciebus diamargaritonis, croco, & canfura duplicatis petiis madefactis tepidè applicetur regioni cordis. Mixtura verò ex confectione alKermes syrupo de corallis, aqua naphæ, pulvere margaritarum & succo citri paretur in singulas horas propinanda.

Testes interim foveantur eadem confectione alKermes in vino & tantillo aceti dissoluta; quæ etiam plantis pedum aplicita conduplicabit vim.

In causa frigidiori, ac melancolica, fiat tinctura ambæ grisæ, ligni aloes, benzoini in spiritu vini atque evaporato vini spiritu ultrà medietatem; cujus dentur guttulæ in jusculo, vel aqua cordiali.

Sudoribus diaphoreticis febrique mali moris urgente, theriaca recens exhibeatur, nec non ex eadem theriaca recenti, & pulveribus alKalicis oculorum cancri, perlarum, corallorum &c. fiat mixtura cum syrupo corallorum, & aqua cordiali, singulis horis cochleatim exhibenda. Aer cubiculi çstate copia nivis, & glaciei attemperetur.

Calor molestus febrium ardentium moderabitur, attemperata bilis acrimonia, per spiritus acidos minerales, vel succos fructuum acidiusculorum attemperatorum aqua acetosæ, portulacæ, florum papaveris, spiritu nitri dulcis, spiritu salis dulci. Syrupis de acido citri, tinctura rosarum, vel florum papaveris in aqua, cum guttulis spiritus vitrioli acidula facta.

Si æstus cum siti clamosa urgeat, & difficilis sudoris eruptio, dentur emulsiones 4. sem. frigidorum, amygdalarum cum copiosis seminibus papaveris albi, in decocto hordei paratis, vel decocto rasuræ cornu cervini, julep de pomis, vel de citro, more nostro confecto, scilicet taleolis pomorum vel citri, vel aliorum fructuum acidorum, atque plurimo saccaro conspergantur inter duas patinas obliquè positas, ut julep præstantissimus intra horam effluere incipiat.

Vel exhibeatur decoctum tamarindorum, passularum, hordei, cum nitro perlato. Vel aquæ endiviæ, boraginis, acetosæ &c. vino granatorum, vel spiritu vitrioli acidulæ factæ.

Vel more meo in bocia aquæ fontis instillatis guttulis spiritus salis, vel vitrioli, imponantur flores papaveris, vel etiam rosarum damascenarum exiccatarum, nam intra semihoram obtinebimus veluti vinum rubellum, saccaro ad libitum dulcificandum, quod si bona pars aquæ rosarum, vel florum aurantiorum seu naphæ admixta fuerit, gratissimam omninò potionem, & egrè visu jucundam, sine igne parabis.

Pellem marochini æstuanti dorso aptabis.

Si ex magno æstu, siti, vigiliis vereatur de aliqua phlogosi circa pulmonem, exhibeantur potissimum noctu ante somnum emulsiones papaverinæ, etiam admixtis gr. ii. laudani nepentes, interdiu verò paretur opiata ex papaverinis, cum nitro perlato, margaritis, oculis cancri &c.

Si vires roborandæ, atque spiritus refocillandum sit exhibeatur aqua cordialis Saxoniæ, vel borraginis, buglosæ, acetosæ vel sambuci cerasiorum nigrorum, totius citri, cum portione aquæ rosarum, & aquæ cinamomi. Admixtis margaritis, confectione alKermes, hyacenthina, lapide bezoar, & copioso julep perlato, vel gemato, aut elixire vitæ Mathioli, & aqua theriacali.

Vel more meo eliiciatur tinctura ex præstantioribus cordialibus infusis in spiritu vini, deinde evaporato spiritu vini ultra medietatem, saccaro, & cinamomo, vel cinamomi aqua, edulcoretur, & aromatizetur, quo diluto, cum antedictis aquis ad unciã unam, & ultrà adhibeatur; ridiculum est enim gutas quinque, vel septem vulgarium medicorum, elixiris, vel julapii perlati, eximias decãtas vires habere posse.

Fiat pariter mixtura ex aqua rosarum florum aurantiorum cum conserva totius citri, perlis, oculis cancri, ebore, corallis rubris, & foliis auri, cochleatim summenda.

In syncopalibus febribus, vel cum animi deliquijs palpitatione cordis &c. exhibeatur aqua cinamomi, vel theriacalis, attemperata aquis, & julapiis, tum admixta confectione hyacinthina, theriaca margaritis, lapide bezoar, chermes, ambra, cum granulis laudani opiati, syrupo de corallis conserva totius citri, parata mixtura cochleatim exhibenda.

Exterius vero oleum scorpionum matt. & balsamum peruanum, vel orientale cordi inungatur, & alia quæ pro syncope in praxi nostra &c. exhibentur.

In tussiculosis febribus, exhibeantur opiata, volatilibus, & oleosis admixta. ℞. aquæ violarum, vel florum papaveris on. 3. laudani opiati gr. iii. syr. de papavere on. 15. m. cochleatim exhibeatur.

In tussi verò humida exhibeantur flores sulphuris flores benzoini, balsamus sulphuris, stybium diaphoreticum, cum laudano opiato, & papaverinis mixta.

In sudatoriis febribus exhibeantur aspera, austera, syrupus de berberi, de corallis, de cydoniis, in aqua plantaginis, portulacæ cum bolis præstantioribus corallorum pulvere, margaritarum, sale saturni granulis, ebure.

Tum pulvere rosarum, & austeris cutis poruli angustientur, & laxitas glandularum miliarium cutis roborantibus adstringatur.

Symptomata quæ circa infimum ventrem contingunt, solent esse alui fluores cardialgia tormina, vomitus; & quæ circa ventriculum, & primas vias contingunt; ad quæ redducuntur, quæ circa urinas, & alibi, in visceribus naturalibus fiunt.

Inquietudo in febribus, & hinc inde agitatio in lecto, anorexia, & quæ propriori nomine anxietas appellatur; fit a multo sale acuto, volatili, existente in massa sang. quod febrillas nerveas viscerum, & potissimum nervum sexti paris, ad os ventriculi supernum venientem lacescit. Cujus etiam vellicationis ratione fit cardialgia, stomachi subversio, vomitus &c.

Dysenteria in febribus fieri consuevit, dum massa sanguinea in partes dissolvitur, neque solitam unionem, atque consistentiam servat; sed præternaturaliter icorosior, ac fluidior facta erodit, & oscula vasculorum ad intestina spectantia sibi aperit.

Bilis igitur ichorosa, fluida, per contaminatam lympham, acuta acrimonia peccantem facta, acidis igneis, acribus, fermentativis particulis exaltata, validam impressionem, & effervescentiam circa intestina concitans, succumque pancreaticum alKalicum subigens, & veluti conculcans, dysenteriam concitat.

Vrina fit russa, vel croceo colore saturo tincta, non ob fellis mixtionem (nam amaricaret) sed ob copiam salinorum excrementorum; ideòque salsa percipitur.

Dum ergo in vasibus magnis cordis cum cruore lympha lotrix salium circulatur, salina valdè, ac dissolvente armoniacali acrimonia prædita, rapit a rubicundo cruore tincturam rubicundam magis, vel minus, prout magis acris, salina, fuerit lympha, & sic urinas magis, vel minus tinctas reddit.

Ad tincturam igitur urinæ plurimum conferunt salinæ particulæ in majori, vel minori quantitate (sicuti evenit in lixivio, quod a copia salium coloratur, & acrior fit; ab inopia salium fit aquosum, insipidum, & nullius efficaciæ] copiosæ enim, præter propriam tincturam, quam exhibent, aliam quoque tincturam eliiciunt a cruore, quam secum ad vias urinæ ducunt.

Secus si fuerint paucæ hæ salinæ particulæ in lotio illud constituunt aquosum, insipidum, & parum coloratum, nullaque tinctura a cruore eliicietur.

Idem enim contingere observamus in aquosis, insipidis,

pidis, sine salinis particulis menstruis; hæc enim parum, vel nihil colorata conspiciuntur.

Si autem quærat curiosus, unde tanta salium copia venire possit in urinis. Alibi ostendimus in meteorologis libris, quod sol non est causa salsedinis maris, & quod aquam puram fontium ignes inferni, vel ignes culinarii, aquam calefactam, ebullitam, & ut ita dicam torrefactam, nunquam poterit deducere, ut granulum salis donare possit; nisi intus extiterit.

Quamobrem salia quæ in urinis adeò copiosa observantur, partim veniunt ab universorum membrorum salino acri residuo nutritionis; partim ab universis esculentis, & potulentis (nam habent singula necessariò sua salia sapida, occulta) partim a sale nitro aereo, quod ab aere, respirando attrahimus; Ideò pastores, & armentarii, in altissimis Alpibus sine ullo sale in cibis victitantes, urinam salsam semper reddere observavit Helmontius.

Torminales febres, colicam æmulantes, fiunt a dolore concitato ab acido, circa mesenterii partes nervosas sæviente, fibrillas sensitivas vellicante, & contrahente spasmodica ratione.

Vomitus in febribus fiunt, ut plurimum a spasmodica fibrillarum ventriculi contractione, excita a materia acri irritante.

Alui fluores in genere, a duplici causa concitantur in febribus. Vel a bile salina, acri, impetum faciente in intestina, & non coercita a contrario suo pugili succo pancreatico.

Vel viceversa, prævalente succo acido, frigido, aqueo, melancolico pancreatico, enervata, & veluti conculcata bile a contrario suo pugili, quare acetosa acrimonia sua intestina non minus *in febribus longis* labefactare solet, quam bilis sua amara, salina condictione in febribus acutis, exinde alui fluores concitare potest.

Atodes febris dicitur, quæ irrequieta, & anxia est fitque ab acribus irritantibus particulis, quæ proveniunt, vel a biliosis ichoribus; vel ab acidis tenuibus melancolicis, ad ventriculum assurgentibus, & potissimum circa os supernum ventriculi, vel circa tunicas externas effusis; nam si in cavitate ventriculi, & parte interna effundantur, vomitus subsequitur potiùs, vel subversio.

Vomitus itaque biliosi concitari solent a vesicæ felleæ irritatis fibrillis, tum bilis vehementer comota; & nimis exaltata, spasmodicè tales fibrillas contrahit, quę postmodum violenter contractæ, effũdunt impetuosè bilem per ductum colidocum ad exitum intestini duodeni, a quo assurgens per pilorum ad stomachum, facit vomitum bilis, subversionem, nauseam &c. necesse tamen est, ut vera causa primaria efficiens, sit perversus ab irritatione spirituum animalium motus, qui ab æquali, & naturali motu suo deturbati, contractiones, seu convulsivos motus concitant, in dictis fibrillis.

Vomitus autem inanes fiunt, a materia acri iritante per arteriolas ad ventriculi tunicam externam, & mediam carnosam deposita, nihil verò in cavitatem ventriculi, ejus materiæ effunditur, quæ vomitu evacuari possit.

Cardialgia in febribus fit a spiculis acribus, salinis ex massa sanguinea, per arteriarum canaliculos ad os supernum ventriculi delatis, ibidemque fibrillas sensitivas ferientibus, sensumque dolores scilicet solutionis continui inducentibus.

Tormina quandoque fiunt in febribus, ab acri, irritativa materia circa membranosas sensitivas partes mesenterii; vel circa expansiones valdè sensitivas peritonei errante, spasmodicas, & convulsivas contractiones dolorificas concitante.

Talis verò materia, vel a minera morbosa in principio accessionis, vel a massa sanguinea, per arteriam cæliacam in progressu paroxismi, & fermentationis provenire solet.

Cacatoriæ febres dictæ juxta Paracelsum fieri consuevere ab acrimonia salis in fluore existentis, ventriculum, & appensa intestina vellicantis.

Sylvius verò in febribus *solam bilem exaltatam, atque nimis acrem, copia, & qualitate peccantem, per porum colidocum ad intestina tenuja exeuntem, fluxum alui causam esse dicit,*

Nos media quadam via incedentes, in acutis febribus, alui fluoris causam esse humores acres, serosos, biliosos, a massa sang. per arteriam cæliacam ad intestina demissos putamus.

In febribus autem cronicis, acidum pancreaticum, nimis exaltatum, seu sal acidum, jam fluorem adeptum, esse causam alui fluoris dicimus Vrinæ, & sudoris, tum in febribus, tum semper, eadem fermè solet esse materia; ideòque si una excretio abundanter fiat, altera fermè supprimi solet.

Itaut *sicuti* urinæ suppressiones vel imminutiones in febribus fit aliquando, a caloris ingenti siccitate, abbreviante, contrahente, & corrugante renum fibrillas, ut sic occludantur collatoria renum vascula, qua deindè spasmodica contractione remittente, consueto modo urinæ fluunt.

Idem fit quoque in sudoribus, contracto enim, vel remisso contextu nervoso cutis, aperiuntur, vel claudantur poruli & exitus sudoris impetratur.

Alui fluores in febri, disenterici fieri solent, post magnam fermentationem, & commotionem variorum liquorum in *intestinis factam*, naruam acrem *corrosivam habentium*, qui abradentes *ab intestinis* pituitam intestinalem, seu intestino *loricam*, exulcerantes intestina, ad contentorum expulsionem irritant.

Vomitus in febribus aliquando fit, circa initia paroxismorum; quando materia febrilis versatur circa primas vias stomachi, & intestinorum; nempè dum fit lucta pugilorum acidi pancreatici, & bilis, circa partes valdè sensitivas, & membranosas intestinorum & stomachi, a quibus pugilibus, non solumodò fiunt vomitus, sed etiam rigores febriles.

Quamobrem blandis papaverinis uterque leniri potest cibi fastidium. a stomacho nidoroso in febribus provenire solet; dum a malis succis pulsatur atque evertitur acidum stomachicum ab alKalina contraria bile.

Tunc igitur ingruit sitis, *& cessat famis* sensus circa os ventriculi supernum, qui affectus anorexia Græcè a Galeno appellatur, quam ab intemperie calida fieri dixit; quæ sensum oris ventriculi labefactat, spiritum resolvit, fermentum depravat.

Aliquando præ ingenti calore, & siccitate circa os supernum ventriculi introducta, neque cibum appetere, neque illum deglutire possunt, imò dum præ desiderio mitigandæ sitis, aqua deglutitur, cum quodã strepitu descendere observatur, æsophagi fibris induratis, malè, & præternaturaliter operantibus.

Diarhea quandoque febricitantibus contingit ob ventriculi vitium non concoquentis. Aliquando fit ob chyli distributionem in primis viis impeditam.

Aliquando fit ob serosi fluidi excrementi in toto abundantiam. Aliquando ob portionem febrilis materiæ, criticè ad intestina a natura demissæ.

Tempore autem somni, coercentur hæc excremẽta & deindè per somnum expultrix robustior facta, vigilans exurgit ad expulsionem per alvum.

Diarhea itaque in febribus parum durare, ut plurimum salutaris est, & cum ægri levamine; sed diù perseverans, semper mala est, quia nutritionem membrorum malè procedere indicat; &

per

per consequens vires colabi, excrementa, & febrem pari passu augeri.

In principio vero febris diarhea, semper mala. In statu, & declinatione, sepè bona est, si cum bonis signis fiat, in diebus criticis, & cum levamine, prout notavit Galenus primo ad Glauc. 14. ubi etiam ait: *Si febris fuerit cum alui profluvio, non est opus alia evacuatione.*

Quæ tamen doctrina vera solumodo est, quando speramus quod naturæ sufficere possit talis evacuatio per diarheam.

Sed amplectenda non est, quando revellendus est humor, vel ejus copia in venis imminuenda, vel acrimonia attemperanda. Tunc enim venæ sectione opportuna, vel purgatione utendum est; deindè roborantibus, & confortantibus agendum.

Somnolentia frequenter fieri solet in febribus non quidem vitio cerebri; sed a visceribus naturalibus elevatis narcoticis exhalationibus ad caput in principio accessionis, *seu febrilis procellæ*.

Dum enim spiritus calorificus concentratur, & refugit circa cor, & partes pectoris, se recolligens ut vigorosior adversus materiam morbificam insurgere possit; ideò partes extremas derelinquens est causa ut frigescant.

Non mirum igitur, si vasa capitis, minus spiritu hoc calorifico (simul cum sanguine) inflata concidant, & sint causa, ut sensuum instrumenta torpescant, & fiat sopor: prout lib. de cons. valet. clarè ostendimus, capite proprio.

Vrina in accessione est aquosior, & minus colorata; quia adhuc cruor a *febrili* calore assatus non est, neque acri lotrici lymphæ urinosæ admixtus, suam tinctura exhibuit, quam exhibet deinde in statu & declinatione.

Crassa, turbida, asinina urina subjugalis dicta, sita confusis humotibus permixtis, & non regulatis a spiritu calorifico, languido, debili, in febribus pessimis, & mali moris.

In urina nebula alba, levis; dat testimonium è contra, quod benè regulentur humores, non longè a statu naturali, a spiritu sensitivo calorifico; & si quid est crassi viscidi seri alb. in vasibus magnis cordis, subigi, ac solvi ejus pernicioſum lentorem qui talia vasa infarcire posset.

Nam sine nube vel eneoremate urina, materiam esse hærentem in vasibus pertinacem ominatur, solutioni repugnantem.

Fluores alui maximè in febribus fieri solent; dum materia febrilis irritativa per arteriam cæliacam, mesentericam, ad intestina a natura deponitur, veluti in cloaca excrementis dicata, satis ampla, & patente excernendis.

Vomitus fit aliquando in febribus, non quia in primis viis stabuletur, & in ventriculo prava materia; sed quia in paroxismo, seu in rigore febrili, membranæ totius corporis convelluntur, & sic pariter ventriculus qui membranosus est, veluti contractus motibus convulsivis ad vomitum concitatur; eo magis si vasa cholidoca bile turgeant.

Occasione enim hujus universalis viscerum convulsionis, seu concussionis, a meatu cholidoco emulgetur bilis, quæ ad ventriculum assurgens, manifestatur vomitu. Vel contrario motu peristaltico, ad inferna excitato in principio febrium, fiunt alui fluores.

Vrinæ ruffæ monstrant excessum caloris (in sententia Thom. Vvillis) in massa sang. particulæ enim salis, & sulphuris, quæ sunt in liquoribus massę sang. & in partibus solidis, dum sero urinoso incoquuntur, (nempè lymphæ) rubedinem ei impartiuntur, non secùs, ac sal tartari, & sulphur commune in aqua incoctum; ei enim rubedinem saturam impartiuntur.

Vrinæ crassæ, albidæ, confusæ, subjugales, significant serum alb. crassum, corruptum, præternaturale ineptum esse nutriendis partibus spermaticis, quod fieri nequit sine summa virium omnium jactura (in illis enim fundantur vires nostræ) quare mortiferum, & læthale signum est; & nisi tales urinæ mutentur, irreparabilem mortem ominantur.

Vrina sanorum similis, in peste horribili observatur dum coagulatur massa sang. in venis magnis, sine motu fermentativo, sine ulla combustione, sine magna turbatione; quare isti solent mortui cadere ex abrupto in terram, sola turbatione in capite antecedenter percepta.

Anorexia in febribus atque appetitus oblatus, contingere solet in febribus ingentibus, & malignis, a venenata qualitate, vires ventriculi mortificante, ut suo munere fungi non possit.

Selenchius observavit singultum in febribus factum, *ab importuno, & nimio refrigerantium usu*.

Dolores, lancinantes, atque ventris dolorosa excitantur quandoque dum a calore febrili exaltata bilis, incidit, fundit, liquat pituitam intestinalem, & tunc cum alui fluore ab intestinis irritatis excitantur tormina, veluti in dysenteria.

Dolores verò ventris erodentes, pungentes (veluti quando supra ulcus aliquod mundum, acre medicamentum imponitur) mordicantes in febribus aliquando a causa frigida melancolica, mediante succo pancreatico porrico, naturam aquæ fortis habente proveniunt; dum per sensitivas fibrillas, & membranas intestinorum, viscerum, & potissimum mesenterii insinuatur, eadem fermè ratione, qua fiunt dolores ventris in affectibus hypocondriacis.

Curatio symptomatum adimens ventrem pertinentium.

Vomitum in febri maligna sustulit Riverius cent. prima observ. 15. solo sale absynthii scrup. i. succo limonum cocleare uno.

Exterius vero adhibito emplastro, ex pane tosto, imbuto succo agrestæ, granatorum, modico vino, pulvere corallorum cinamomi, & specierum diarhodonis.

In vomitibus comendabilia sunt potiùs medicamenta in forma solida, quam liquida, quæ diluant bilem & citò deiiciantur; tum potus parcior ob eandem causam. Conserva igitur rosarum antiqua, confectio hyacinthi, theriaca recens, vel laudanum opiatum hora somni comendantur. Vel confectio hyacinthi cum pulvere corallorum, magnitudine avellanæ aliquoties in die exhibeatur cum modico cibo, ne gravetur, ac irritetur ventriculus.

In vomitoriis igitur febribus, dentur bilem figentia ex. gr. opiata, theriaca cum opio, vel theriaca recens, cum granulis quinque arcani duplicati. Tum absorbentia, oculi cancri, perlæ, corallia &c. Exteriùs sacculi ex menta, nuce moscata, cinamomo absyntio, coctis in vino, & aceto.

Vel emplastrum ex theriaca recenti, ex Balsamo Peruano in febri mali moris. Vel facto emplastro, ex fermento acerimo, salito, cum pulvere menthæ, cinamomi, & aceto rosaceo.

In picrocolis in quibus stomachus amara bile abundat, & os ventriculi valdè sensibile est; vomitibus, cardiogmo, animi deliquiis potissimum in accessionibus febrium subjecti sunt.

His igitur comendat Galenus 1. ad Glauc. 14. ut in *accessione mica panis in vino adstringente onfacio vel succo granatorum imbuta offeratur, ob calidum enim, & siccum temperamentum, tum ob spiritus, & sanguinis tenuitatem facilime in animi deliquia feruntur.*

In

In alui fluoribus, exhibeantur theriacalia, absorbentia, bezoardica, opiata. Vel fiat mixtura ex conserva rosarum confectione hyacinthi corallis, terra sigillata.

Zacutus verò Lusitanus in alui fluoribus *copiam lapidis bezoar exhibere jubet, scilicet ad Dr. i.* (Fortè quia movente natura serositates ad circumferentiam, cessat movere per alvum.)

Pro potu verò exhibeatur decoctum amarenarum acidiuscularum. Item affuso spiritu vitrioli, super terram sigillatam minutissimè tritam, coaguletur ad ignem, ut in lapidem concrescat, qui in albumine ovorum induratorum positus pulverizatus, in cella solvitur. Hujus guttulæ in febribus mali moris, cum alui fluore, vel vermibus vel affectibus ventriculi, & intestinorum summum est arcanum.

Materia enim dejecta veneni particeps est atque emendari debet; nam purgantibus laxari non debent magis intestina.

Si alui fluor coliquativus fuerit, audacter cohibendus est, ne vires omninò deiiciat; quare theriaca recens ad scrupuli ii. etiam cum laudano opiato ad gr. iii. exhibenda est, potissimum noctu, ante somnum.

Riverius pariter lib. 17. de feb. mali moris, *potionibus diaphoreticis in magna dosi exhibitis testatur, quasi in momento se alui fluores pernicioso coibuisse; scilicet fugata venefica qualitate intestina vellicanse.*

Alui fluoribus commodi sunt tamarindi cum amarenis cocti in aqua communi, & per chartam emporeticam percolati, indè syrupo de corallis, copioso lapide bezoardico admixto, vel pulvere alio diaphoretico ex. gr. unicornu minerali, vel etiam terra sigillata subtilimè trita, & per tinctura elicita.

Cardanus de malo medendi usu, errore 44. *Pessimè agunt qui in febre cum alui fluore utuntur alvum solventibus, & potissimum cassia, & similibus (contra doctrinam Galeni lib. de arte cur ad Glauc.) quia hæc ad intestina debilitanda magis inserviunt, & ægri periclitantur.*

Alui igitur fluores, dysenteriæ &c. solent indicare diaphoresim per cutem impeditam esse, & pravas massæ sang, ichorositates salinas, versus intestina ab expultrice dimitti, quare diaphoresis procuranda est, etiam artificialibus calorificis circumpositis.

Alui flori, & potissimum diarheæ in febri maligna maxima cautio habenda est (ait Bellinus) quia vires maximè deiicere potest, si sine auxilio relinquatur.

Bezoardicis ergo præstantioribus, tum stypticis utemur, tinctura corallorum, tinctura terræ sigillatæ (postquam longa trituratione in alcol impalpabile conversa fuerit, cum gemis hyacinthi, smaragdi) in aqua cordiali spiritu vitrioli acidula facta, & ab aurifice pustulis auri sepiùs calibeata.

In alui fluoribus, commendantur medicamenta, & alia, potiùs in forma solida, quam liquida, sepiùs in die exhibenda; humida enim magis diluunt fluxiles humores, quare motui alacriores potiùs faciunt eos, quam sistant. Sic pariter juvat potus parcior.

Fiat ergo cum conserva rosarum antiqua, syrupo corallorum, vel berberis, pulveribus margaritarum & testaceorum &c. diascordio Fracastorii, bezoardico minerali, confectione hyacinthina, laudano opiato, & similibus, veluti conditum, atque avellanæ magnitudine, aliquoties in die exhibeatur.

In torminalibus febribus, dentur cinabarina, anodina, castorina, antispasmodica, & omnia quæ acidum, attemperare possint; ex. gr. spiritus salis armoniaci castoreatus, opiata absorbentibus mixta, quæ mira ratione adversus acida pugnant; Cinabaris antimonii, vel etiam nativa. Castoreum cum laudano opiato, margaritis, spermate cæti, oculis cancri, & alkalinis omnibus &c.

In asthmaticis anhelosis febribus factis ab acida saburha circa ventriculum stabulante, exhibeantur statim vomitorium antimoniale, vel mercuriale. Deinde exhibeatur balsamus sulphuris cum myrha, flores belzoini, cinabaris antimonii, laudanum opiatum.

Si de vermibus constent indicia exhibeantur antielmentica, & potissimum mercurius dulcis cum pulvere Cornachini, deinde amara, absynthiaca, myrhata. Salia absynthii, cardui benedicti cum cornu cervi philosophicè præparata an gr. x. & alia quæ capite proprio de vermibus proposuimus.

Ad viscerum fermenta excitanda, & ad virium roborationem, dentur cochleatim singulis horis mixtura ex conserva totius citri, aqua florum aurantiorum, cum margaritis, corallis, osse cordis cervi, oculis cancri, confectione hyacenthina, vel alkermes

Si febricitans indigere videatur expurgatione per urinam, ad quam naturam inclinare copiosa urina demonstret; ungulo die summat manè emulsionem ex seminibus peponum, paratam in sero caprino depurato cum cremore tartari, additis dr. i. oculorum cancri, & scrupuli: spiritus vitrioli, vel spiritus salis dulcificati.

Si febricitans ob conditiones siccas aluistyptici tate laborans a clysteribus abhoreat, & a medicamentis; panatellas suas, *vel hordarum* sumat paratum *in fuscuso* expresso ranarum, *vel piscium* optimè notæ, oleo copioso amygdalarum admixto.

Passerculos etiam marinos, copioso oleo amygdalarum, & succo aurantiorum ingurgitet. Tum julep de pomis sine igne ad uncias tres circiter bibat; paratur verò taleolis pomorum apiorum dulcium inter catinos duos positis, & consperfis copioso saccaro, situ obliquo, & julep effluere possit; nam intrà horam incipiet fluere &c. & aliis artificiis utantur descriptis a nobis lib. de cons. valetudine parte 5.

Si dolores dorsi in febribus cum ingenti calore vexent taleolæ cucurbitæ dorso applicitæ (vel folia rotunda nimpheæ) tum regioni hepatis, pedibus, & manibus, sunt maximi levaminis, potissimum æstate.

Incommodis universis febrium, non desunt supernaturalia auxilia. Pater Florian Canalis, docet scribere Domine Deus libera famulum *tuum* N N ab omni febre. Christus vivit. Christus regnat. Christus imperat; atque collo appendatur. Quod si etiam orando hæc dixerit sanitatem certius obtinebit.

Item scribatur, & eadem ratione &c. adhibentur oratio sancti Cipriani, scilicet potentia Dei patris sapientia Dei filii. Bonitas spiritus sancti, liberet me N.N. a febre, dolore capitis &c. per virtutes Dei. Eli Elizabatani, scilicet Deus meus, quare dereliquisti me?

Item il breve di San Alberto decantatum typis impressum, quod dispensatur a R. R. Patribus Carmelitanis &c.

Item guttulæ manæ, quæ exit ex brachio sancti Nicolai de Tolentino, quæ dispensatur in vasculis a religiosis illius ordinis.

Vvecherus libro secretorum postquam insinuavit lapidem limacis sine testa brachio alligatum. Tũ hepar ranarũ exiccatũ, pulveratũ ad Dr. i. pluribus diebus jejuno stomacho sumptum; docet quod scribatur.

Abracadabra, diminuendo litteram post litterum juxta ordinem regressionis, ab ultima ad primã, atque collo gestetur, tũ in accessione oretenus pro unicetur.

Ma-

Cornutus etiam scarabeus in oleo positus, & tempore æstivo soli expositus, reputatur æquè efficax ac oleum scorpionum Matt. vel araneorum in febribus, locis pulsantibus inunctum.

Si cardialgia vexat *in febribus*, dissolutum laudanum opiatum in aqua florum papaveris erratici, cum syrupo ejusdem, canfura, confectione hyacinthina & pulveribus testaceorum fiat opiata, qualibet hora sumenda cocleatim.

Si animi deliquia, ab orificio stomachi malè affecto vexent, eadem opiata valdè conferret, tum alia quæ acrimoniæ humorum sunt adversa alKalica oculi cancri, margaritæ, corallia, ebur, & cordialia appellata.

Si ventris tormina, & anxietas circa præcordia vexet ob pituitam crassam, viscidam, cuidam, acrem; exhibeantur salia volatilia oleosa cornu cervi, viperarum, succini &c. cum aqua menthæ, fæniculi, petroselini, & aqua vitæ matthioli, spiritu salis armoniaci, *nitri* laudano opiato, syrupo menthæ, ex.gr. ℞. aquæ vitæ *Matthioli*, aquæ *fæniculi* an on.15. salis succini volatilis, salis cornu cervi volat. an gr.v. spiritus nitri gut.x. laudani opiati gr.iii. olei macis, vel piperis destillati gut ii. syr. menthæ on. i. misce, & cocleatim exhibeatur. Noctu verò gr. iii. laudani opiati dissoluto in on.v. syrupi florum papaveris & cocleare uno spiritus vini, in quo castoreum infusum fuerit.

Si appetitus prostratus sit, erigatur temperate acidis; sed potissimum spiritu salis dulci.

Si ob æstum stomachi, & viscerum a bile crustæ atque circa labia scissuræ vexent, cremor lactis, vel butyrum *in aqua rosarum* lotum, *cum canfora*, sale saturni, juvabit inunctum.

Singultus qui cum paroxismo febrili exacerbatur, ob materiam acrem circa os ventriculi stabulantem, vomitorio antimoniali, deindè mixtura opiata cocleatim sumpta tolletur, vel emulsione papaverina.

Animi deliquia, ob ore superno ventriculi excitata a bile tollentur clysteribus refrigerantibus, vel solventibus blandis ex fructibus, & potissimum cassia, quæ inserviet veluti pro linimento stomachi, adversus mordicationes bilis. Decoctum verò tamarindorum, & amarenarum exiccatarum propinetur pro potu pulpa etiam tamarindorum, & amarenarum per setaceum trajecta, in bollulis interpolatè exhibeatur.

Exterius interim appositio emplastro de crusta panis cum onfacio, succo *granatorum*, *vino* austero cum speciebus cordialibus refrigerantibus ex.gr. diamargaritone frigido, diarhodonis &c.

Si dolor lumborum urgeat, clysteres emollientes opiati, ex decocto corticum radicum mandragoræ, hyoscilami seminibus, & papaveris contusis tum canfura, & vitellis ovorum. Exterius verò fiat inunctio unguento infrigidante Galeni, cum plurimo sale saturni, canfura, succo sempervivi. Vel unguento populeone, & canfura.

Riverius ergo lib.17.cap.2. pro doloribus lumborum factis a sanguine copioso, fervido, in vasibus magnis circa spinalem medulam ebulliente, jubet fieri clysteria refrigerantia, ex *emulsionibus quatuor seminum frigidorum; frigidè injectorum, addito etiam sale prunellæ, saccaro saturni, & canfura. Exteriùs verò unguento populeone admixto, cum succo plantaginis, vel oleo expresso ex seminibus papaveris, & hyosciami, cum canfura.*

Alui fluores, solent indicare diaphoresim per cutem impeditam, quare ichorosi humores, coguntur ad interiora regurgitare, ut per ampliſſimam excrementorum viam confluere debeant.

Tunc ergo de obstructis cutis porositatibus (habitis indiciis ab externo potissimum frigore) fiat inunctio universalis, ebullito oleo camomelli, & nitro in aqua, vel decocto florum camomelli, cum lenibus frictionibus, deinde lateribus in decocto camomelli calefactis, hinc inde appositis fudor provocetur.

Si tamen cum alui fluoribus, vel alio quocumque fluore, vel hemorrhagia a quocumque parte, sitis, & vigiliæ urgeant, magna cautione observandum erit, ne intempestivis stypticis refrigerantibus, vel etiam soporiferis, & narcoticis motus naturæ potissimum in febri mali moris impediantur, cum detrimento irreparabili.

Quare lance auri ponderandum erit, an critica, vel symptomatica talis evacuatio sit; nam si critica sit, nil innovandum, sed naturæ opus permittatur; vel si imperfectè moveat juvanda.

Si autem symptomatica judicetur, ne vires prosternat, nocturno tempore, ad somnum, & quietem spiritui nostro sensitivo calorifico procurandam, tutò exhiberi poterit emulsio papaverina, in aqua florum papaveris eratici, cum granulo Laudani nepentes; & syrupo ex floribus papaveris; sine pulveribus, vel aliis adstringentibus; sed alKalinis crustaceis &c.

Et ecce nos deveniſſe, ad ultimum terminum febrium, quæ me jam senicultum defatigarunt, spe sola recreatus, quod labores nostri posteritati inutiles futuri non sint, benevolisque lectoribus non ingrati.

Conatibus ergo nostris experimentalibus, & non metaphysicis in graciam charitatis in proximum factis, ut soveas rogo, & benigno oculo, ut aspicias exoro.

Nullam enim mercedem laboris in mundo corruptibilem spero semivivus; sed fructus laboris in cælesti horto seu paradiso (patria sapientum ad Deum summum, & unicum bonum anhelantium) degustare suspiro. Sufficiatque quod opera mea sequantur mortuum, non vivum, in graciam enim charitatis proximi, renunciato lauro, & honore mundano scripsi,

IL FINE.

INDEX LIBRORVM
ET CAPITVM
DE FEBRIBUS, ET MORBIS ACUTIS,
Rerum præcipuarum in eis contentarum.

Liber Primus.

CAPITE PRIMO.

Hippocrates nomine flatuum, æthereum ſpiritum vitæ auctorem intellexit; Febrium omnium cauſam, imo morborum omnium. In Præfatione noſtra. Pagina 1.

CAPUT PRIMO.

Cauſæ febrium. Archeus unius motor. pagina 12.
Cauſæ variæ febrium, penes varios auctores. pag. 14
Cauſæ naturales, & præternaturales febrium. pag. 15
Differentiæ febrium. pag. 17
Signa febrium. pag. 19
Obſervationes noſtræ circa febres. pag. 21
Monita aliqua de febribus intermittentibus, vel continuis. pag. 28
Differentiæ febriũ intermitentium. pag. 30
Cauſæ occaſionalis internæ febrium intermittentium. pag. 31
Signa & cauſæ externæ febrium iutermittentium. pag. 33
Monita de febribus vario nomine inſignitis. pag. 35
Prognoſtica febrium in genere. pag. 37
Hippocratis prognoſtica in febribus,& morbis acutis ex libris prænotionum elicita. pag. 52
Item ex libro primo Proreticorum. pag. 53
Item. Ex libris Coacarum prænotionum. pagina 54
Prognoſtica diverſorum auctorum. pag. 59
Indicationes in febribus, & morbis acutis, cum annotationibus præcipuis. pag. 60
Monita pro peculiaribus febribus. pag. 64
Monita circa vivendi rationem in febribus, & morbis acutis. pag. 69
Chyrurgica auxilia in febris & morbis acutis. pag. 71
Monita de purgantibus in febribus, & in morbis acutis. pag. 76
Monita de Alterantibus auxilijs in febribus, & morbis acutis. pag. 83
Dietetici canones in febribus & morbis acutis. pag. 88

Liber Secundus.

CAPITE PRIMO.

De Febribus non humoralibus dictis.

Silicet. De Ephemera.
De hætica.
De Sinoco,in particulari. pag. 96.
Ephemeræ Signa Cauſæ. Prognoſtica, Indicationes; cura. pag. 97

CAPITE SECUNDO.

De Febre Hetica, cauſæ internæ, externæ. Signa Diagnoſtica.
Prognoſtica.
Indicationis curativæ.
Curatio.

Liber Tertius.

CAPITE PRIMO.

De Febribus Humoralibus dictis.

Quotidiana.
Tertiana.
Quartana. pag. 114
Tertianæ ſigna dignoſtica; Prognoſtica Curatio. pag. 17
De Febribus continuis vel intermittentibus.

CAPITE SECUNDO.

De quotidiana febri, emmiphimerica, & Hemitriteo. pag. 19

CAPITE TERTIO.

De febri quartana signa Diagnostica; Prognostica, & cura. pag. 125

Liber Quartus.

CAPITE PRIMO.

De Febre Maligna.

Causæ. pag. 131
Differentiæ signa Diagnostica. pag. 135
Prognostica. Curatio. pag. 137
Dietetici canones in febri maligna, & Peste. pag. 139

CAPITE SECUNDO.

De Peste. pag. 140
Observationes de Peste. pag. 145
Pestis signa Diagnostica. pag. 146
Pestis signa Prognostica. pag. 147
Pestis Curatio. pag. 148
Alterantia auxilia in peste. pag. 150
Observationes in peste, Collegij Medicorum Venetorum factæ. pag. 155

CAPITE TERTIO.

De Peste infantili, seu Variolis, & Morbilis. pag. 156
Signa Diagnostica. pag. 159
Signa Prognostica. pag. 160
Indicationes, & Cura. pag. 161
Alterantia auxilia in Variolis. pag. 162
Victus in Variolis. pag. 164

Liber Quintus.

CAPITE UNICO.

De varijs accidentibus, & Symptomatibus Febrium. pag. 165
Curatio Symptomatum ad imum ventrem pertinentium, Alvi fluoris; Vomitus, &c. pagina 174

FINIS.

436735

5

BIBLIOTECA